ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

45

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis « institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, « doctrinam et principia, eaque sancte teneant ».

CODEX IURIS CANON., can. 1366, § 2.

SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

O. S. B. CONGREG. BELGICAE

ABB. TIT. MONTIS BLANDINI

S. TH. D.RE HON. C. UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

" *Nova et Vetera* ,,
MATTH., XIII, 52.

TOMUS IX

DE GRATIA DEI ET CHRISTI

FRIBURGI BRISGOVIAE
HERDER & C°
TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
MCMXXI
BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI MO.

TRACTATUS

DE GRATIA DEI ET CHRISTI

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

O. S. B. CONGREG. BELGICAE

ABB. TIT. MONTIS BLANDINI

S. TH. D.RE HON. C. UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

" Nova et Vetera ,,
MATTH., XIII, 52

(I-II. - Q. CIX - Q. CXIV)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FRIBURGI BRISGOVIAE
HERDER & Co
TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
MCMXXI
BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI MO.

BX
1749
T5
J2
1900
v.9

IMPRIMATUR:

Fr. ALBERTUS LEPIDI, Ord. Praed., *S. P. A. Magister.*

IMPRIMATUR:

† IOSEPHUS PALICA, Archiep. Philippen., *Vices gerens.*

ROMAE, TYPIS VATICANIS.

DIVO · AVGVSTINO

DEI · ET · CHRISTI

GRATVITAE · VICTRICISQVE · GRATIAE

EXEMPLO · PRAECONI · VINDICI

INSIGNI · MAGNIFICO · TRIVMPHANTI

HVMILIS · ADMIRATIONIS

PIGNVSCVLVM

PROLOGUS

AQUINATE duce, in praecedentibus nostris voluminibus iam plura tetigimus argumenta quae tractatui *de Gratia* passim assignantur. In tractatu *de Deo Uno,* praeter inquisitionem de cognitione Dei per lumen visionis,[1] contemplantes perfectiones divinas, egimus de voluntate Dei salvifica[2] et de mysterio praedestinationis.[3] In tractato *de Deo Trino* locuti sumus de inhabitatione Spiritus Sancti in animis iustis;[4] in tractatu *de Deo Homine* gratiam Capitis in Christo investigavimus,[5] necnon effectus Christi passionis.[6] Nec omisimus, agentes *de Angelis,* conditionem supernaturalem ad quam Deus eos elevavit.[7] In praecedenti nostro volumine fusius disputavimus de triplici ordine naturali, supernaturali et praeternaturali,[8] ipsamque originalem gratiam, a qua protoparentes delapsi sunt, penitius investigavimus.

In praesenti ergo nostro tractatu *de Gratia* ad illas varias disputationes lectorem remittemus, unde campus non parum restringatur; eo vel magis quod, in proximo volumine, data opera agemus *de Virtutibus infusis,* de quibus proin in praesenti volumine non nisi per transennam verbum faciemus.

[1] Tom. I, p. 442, sqq.
[2] Tom. II, p. 252, sqq.
[3] Ibid., p. 399, sqq.
[4] Tom. IV, p. 837, sqq.
[5] Tom. V, p. 374, sqq.
[6] Tom. VI, p. 757, sqq.
[7] Tom. VII, p. 841, sqq.
[8] Tom. VIII, p. 12, sqq.

Porro in hoc subtili argumento, cuius momentum praesenti aetate naturalismo infecta excrevit, ducem de more sequemur S. Thomam, qui, licet specialem tractatum huic argumento non tam expresse devovit ac hodiedum theologi solent, nihilominus de eo variis in locis uberrime et lucidissime scripsit.

Sed et S. Augustinum, principem gratiae magistrum, summa reverentia et docilitate auscultabimus, utpote qui, gratuito gratiae fulmine, ut olim Saulus, prostratus, Pauli iam aemulus, gratiae fuit magnificus praeco et animosus vindex.[1]

Maxime autem ipsas de gratia audiemus Scripturas,[2] imprimis Christum « plenum gratiae et veritatis ».[3] Quanti autem in exordiis Ecclesiae habitum sit mysterium

[1] De Augustino libet optimo iure affirmare quod olim de S. Basilio Magno dixit S. Gregorius Nazianzenus: « Itaque ne hoc quidem mihi dicere verendum est, in « omnem terram sonum illius exiisse, atque in fines orbis terrae vim illius ver- « borum: quod de Apostolis Paulus dixit a Davide mutuatus: una et per omnia et « maxima oblectatio est, illius volumina et elucubrationes. Nec scriptoribus materia « ulla alia et copia post eum praeter ipsius scripta suppetit. Silentur vetera, quae- « cumque in divinorum oraculorum explanatione a quibusdam elaborata sunt, nova « praedicantur; atque is apud nos eruditissimus habetur, qui libros illius quam- « maxime intelligit, ac lingua versat auribusque instillat. Unus enim omnium loco « studiosis ad eruditionem comparandam sufficit ».

[2] Pulcherrime S. Bonaventura in prooemio genialis sui *Breviloqui*, iuxta Paulinam sententiam, discurrit de latitudine, de longitudine, de sublimitate et de profunditate S. Scripturae. – De Scripturarum frequentiori usu pro theologis id valet quod nuper Card. Gasquet hisce verbis omnibus sacerdotibus inculcavit: « From a « thousand experiences we know that God's words have a force ad an effect on the « mind and heart, and even a resonance in the ears of listeners, which no human « eloquence can hope to rival »: *The need of a study of Scripture by priests. The homeletic monthly and pastoral review,* t. xx, n. 6, march. 1920, p. 536. Inde in antiquiore aetate theologia vocabatur scientia Scripturarum. Quare Rugerus Baco, in epistola anno 1267 ad Clementem IV directa, conquerebatur de nova methodo Parisiis invecta, iuxta quam, relicta *Historia* Petri Comestoris, non iam ipse Scripturarum textus fundamentum erat theologicae institutionis. - De excellentia S. Scripturae, imprimis N. Test., nuper egregie tractavit Cl. Leop. Fonck S. I., in opella cui titulus: « *Das Licht der Welt. Handreichung für die neutestamentliche « Schriftlesung.* - Paderborn, 1919. – *Bonifacius Druckerei* ».

[3] I Ioann., i, 1. 2.

gratiae a Christo revelatum, demonstrant pulcherrima verba quibus Ioannes, Petrus et Paulus gratiam commendant: « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, « ut filii Dei nominemur et simus... Charissimi, nunc « filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Sci- « mus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, « quoniam videbimus eum sicuti est ». Ita Ioannes.[1] Nec aliter Petrus: « Benedictus Deus et Pater Domini « nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam « magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurre- « ctionem Iesu Christi ex mortuis, in haereditatem incor- « ruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, « conservatam in caelis in vobis, qui in virtute Dei « custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in « tempore novissimo ».[2] Et Paulus: « Benedictus Deus « et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos « in omni benedictione spirituali in caelestibus in Chri- « sto, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, « ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in « charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filio- « rum per Iesum Christum in ipsum; secundum propo- « situm voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, « in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo ».[3]

Quum autem in sermone Scripturae, imprimis Apostolorum, gratia ab opere et influxu Christi nunquam seiungatur, tractatui nostro titulum dedimus: *de gratia Dei et Christi,* iuxta dictum Apostoli: *Gratia Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro.*[4]

Porro, quo magis haec Dei et Christi gratia in Scripturis exhibetur tamquam aliquid praecelsum et prope

[1] Ioann., iii, 1, 2.

[2] 1 Petr., i, 3-5.

[3] Ephes., i, 3-7. Cf. et versiculos sequentes.

[4] Rom., vi, 23.

divinum, quod terram toto caelo superat, eo magis nonnisi dono ac virtute superne delapsis hanc obtineri liquet. Quod est dupliciter verum in praesenti statu naturae lapsae. In hac gemina ratione totum continetur huius tractatus argumentum. Ab ea enim duplex fluit necessitas gratiae: physica scilicet, ob indolem absolute naturalem finis ad quem a Deo elevante destinamur; moralis, ob sauciatam originali peccato humanam naturam. Quae duplex necessitas, a Pelagio recusata, humanum liberum arbitrium nullatenus tollit; sed intra limites naturae et quidem lapsae id continet, per gratiam elevandum, excitandum, roborandum, servandum. Agitur enim, uti ait Apostolus, de Christo in singulis Christi membris parturiendo.[1]

Hoc sensu ad adventum gratiae in salvandorum animas applicari possunt prophetica verba, quae Liturgia saepe recolit in tempore praeparatorio ad festum Nativitatis Domini: « Rorate, caeli, desuper et nubes pluant « iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem »![2]

Adducta Pauli exclamatione: « O altitudo »,[3] Lacordaire in haec pulchra prorumpit: « Ce cri d'une telle « âme devant les conduites mystérieuses de la Provi- « dence devrait, ce semble, nous arrêter au seuil des

[1] Gal., iv, 19.

[2] Is., xlv, 8. Propheticas promissiones celebrans in Novo Testamento impletas, S. Augustinus ita pulchre exclamat: « O beata Ecclesia! quodam tempore audisti, « quodam tempore vidisti. Audivit in prophetia, videt in Evangelio. Omnia enim « quae modo complentur antea prophetata sunt. Erige oculos ergo et diffunde per « mundum: vide iam haereditatem usque ad terminos orbis terrae. Vide iam impleri « quod dictum est: * " Adorabunt cum omnes reges terrae, omnes gentes servient « illi. Vide impletum esse quod dictum erat: **,, Exaltare super caelos, Deus, et super « omnem terram gloria tua ». ***

[3] Rom., xi, 33. Cf. dicenda in epilogo p. 665 sq.

* Ps., lxxxi, 11.

** Ps., cvii, 6.

*** *En aur.*, xlvii, 7.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« conseils de Dieu, et ne nous permettre que l'adoration « tremblante de leur équité. Mais David nous rassure « lorsqu'il dit: " Seigneur, montrez-moi vos voies, appre- « nez-moi vos sentiers... Toutes les voies du Seigneur « sont miséricorde et justice pour ceux qui recherchent « ses temoignages et son testament ". [1] S'il y a des « ombres, il y a donc aussi des lumières; et si le voile « ne peut se lever tout entier, il peut du moins s'entr'ou- « vrir, et là, comme en toutes les questions divines, il « ne faut ni tout se permettre, ni tout se refuser, mais « allier la pudeur d'une sainte réserve à la confiance « d'une âme éclairée de Dieu ». [2]

Modeste itaque tractationem de tanto tamque absconso argumento aggrediendam esse monet Apostolus, ubi inculcat: « Non plus sapere quam oportet sapere, « sed sapere ad sobrietatem ». [3] Ea igitur mente ac spe ad eam accedimus, « ut si in eas regulas processerit « stylus quae nihil offensionis, nihil habeant pravitatis, « non solum nobis, sed et aliis utile sit ad aliquem nos « limitem pervenisse, quem non debeamus excedere ». [4]

Scribebam Romae, in aedibus S. Callixti, die Natali Domini, anno 1919.

[1] Ps. XXIV, 4, 10.

[2] Conf. LXVII: *De la réalité du gouvernement divin. - Oeuvres*, t. VI, p. 50.

[3] ROM., XII, 3. - Cf. illud Ecclesiastici: « Altiora te ne quaesieris... Plurima « enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi » *Eccli.*, III, 22. Quae verba affert Caietanus disputans de concilianda libertate actuum nostrorum cum infallibilitate divinae praescentiae et providentiae. Et addit: « Et hoc unum de illis est ». * Quanto magis argumentum de gratia!

[4] *De vocatione omnium gentium*. t. I, Exordium.

* I Q. XXII, a. 7.

INDEX RERUM

Prologus VII
Index rerum XIII
Praeambulum 1
1) Considerationes praeviae 1
2) De praecipuis auctoribus et fontibus consulendis 6
Dissertatio praevia de gratiae definitione et excellentia, necnon de praecipuis erroribus circa gratiam 11
1) De definitione gratiae 12
2) De excellentia gratiae stricte dictae 19
3) De praecipuis erroribus circa gratiam 38
Appendix de speciali auctoritate S. Augustini in argumento de gratia. . . . 72
De ordine tractationis 83

I PARS.

DE IPSA GRATIA DEI.

SECTIO I.

A) DE NECESSITATE GRATIAE.

QUAESTIO CIX.

De ratione et ordine Quaestionis. 84
Articulus I. — Utrum homo sine gratia aliquid verum cognoscere possit . . 86
Corollaria 101
Articulus II. — Utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia. . . 111
Quaestio connexa 132
Corollaria 133
Articulus III. — Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia. 139
Corollarium. 146

Articulus IV. — Utrum homo sine gratia per sola naturalia legis praecepta implere possit 147
Corollaria 151
Quaestio connexa 152
Articulus V. — Utrum homo possit mereri vitam aeternam absque gratia. . 153
Corollarium. 155
Quaestio connexa 161
Articulus VI. — Utrum homo possit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae 163
Dissertatiuncula de mente Semipelagianorum. 163
Quaestio connexa 185
Corollaria 187
Articulus VII. — Utrum homo possit resurgere a peccato sine auxilio gratiae. 199
Corollaria 202
Articulus VIII. — Utrum homo sine gratia possit non peccare. 205
Corollaria 216
Articulus IX. — Utrum ille qui iam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et evitare peccatum absque auxilio gratiae. 219
Quaestio connexa 224
Corollaria 225
Articulus X. — Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiae ad perseverandum. 229
Quaestiones connexae. 250
Corollaria 255

SECTIO II.

B) DE IPSA GRATIA QUANTUM AD EIUS ESSENTIAM.

Quaestio CX.

Articulus I. — Utrum gratia ponat aliquid in anima 271
Corollaria 274
Articulus II. — Utrum gratia sit qualitas in anima 274
Quaestiones connexae. 286
Corollaria 290
Articulus III. — Utrum gratia sit idem quod virtus. 299
Quaestio connexa 303
Articulus IV. — Utrum gratia sit in essentia animae sicut in subiecto, an in aliqua potentiarum 303
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 305

SECTIO III.

C) DE GRATIAE DIVISIONE.

Quaestio CXI.

De ratione et ordine Quaestionis 306
1) De gratia gratum faciente et de gratia gratis data 307
Articulus I. — Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem et gratiam gratis datam. 307
Appendix de mente S. Bonaventurae 309
2) De gratia operante et cooperante 313
Articulus II. — Utrum gratia convenienter dividatur per operantem et cooperantem 313
Quaestio connexa 320
Corollarium I 322
Quaestio connexa 322
Corollaria 323
3) De gratia praeveniente et subsequente 324
Articulus III. — Utrum gratia convenienter dividatur in praevenientem et subsequentem. 324
Corollaria 329
Appendix de mente Beati Ruysbroeck 332
Articulus IV. — Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo dividatur. 333
Quaestio connexa 335
Articulus V. — Utrum gratia gratis data sit dignior quam gratia gratum faciens 335
Appendix de aliis divisionibus gratiae 337
4) De gratia interna et externa 337
Quaestiones connexae 339
5) De gratia excitante et adiuvante 340
6) De gratia habituali et actuali 345
7) De gratia increata et creata 348
8) De gratia Dei et gratia Christi 350
Corollaria 361
9) De gratia elevante et medicinali 365
10) De gratia supernaturali quoad substantiam et quoad modum. . . . 372
Corollarium 374
11) De gratia sufficienti et efficaci 375
12) De adiutorio *sine qua non* et adiutorio *quo*. 390
13) De gratia simpliciter et de gratia pro gratia 392

II PARS.

DE CAUSIS GRATIAE.

Quaestio CXII.

Ratio et ordo Quaestionis 393
Articulus I. — Utrum solus Deus sit causa gratiae 393
Corollaria 395
Appendix de aliis causis gratiae. 396
Quaestio connexa 397
Corollarium. 398
Articulus II. — Utrum aliqua praeparatio et dispositio ad gratiam a parte hominis requiratur. 399
Articulus III. — Utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est 401
Corollarium 403
Articulus IV. — Utrum gratia sit maior in uno quam in alio 404
Articulus V. — Utrum homo possit scire se habere gratiam 407
Corollarium 413
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 414

III PARS.

DE EFFECTIBUS GRATIAE.

De distributione huius Partis 416

SECTIO I.

A) DE IUSTIFICATIONE IMPII.

Quaestio CXIII.

De ratione et ordine Quaestionis. 416
Articulus I. — Utrum iustificatio impii sit remissio peccatorum 418
Articulus II. — Utrum ad remissionem culpae, quae est iustificatio impii, requiratur gratiae infusio 422
Corollarium 426
Articulus III. — Utrum motus liberi arbitrii ad iustificationem impii requiratur 428
Corollaria 432
Articulus IV. — Utrum ad iustificationem impii requiratur motus fidei . . . 432
Corollarium 435

Articulus V. — Utrum ad iustificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum 435
Quaestio connexa 437
Articulus VI. — Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea quae requiruntur ad iustificationem impii. 438
Articulus VII. — Utrum iustificatio impii fiat in instanti vel successive. . . 440
Corollarium 444
Articulus VIII. — Utrum gratiae infusio sit prima ordine naturae inter ea quae requiruntur ad iustificationem impii. 444
Articulus IX. — Utrum iustificatio impii sit maximum opus Dei 447
Quaestio connexa 449
Articulus X. — Utrum iustificatio impii sit opus miraculosum 449
Corollaria 453
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 453
Appendix de doctrina Concilii Tridentini circa modum et ordinem iustificationis 454

SECTIO II.

B) DE MERITO.

Quaestio CXIV.

De ratione et ordine Quaestionis. 459
Praenotamen de doctrinis merito contrariis 459
Articulus I. — Utrum homo possit aliquid mereri a Deo 462
Articulus II. — Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam aeternam. . . 465
Articulus III. — Utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam aeternam ex condigno 467
Corollaria 475
Articulus IV. — Utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes 480
Quaestio connexa 483
Corollaria 484
Articulus V. — Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam. 485
Articulus VI. — Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam. 487
Corollaria 490
Articulus VII. — Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum . 490
Corollarium 493
Articulus VIII. — Utrum homo possit mereri augmentum gratiae vel charitatis. 494
Corollaria 496
Quaestio connexa 497
Articulus IX. — Utrum homo possit perseverantiam mereri. 498
Corollaria 501
Articulus X. — Utrum temporalia cadant sub merito 503
Corollaria 506
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 509
Appendix de merito B. M. Virginis 510

DISSERTATIO FINALIS.

De concordia inter gratiam et liberum arbitrium 513
A) Reprobantur sententiae acatholicae 516
B) Exponuntur et discutiuntur praecipuae sententiae catholicae 522
1) De mente S. Augustini 524
2) De mente S. Anselmi 536
3) De mente S. Bernardi 543
4) De mente S. Bonaventurae 554
5) De mente S. Thomae 560
a) De motione divina in ordine naturae 561
b) De motione divina in ordine gratiae 570
6) Notula historica de Congregatione de Auxiliis 576
I) Exponuntur praecipua systemata catholica 587
1) Exponuntur Molinismus et Congruismus 588
2) Exponitur Thomismus rigidior 598
3) Exponitur Thomismus mitior 602
Appendix de mente Bossuetii 610
4) Exponitur systema a S. Augustino nuncupatum 616
5) Exponitur systema dictum Syncretisticum 621
II) Discutiuntur exposita systemata 622
1) Discutitur systema Molinisticum-Congruisticum 627
2) Discutitur utrumque systema Thomisticum 631
3) Discutitur sententia S. Augustini, sive systema ab eo dictum Augustinianum 646
4) Discutitur Syncretismus 656
C) Sententia nostra breviter exponitur 657
Epilogus 668
Index alphabeticus, analyticus 667

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRAEAMBULUM

1) *Considerationes praeviae.*

Tractatus *de gratia Dei et Christi* ad quem iam accedimus, inter maxime arduos disciplinae theologicae iure recensetur. Et sane, si attendis argumenti excellentiam, ex operibus Dei, praeter ipsam incarnationem, quid sublimius « admirabili commercio »,[1] quo creatura rationalis ad adoptionem divinam elevatur et, veluti paterna manu, per omnes huius vitae insidias ad gloriae patriam sibi praedestinatam conducitur? Si modum consideras quo haec dona in nobis operantur et nobiscum cooperantur, quid potentius simul ac suavius actione divina quae, salva, imo roborata libertate, finem ab aeterno praefixum attingit? Si demum perpendis controversias, quae a primis Ecclesiae saeculis ad nostram usque aetatem circa gratiae naturam, necessitatem, virtutem hinc inde agitatae sunt, de quonam argumento plures invaluere et acriores, non modo inter credentes et rationalistas, inter catholicos et haereticos, sed intra ipsa catholicorum castra? Unde sapienter monet Card. Gerdil: « Questo « trattato richiede gran cautela ed esattezza in distinguere « i dogmi dalle opinioni, le opinioni dagli errori ».[2]

Adde iam peculiarem difficultatem quae Aquinatis commentatori obvenit ex necessitate, quam tractationis decursu experitur, disputationis campum hic illic non parum dilatandi, ut materiam, novis quotidie aspectibus ampliatam, pro praesentis aetatis indole, nullo praetermisso, pertractet.

[1] Egregie hoc divinae charitatis commercium ita describit cl. De Baets: « God « wil onze armoede tot den hoogsten rijkdom verheffen door ons gemeenschap te « verleenen met het Oneindige; gemeenschap waardoor mij in God zullen leven « gelijk God in zichzelf leeft, waardoor wij God zullen bezitten gelijk God zijn « eigen bezit, waardoor God de onze zal zijn gelijk wij van God zijn en God zich- « zelven toebehoort ». *

[2] *Saggio d'istruzione teologica: De Gratia.*

* *'t Lied des Levens,* ch. III, *Het schepsel tot het goddelijk leven geroepen n. 112.*

Unde iam etiam apparet singulare huius tractatus momentum, quum non solum antiquae aetatis errores evocet, sed et maxime modernos attingat, eo interdum periculosiores quo magis insidiose serpunt. Hodie prorsus verum manet, quod medio saeculo elapso scribebat Laforêt: « Tout semble « concorder à démontrer la haute importance d'un *traité de la* « *grâce*. Je dirai même qu'au point de vue purement dogma- « tique, il n'est pas un seul traité de théologie qui puisse « aujourd'hui présenter un intérêt plus sérieux, qu'un traité « bien fait sur la grâce, parce qu'il n'en est pas qui soit « appelé à redresser plus d'erreurs et à rectifier plus d'ine- « xactitudes ».[1]

Summam adde utilitatem quam anima ex hoc tractatu carpit. Etenim, uti optime monet Illmus Lambrecht in egregio suo tractatu de gratia: « In hoc tractatu manifesti fiunt infi- « niti thesauri bonitatis Dei in nos, et immensa dignitas « hominis divina vestiti gratia; iamvero ex infinitae Dei boni- « tatis notitia fluit perpetua gratiarum in Deum actio, et e « cognita gratiae dignitate sponte nascitur plenus terreno- « rum contemptus, ardentissimusque spiritualium amor ».[2] Placet et heic afferre verba Card. Satolli: « Praesens tra- « ctatio praecipuae utilitatis et dignitatis est, ita ut totum « opus Theologiae et cuncta religionis christianae mysteria « in se colligere videatur; vereque attingit a fine usque ad « finem divinarum operationum. Quare aliquid eius veritati « perfectionique detrahere, non modo esset ingrati animi « portentum et impietatis crimen, sed etiam (ut monet Augu- « stinus, *Epist. 175*) fundamenta fidei christianae evertere ».[3]

*
* *

Porro eadem qua alibi usi sumus libertate, – praesertim in dissertatione nostra de praedestinatione, [4] – in isto pariter tractatu utemur. Nulli quippe scholae a priori addicti, quid

[1] *Les dogmes catholiques exposés, prouvés et vengés des attaques de l'hérésie et de l'incrédulité.* Goemare, Bruxelles, 1858, t. III, p. 71.

[2] *Analysis tractatus de gratia.* Gandavi, 1887, p. 13. Celebrat huius tractatus momentum: 1) ob eius praestantiam, 2) ob eius difficultatem, 3) ob summam eius utilitatem.

[3] *De gratia Christi.* Prooem., VI.

[4] *De Deo Uno,* t. II, p. 400 sqq.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

obiective doctores tenuisse nobis videantur, absque ullo praeiudicio investigabimus. Quin, in quaestionibus libere controversis, candide recedemus et a summis, si alia nobis sententia magis arrideat. Quam enim libertatem in piissimis doctissimisque viris, uti fuere Suarez et Toletus, eorum scripta legendo miramur, ecquid non hodie imitari liceat?

At, si iudicii libertas arridet, non minus placet styli modestia, a qua, nec in ferventissimo controversiarum ardore, nos unquam decessuros speramus. Utrimque enim habentur viri acumine summi, vastae eruditionis et profundissimae pietatis.[1] Imo inter eiusdem religiosae familiae theologos etiam principes non parum interdum discrepant. Propius sane ad tritum systema a S. Thoma nuncupatum accedunt Suarez quam Molina; et, inter recentiores, - ut vivos omittam, - Card. Mazzella, in primis Liberatore, quam Card. Franzelin et Palmieri. Imo inter ipsos S. Dominici sodales, praesentis etiam aetatis, quin in hac ipsa Urbe, - nomina taceo, - non omnes eodem prorsus modo Angelicum Magistrum interpretantur. Si iam olim Bannez, - quod loco opportuno ostendemus, - ingenue fatebatur se, in re tamen vitali, contrarium sibi habere Capreolum, cur non hodie tuto hunc Thomistarum principem sequi fas erit?

Liceat proin et nobis recedere nonnunquam ab illis, quos censemus ultra genuinam Aquinatis mentem esse progressos. Imo fas esto illos interdum, a celebri scriptore qui maiori fama rigidiorem sententiam propugnavit, nuncupare Bannezianos. Qua sane appellatione, quae nihil habet in mente nostra quod minorem reverentiam sapiat, unice utimur claritatis causa, ne cum hac schola totus Thomistarum exercitus confundatur. Dantur enim Thomistae optimi nominis, qui huic speciali scholae non adhaerent, et quibus proin non placet, alios simpliciter aut κατ' ἐξοχήν vocari Thomistas.[2]

Sed, etiamsi prorsus constaret, illos non esse Thomistas genuinos, non ideo eorum sententia esset a priori reiicienda.

[1] Sane quis, nisi imprudens, uti gratiae iniuriosas tractet sententias, quas ultimi duo Ecclesiae doctores propugnarunt: S. Franciscus Salesius et S. Alphonsus a Liguori?

[2] Amicitia me olim recordor usum esse clarissimi viri nec mitioris Thomistae Dummermuth, O. Pr., qui, audita synthesi nostrae doctrinae, eam optimo iure Thomistam vocari recognovit.

Imo, quod nuper SS. D. N. Benedictus XV sapientissime proclamavit, in rebus dubiis profectui scientiae sacrae multum iuvat libertas, ut leviores alas ad altissima indaganda librare valeat.

Cavendum insuper censemus, ne genuina S. Thomae intellectio, - quod scriptor quidam nuper affirmare aut saltem insinuare visus est, - tamquam charisma speciali religiosae familiae habeatur proprium. Quod ex eodem auctore sat facile confutatur. Etenim aequationem sternit: Paulus = Augustinus = Thomas. Optime quidem. Sed nonne eodem prorsus iure sodales familiae Augustianae simile charisma sibi pro genuina intellectione sui incomparabilis Doctoris vindicare possent? Et tamen quis nesciat, inter duas hasce Scholas, Augustinianam et Thomisticam, passim sumptam, nonnihil interesse? Pateat igitur mirabile Aquinatis lumen cuivis reverenti conatui; nec a veste sed a mente genuina intuentis eius intellectio repetatur. Absit tamen ut haec dicens vim et auctoritatem traditionis recusem, quam in venerabili S. Dominici familia adesse fateor omni aestimatione apprime dignam. Sed, ubi nec in sinu huius traditionis apparet plena concordia, extraneo liceat duplici iure Magistrum, non sane ad sua placita detrahere, sed iuxta suam sententiam intelligere, aut imo eam Aquinatis auctoritate corroborare.

In hac sane investigatione de genuina mente S. Thomae, princeps quaestio est de motione divina; quae tamen quaestio non tam specialis est tractatui de gratia, quam generalis ad philosophicam radicitus disciplinam pertinens.[1] Varia enim systemata de libero arbitrio sub motione gratiae pendent a philosophico conceptu divini concursus in ipso ordine naturae.[2] Quare sedulo nobis investigandum erit, quid de hac motione S. Thomas docuerit.

[1] Necessitatem divini concursus ad humanas actiones negavit Durandus, nec tamen inde unquam habitus est Pelagianus (II Dist., I, q. 5). At non ideo, uti mox dicetur, ab hoc errore fuit immunis ipse Pelagius. Erat enim fundamentum eius doctrinae, quae partim in hoc consistebat, quod in ipso ordine naturali huius concursus necessitas tolleret liberum arbitrium.

[2] Etenim, uti optime monet in prolegomeno sui tractatus *de gratia Christi* Card. Billot,* mysterium quod heic investigandum occurrit, non unice ad revelationis ordinem pertinet, uti est mysterium Ssmae Trinitatis, sed radicem habet in

* Pag. 17.

Quod si in fine huius nostrae inquisitionis vix aliud nobis supererit, nisi proclamatio mysterii inscrutabilis, iuxta verba S. Pauli: « O altitudo! », non ideo tempus et sudorem inutiliter nos consumpsisse arbitrabimur. Valent enim de hoc, quod Augustinus belle dixit de mysterio Trinitatis: « Cur « ergo sic quaerere, si incomprehensibile comprehendit esse « quod quaerit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in « ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et « melior meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod « et inveniendum quaeritur, et quaerendum invenitur. Nam « et quaeritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quae- « ratur avidius. Fides quaerit, intellectus invenit.... Ad hoc « ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum ».[1]

Sed et valeat gemina sententia vere aurea e libro *De vocatione omnium gentium* deprompta: « Fixa ergo hac fide « in cordibus nostris, immobiliterque fundata, qua saluber- « rime credimus, omnia bona, ac maxime ea quae ad vitam « aeternam provehunt, Dei munere haberi, Dei munere « augeri, Dei munere custodiri, puto quod pius sensus non « debeat in ea quaestione turbari, quae de omnium et de « non omnium hominum conversione generatur, si ea quae « clara sunt, non de his quae occulta sunt, obscuremus, et « dum procaciter insistitur clausis, excludamur ab apertis, « cum sufficere debeat, ut in eo ad quod pervenimus, ambu- « lemus ». « Quae enim Deus occulta esse voluit, non sunt « scrutanda, quae autem manifesta facit, non sunt negli- « genda: ne et in illis illicito curiosi, et in istis damnabiliter « inveniamur ingrati ».[2]

Totius tractationis nostrae conclusio erit e regione opposita superbae philosophiae, quam Tullius ita exprimebat:

ipso ordine naturae, in dependentia scilicet creatae libertatis a Deo prima causa et primo motore. In qua dependentia, qui non agnoscit mysterium quoddam, cuius intima ratio humanam mentem transcendit, vix profunditatem argumenti acute indagasse videtur. Mens fuerat itaque dissertationem de hac motione divina toti nostrae tractationi praemittere, uti lucide facit laudatus Cardinalis; sed maluimus eam differre usquedum, toto argumento theologica via et ratione explorato, in finali dissertatione examen maturius instituere valeamus de concordia inter liberum arbitrium et gratiam. Qua in dissertatione, agentes de sententia Thomistica passim nuncupata, ipsam Angelici doctrinam libera mente investigabimus.

[1] *De Trin.*, lib. xv, c. 2.

[2] Lib. I, c. 9, 21.

« Virtutem nemo unquam acceptam a Deo retulit.... Num « quis, quod bonus vir esset, gratias Deo egit unquam ».[1] Cum Ecclesia divinitus edocta, Deo dante, illustrabimus, nihil esse quod iustus magis tribuere debeat bonitati divinae Christoque Redemptori hac ipsa sua iustitia, quam gratia producit, excitat, nutrit et servat, et ad beatitudinis caelestis fructum conducit. Unde in aeternum ore uniuscuiusque iusti resonabit laudis carmen a Beata Virgine in terris inchoatum: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultat spiritus « meus in Deo, salutari meo! ».

2) *De praecipuis auctoribus et fontibus consulendis.*

De gratia S. Thomas variis in locis egit, praesertim in *Commentario Magistri* (II Dist. XXVI-XXIX et IV Dist. I-IV, XIV), in *Summa Theologica* (I-II Qq. CIX-CXIV, II-II, passim de virtutibus et speciatim de gratiis gratis datis), in libro *De veritate* (variis in locis), in *Summa contra Gentiles* (l. III a c. CXLVII ad finem), additis locis superius in praecedentibus nostris voluminibus iam expositis, uti in Prologo diximus.

Tamquam normam huius nostri tractatus sequemur textum *Summae theologicae,* collatis utique de more pro opportunitate aliis quoque ex praedictis fontibus.

Praeter ipsum S. Thomam, consulantur praecipue: 1) ex Patrum aetate imprimis S. Augustini[2] opera, maxime contra

[1] *De nat. Deor,* l. III, c. 82. Haec Ciceronis assertio totam vim accipit ex oppositione quam instituit inter alia quaeque bona, scilicet « externas commoditates vitae », uti ait, pro quibus aequum est grates rependere Deo auctori, et virtutem, cuius nos ipsi per bonum liberi arbitrii usum sumus auctores. Vidimus enim alibi, Tullium tam strenue hoc liberum arbitrium propugnasse, ut, quum non videret modum illud conciliandi cum divina futurorum praescientia, hanc potius quam illud in dubium vocavit.

[2] Augustini meritum in debellando Pelagianismo ita celebrat S. Prosper:

Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit aevo,
Accensum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, et requies Deus est: omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi;
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia: et in sancto regnat sapientia templo. *

* *Carm. de ingratis,* v. 92 sqq. - *P. L.,* t. LI, col. 102.

Pelagianos et Semipelagianos confecta: *De peccat. merit. et remiss.; De spiritu et littera; Sermo de verbis Apost.*, 13(141); *De perfectione iustitiae hominis; De natura et gratia; De gratia Christi et de peccato orig.; Epistola ad Sixtum* presb. rom. (191 vel 105); *De gestis Pelagii; Ad Bonifacium*[1] pap., l. IV; *Epistola ad Vitalem* 218 (107); *Contra Iulianum*, l. VI; *Enchiridion* ad Laurentium; *De gratia et libero arbitrio; De correptione et gratia; Contra Iulianum* op. imp.; *De praedestinatione Sanctorum; De dono perseverantiae; De haeresibus.* Adde scripta S. Prosperi, S. Hilarii et S. Fulgentii cum gratiae quaestione connexa. Magni pariter momenti sunt scripta S. Hieronymi:[2] *Epistola ad Marcellinum* et *ad Ctesiphontem; Dialogi* inter Atticum et Crisobulum; epistolae ad Alipium et Augustinum; necnon praefatio ad libr. IV in Ieremiam. Nec tacendus auctor libri *De vocatione omnium gentium.*

E Patribus Graecis eminet opus S. Basilii *De Spiritu Sancto.*

2) E media aetate eminent S. Anselmus et S. Bernardus, qui non solum praeclare disputarunt de concordia inter liberum arbitrium et gratiam; sed in operibus suis mysticis pulcherrima de gratia et virtutibus habent. Quibus accedunt et alii magni nominis, uti Victorinus uterque, Hugo et Richardus, Sanctae Gertrudis et Hildegardis, necnon Beatus Ioannes Ruybroeck iure dictus Mirabilis.

3) Ex aevo scholastico eminent: Lombardus (II Dist. 26-29, IV, Dist. 1-4, 14) et praecipui eiusdem commentatores: inter alios S. Bonaventura (*Brevil.*, p. 5, etc.); Alex. Halensis (*Summ. theol.*, p. III, Q. 61-69). Quibus accedunt commenta-

[1] De hoc sancto et erudito Pontifice haec scribit S. Prosper: « Cum esset doctis-« simus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini responsa poscebat » (*Prop. 21*, n. 57).

[2] De Hieronymo haec pulchra habet S. Prosper:

Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes,
Hebraeo simul et Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae. *

* Ibid., v. 55 sqq., col. 98.

tores D. Thomae in locum I-II, supra citatum, imprimis Capreolus, Caietanus et Ferrariensis, qui iam ad sequentem aetatem pertinent. Eminet quoque Ioannes Duns Scotus, cuius doctrinam omni cura exposuit Claudius Frassen (*Scotus Academicus. - De divina gratia et virtutibus,* t. VIII).

4) Ex aevo post Conc. Trid.: Estius (*Comment in Sent.* Petavius (*De Deo Deique propriet.,* l. 10; *De Pelag. et Semip. haeres.*); Stapleton (*De iustif.*); Dom. Soto (*De nat. et grat.*); Vega (*De iustificatione seu in Trident.; De Iustif. grat. fide et operibus*); Did. Alvarez (*De auxiliis divinae gratiae*); Thom. de Lemos (*Panoplia divinae gratiae*); Suarez (op. omn. t. VI, VII, VIII); Bellarminus (*Disput. de rebus fidei,* t. II, *de iustif.*); Driedo (*De captivitate et redemptione generis humani; De concordia praedestinationis et liberi arbitrii*); Ricardus Tapperus (*Explicatio articulorum venerandae facultatis sacrae Theologiae generalis studii Lovaniensis,* art. 7, *De libero arbitrio*); Lessius (*De gratia efficaci*); A. Reginaldus (*De mente Conc. Trid.*);[1] P. Casini (*Controversia de statu naturae purae*); Ripalda (*De ente supernaturali*); Reding (*Defens. Conc. Trid.*); Billuart (*Curs. theol. compl.,* t. X); Medina, Sylvius, Ioan. a S. Thom., Salmanticenses, Greg. de Valentia, Molina (*Concordia*);[2] Vasquez, Tanner, Thomassinus, Granados, Meratius (*Comm. in Summam*); Contenson (*Theologia mentis et cordis,* l. VI); Antoine, Kilber (*Theolog. Wirceb.*); Montagne (*De gratia,* ap. Migne, *Curs. theol.,* t. VI, *de gratia*); Clericus a Belliberone (ibid.); S. Franciscus Salesius (*Traité de l'amour de Dieu,* etc.); Tournely (*Praelectiones theologicae de gratia Christi*); Fenelonius (*Lettres sur la Religion; Lettres au P. Lami sur la grâce et la prédestination*); Bossuetius (*La connaissance de Dieu et de soi-même; Elévations; Défense de la tradition des Pères; Avertissement sur les réflexions*

[1] Titulus completus operis est: *De mente Concilii Tridentini circa gratiam efficacem,* cum appendice cui titulus: *Disputatio de conciliatione gratiae et liberi arbitrii habita primum inter Petrum de Soto et Ricardum Tapperum, deinde inter eumdem Ricardum et Iudocum Ravesteyn Tiletanum, per epistolas varias ultro citroque missas.*

[2] Titulus completus huius famosi libri sonat: *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione, ad nonnullos primae partis S. Thomae articulos* (1588).

morales, etc.); S. Alphonsus (*De magno orationis medio* et alibi passim); Card. Gerdil (*Saggio d'istruzione teologica: de gratia*).

5) E recentioribus et praesentis aetatis scriptoribus: Card. Pie (*Seconde instruction synodale sur les principales erreurs des temps présents*); Laforêt (*Les dogmes catholiques*); Gazzaniga (*De gratia*); Scheeben (*Dogm.*, t. II, c. 3, *Natur und Gnade, Die Herrlichkeiten...*); Faure (*Enchiridion S. Aurelii Augustini*); Kleutgen (*Theol. der Vorz.*, l. II, Abhandl. 7); Perrone, Hurter, Katschthaler, Schwetz, Heinrich, Tanquerey, Manzoni, Chr. Pesch (in suis Theol. Cursibus); Schrader (*De triplici ordine*); Glossner (*De gratia*); Oswald (*Lehre von der Heiligung*); W. G. Ward (*On nature and grace*); Card. Mazzella (*De gratia Christi; De Virtutibus infusis*); Card. Satolli (*De gratia*); Palmieri (*De gratia divina actuali; De Deo creante et elevante*); I. Liagre (*De hominis elevatione ad ordinem supernaturalem*); Card. Pecci (*Sentenza di San Tommaso circa l'influsso di Dio sulle azioni delle creature ragionevoli e sulla scienza media*); Th. Bouquillon (*De virtutibus theologicis*); Del Prado (*De gratia et libero arbitrio*); Einig (*De gratia divina*); Jungmann (*De gratia divina*); Lambrecht (*De gratia*); Card. Billot (*De gratia Christi; De sacra traditione contra novam haeresim evolutionismi*); P. Alex. M. Lépicier (*Tractatus de gratia*); Illmus Gay (*De la vie et des vertus chrétiennes*); Konings (*De gratia divina*); G. Lahousse (*De gratia divina*); Cardinalis Mercier (*La vie intérieure*, et alibi passim); Pignataro (*De gratia Christi*); Terrien (*La grâce et la gloire; La vie intérieure simplifiée et ramenée à ses fondements*); Matignon (*La question du surnaturel*); Mannens (*Disquisitio de voluntate salvifica et praedestinatione*); Schiffini (*De gratia divina; De virtutibus infusis*); Guillermin, O. Pr. (*La grâce suffisante* - « Revue Thomiste », l. IX-XI); D. de Chalembert (*La philosophie rationaliste et le surnaturel.* - « Le correspondant », septembris 1862); Kroch-Tonning (*De gratia et libero arbitrio; S. Thomae doctrina cum sententiis Protestantium comparata*); Illmus Waffelaert (*Adnotationes de virtutibus theologicis*, etc.; *Contemplations théologiques*); Van Noort (*De gratia Christi*); Ios. Van der Meersch (*De divina gratia*); Maur. de Baets

(*De gratia Christi; De operationibus divinis*: *'t Lied des Levens*); Hugon, O. P. (*Revue Thomist.*, 1905, t. XIII; *Hors de l'Eglise point de salut*); Garrigou-Lagrange, O. P. (op. cit. in t. VIII); Rmus Abbas Columba Marmion (*Le Christ vie de l'âme*).

Adde opera polemica inter patronos utriusque scholae Molinistae et Thomistae Dummermuth O. Pr., Schneeman et Frins S. I., necnon opus recens Doct. I. Ude, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanae, secundum principia thomismi et molinismi.*

Commendandus iterum hic cl. Pégues, O. Pr., qui suo preclaro opere *Commentaire français littéral de la Somme Théologique de St Thomas* de gratia egregie tractat.

Nec omittendi magni oratores sacri, uti Paulus Segneri, praeter iam laudatum Bossuetium, et inter recentiores, Lacordaire, Monsabré, Janvier aliique, qui non raro argumenta ad gratiam spectanctia tractant. Plura pariter habet Dom Gréa in egregio suo opere cui titulus *De l'Eglise et de sa divine constitution.* Plura quoque inveniuntur sparsa in operibus asceticis celebris anglici scriptoris P. Faber.

Historica reperiuntur inter alios apud Zaccariam (*Thesaur.*, t. V), et apud cl. Alb. De Meyer in recentissima dissertatione doctorali cui titulus *Les premières controverses Jansénistes en France.*

***

Porro *instrumenta praecipua dogmatica* [1] pro praesenti materia sunt, loco suo, iuxta opportunitatem fusius citanda et exponenda:

A) Contra errorem *Pelagianum* et *Semipelagianum:* 1) Canones Concilii *Milevitani* II (416) ab Innocentio I pro-

[1] Summi momenti sunt haec documenta, maxime remotioris aetatis, non solum quia normam credendi exhibent, sed quia traditionis viventis sunt solidissima documenta. Bene Iulius Lebreton: « Nous avons attaché une importance souveraine à « l'enseignement de l'Eglise, non seulement nous soumettant à ses décisions, qui « s'imposent à tout catholique, mais nous inspirant des traditions et de son esprit; « nous estimons, en effet, que la chaîne vive de notre tradition nous reliait plus « étroitement encore et plus sûrement au passé que les commentaires des exégètes et « les dissertations des historiens » (*Les origines du dogme de la Trinité.* – Avant-propos, III, Paris, Gabriel Beauchesne, 1910).

bati (ctr. Pelag.). - 2) Canones Conc. *Carthaginensis* (418) a Zosimo per Tractoriam probati (item). - 3) Canones 25 *Arausicani II* (ctr. Semip.).[1] - 4) Epistola Caelestini I ad episc. Gall. (de erroribus Semipel.) (431). - 5) Can. 1 et 4 Conc. Ephes. (431) (adv. Caelestianos).[2]

B) Contra errores *Gotteschalci*:[3] Concilium Valentinum (855).

C) Contra errores *novatorum:* 1) Concil. Tridentinum (1545-1563) spec. sess. VI, cap. dogm. 16, et canones 33.[4] 2) Propositiones *Baii* 79 a Pio V (1567), dein a Gregorio XIII et Urbano VIII proscriptae. - 3) Propositiones 5 *Iansenii* ab Innocentio X (1653), dein ab Alexandro VII et Clemente XI damnatae. - 4) Propositiones 101 *Quesnelli* a Clemente XI (1713) proscriptae. - 5) Propositiones quaedam *Synodi Pistoriensis* a Pio VI (1794) per Constitutionem *Auctorem Fidei* proscriptae. - 6) Concil. *Vaticanum* (1870), sess. III, cap. 3, de fide; necnon Schemata Constitutionum dogmaticarum.

Dissertatio praevia.

De gratiae definitione et excellentia, necnon de praecipuis erroribus circa gratiam.

Quemadmodum in exordio praecedentis tractationis de hominis elevatione disseruimus de triplice ordine naturali, supernaturali et praeternaturali, ita et heic iuvat nonnulla

[1] In *Carmine de ingratis*, c. 2, S. Prosper unionem Africanae Ecclesiae cum Apostolica Sede in debellando Pelagiano errore celebrat.

[2] Quum in Oriente sub Ioanne Patriarcha Constantinopolitano Pelagiana haeresis revivisceret, a Gregorio Magno illico suffocata est; reviviscentem pariter in Scotia Ioannes IV in epistola ad episcopos huius regionis iterum damnavit. *

[3] De controversia circa doctrinam Gotteschalci cf. Bossuetium (*Défense de la trad.*, part. II, l. VI, ch. 19).

[4] De doctrina Concilii Tridentini loquens, Petavius Augustino reddit hoc testimonium: « Hic fons est a quo post canonicas Scripturas Tridentinum Concilium « et sentiendi de libero arbitrio formam et loquendi regulam accepit ».**

* Cf. Vener. BEDAM, *Hist. Anglic.*, l. II, c. 19.

** *Theol. dogm.*, l. III, *De opif. sex dier.*, l. IV, c. 5, n. 9. Nec tacendum Concilium Senonense habitum, sub Card. a Prato, arch. Senonensi, Parisiis anno 1528. - De quo Suarez ait: « Conc. Trid., quod post 20 annos celebratum est, virtute approbat totam « doctrinam de gratia, quam Concilium Senonense tradiderat; quia eamdem fere « magis explicatam ac locupletatam docet ac definit » (op. cit. *De Gratia*, Prol., 6).

praemittere de gratiae definitione et excellentia, necnon de praecipuis erroribus qui genuinae notioni gratiae eiusque excellentiae adversantur.

1) *De definitione gratiae.*

Misso sensu, qui est veluti praeambulum (*amorce*) ad gratiam de qua hic agitur, elegantia scilicet sive corporis, sive sermonis, sive morum, qui sensus et in sermone gallico (*grâce, grâcieux*) servatur, et qui a Scripturis non est alienus: « Fallax gratia et vana pulchritudo »,[1] gratia, uti S. Thomas exponit in Q. CX, inferius explicanda, triplici praesertim sensu usurpatur: 1) de bona voluntate qua aliquis aliquem prosequitur; 2) de fructu huius bonae voluntatis, seu de dono quod ex ea confertur; 3) de effectu huius bonae voluntatis et doni producto in illo in quem bona voluntas fertur, et qui donum recipit. Multis in Scripturae locis gratia in uno ex his tribus sensibus appellatur.

1) In primo sensu saepius occurrit in V. T. sub forma « invenire gratiam »: « Noë vero invenit gratiam coram « Domino »;[2] et dixit (Abraham): « Domine, si inveni gra- « tiam in oculis tuis ».[3] Hoc sensu Esther dixit Assuero: « Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex »![4] Hoc eodem sensu, at plenissimo, Archangelus Gabriel dixit Mariae: « Invenisti gratiam apud Deum ».[5]

Quae benevolentia si exhibetur erga poenas merentem, dupliciter gratia vocatur. Hic sensus servatur in privilegio moderatorum rerum publicarum, ut etiam capite damnandis vitam concedant. Hanc summam humano generi gratiam meritus est Christus. Unde in eius nativitate cecinerunt Angeli pacem hominibus bonae voluntatis, quia futuri Redemptoris apparitio mortalis erat praeludium supremae

[1] Prov., xxxi, 30. Hanc gratiam esse praeambulum ipsam benevolentiam excitans, apparet ex ipsa rei natura, et illustratur in Scripturis per historiam Ioseph, Esther et Iudith.

[2] Gen., vi, 8.

[3] Gen., xviii, 3.

[4] Esther, vii, 3.

[5] Luc., i, 30.

bonae voluntatis divinae Filium Unigenitum pro nobis dantis.[1]

2) In secundo sensu minus frequenter habetur in V. T., frequentius autem in N. T.: « Gratiam et gloriam dabit « Dominus »;[2] « Dabit capiti tuo augmenta gratiarum ».[3] Hoc sensu idem Archangelus salutavit Mariam « gratia « plenam »,[4] et Ioannes vocat Christum « plenum gratiae « et veritatis », de cuius « plenitudine nos omnes accepimus, « et gratiam pro gratia ».[5] Tritus est iste sensus apud S. Paulum, iure apostolum gratiae nuncupatum, quippe cuius omnes epistolae formula sacra gratiam exoptant: « Gratia « vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo ».[6]

3) In tertio sensu idem Apostolus immediate subiungit: « Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum « pro omnibus vobis »,[7] quae locutio, sive hac forma vel simili plena, sive forma contracta « gratias Deo »,[8] multis in locis apud Paulum recurrit.

Quae gratiarum actio, si tamen humilitate fulciatur,[9] summopere placet Deo. Unde in Evangelio laudatur Samaritanus ille leprosus, qui, caeteris abeuntibus, « regressus est, cum « magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante « pedes eius, gratias agens ».[10] Hanc gratiarum actionem ipsum Christum sedulo egisse legimus, ante miraculosam multiplicationem panum,[11] ante resurrectionem Lazari,[12] ante

[1] Hic sensus hodiedum servatur in expressione gallica « faire grâce » et flandrica: « genadig zijn ».

[2] Ps. LXXXII, 12.

[3] PROV., IV, 9.

[4] LUC., I, 28.

[5] IOANN., I, 14, 16.

[6] ROM., I, 7; I COR., I, 3; II COR., I, 2; GAL., I, 3; EPHES., 1, 2, etc.

[7] Ibid. 8; cf. THESS., II, 3, etc.

[8] I COR., IX, 15.

[9] Cuius defectu Deus reiecit orationem Pharisaei, quae tamen incipiebat verbis: « Deus, gratias ago tibi ». Sed superbe aiebat: « quia non sum sicut caeteri « hominum... velut etiam hic publicanus » (LUC., XVIII, 11).

[10] LUC., XVII, 15 sq.

[11] MATTH., XV, 36; MARC., VIII, 6; IOANN., VI, 11, 23. Non qualemcumque fuisse hanc gratiarum actionem, sed veluti solemnem, ostendunt haec ultima verba Ioannis: « Aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant « panem, gratias agente Domino ».

[12] « Iesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam « audisti me » (IOANN., XI, 41).

consecrationem panis et vini in Coena, unde Eucharistia suum nomen accipit et servat.[1] Unde in Antiqua Lege specialis hostia immolabatur « pro gratiarum actione ».[2]

Hic tertius gratiae sensus per Liturgiam consecratur, dum canit Sacerdos: « Gratias agamus »,[3] et populus respondet: « Deo gratias ».[4] Eodem quoque sensu stimulatur publicus usus hymni *Te Deum*. Gratiarum enim redditio non singulis dumtaxat hominibus incumbit, sed et nationibus, quum Dei Providentia, utpote altissima Sapientia, quae attingit a fine in finem fortiter, et suaviter disponit omnia, imperia non minus curvet quam frontes.[5]

Porro ex his tribus acceptionibus, haec tertia vix ad argumentum pertinet; ex aliis autem duabus ita secunda praestat primae, ut prima sit origo et fons, altera ipsa res ex fonte prosiliens nec a fonte seiuncta. Etenim, uti pulchre ait illmus Gay: « La grâce est comme un fleuve dont la « source même suivrait le cours et formerait les ondes; elle « est comme un rayon dans lequel le foyer qui le lance pas- « serait tout entier ».[6]

Sed in illa re, quae gratiae nomine designatur, considerandum est duplex elementum: materiale scilicet, seu id

[1] Matth., xxvi, 27; Marc., xiv, 23; Luc., xxii, 17, 19. Dum Matthaeus et Marcus gratiarum actionem nonnisi expresse ante calicis consacrationem a Christo dictam referunt, Lucas eam et ante fractionem panis actam narrat.

[2] Levit., vii, 12.

[3] Respondente populo: « Dignum et iustum est », Sacerdos pergit: « Vere dignum « et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere ».

[4] Addi potest et quartus sensus huic tertio valde vicinus, in quo iam non intelligitur de gratitudine pro adepto beneficio, sed de remuneratione quam servo fideli dominus confert. Ita in Evangelio legitur: « Si diligitis eos qui vos diligunt, quae « vobis est gratia? »; * et: « Numquid gratiam habet servo illi quia fecit quae ei « imperaverat? ». ** Sed et heic gratuitatis formale servatur, quum agatur de opere praeter stricte debitum ex abundanti bona voluntate praestitum; unde excluditur pro operibus quae hoc debitum non excedunt.

[5] Hinc tam sublime spectaculum dant nationes quando, parta victoria post diuturnam luctam, supremo Duci exercituum canitur: « Te Deum laudamus, te Domi- « num confitemur ». De tali gratiarum solemnissima redditione nuper die septima iulii Londini habita, – quidni pariter et Lutetiae Parisiorum? - scribebat diarium *Times*: « Multas inter nos numeramus ecclesias, plura fidei symbola, sed omnibus « communis est haec magna veritas: eventus humanos duci ac regi per Providen- « tiam Dei in fines ipsi proprios ».

[6] Op. cit., p. 36.

* Luc., vi, 32; cf. 33.

** Ibid., xvii, 9.

quod est in se; et formale, seu id quod est relate ad originem, seu gratuitas, quatenus provenit ex gratuita bona voluntate. Hoc formale tantopere ingreditur essentiam gratiae, ut inde tota eiusdem ratio sit quaerenda. Nisi enim gratis conferretur, gratia iam non esset. Quod expresse inculcat S. Paulus, ubi ait: « Si autem gratia, iam non ex operibus: alio- « quin gratia iam non est gratia ». [1] Generica igitur gratiae (in secundo sensu intellectae) definitio est: « bonum, seu do- « num a Deo benevolo gratis collatum ».

Haec autem gratuitas triplicem gradum accipit, iuxta gradationem quam in praecedenti tractatione posuimus inter naturalia, praeternaturalia et supernaturalia. Unde gratia distinguitur in gratiam latissimo, minus lato, stricto sensu dictam.

a) *Latissimo* sensu gratia complectitur etiam dona naturae. Nam nihilo nullus inerat titulus cur entia crearentur, actusque Creantis habuit principium liberrimam voluntatem, eamque benevolam. [2] Sed si dona naturae gratuita sunt, non possunt dici gratuita tamquam indebita enti iam existenti.

b) *Minus lato* sensu, gratia vocantur ea dona quae sunt quidem natura iam existenti indebita, ita tamen ut illam naturam in se ipsa perficiant. Ita immortalitas, integritas, hoc sensu gratia nuncupantur. Huc referenda sunt dona quae solent vocari *praeternaturalia*. [3]

[1] Rom., xi, 6.

[2] Hoc sensu dixit Augustinus: « Quadam non improbanda ratione dicitur gratia « Dei, qua creati sumus, ut nonnihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver « quod non vivit, aut arbor quae non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed « homines, qui et essemus, et viveremus, et intelligeremus, et de hoc tanto bene- « ficio Creatori nostro gratias agere valeamus »; * et rationem addit, quod haec naturae dona sunt « non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gra- « tuita Dei bonitate donata ». Gratias igitur agentes Deo de naturae donis, iam fatentur haec dona gratias esse; gratiae enim pro gratiis redduntur. Ita intelligenda sunt quaecumque de hoc argumento in asceticis operibus vel concionibus legi aut audiri solent. Sed haec acceptio, propter controversias Pelagianas, confusionis vitandae causa (naturam quippe Pelagius gratiam dicebat), extra usum facta est. – Unde Augustinus addit: « Alia tamen est (gratia) qua praedestinati vocamur, iustificamur, « glorificamur, ut dicere possimus: ‘ Si Deus pro nobis, quis contra nos ,,. Qui pro- « prio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum » (Rom., viii, 31, 32).

[3] Cf. quae in exordio praecedentis nostri tractatus de his donis conscripsimus (p. 27 sqq.).

* *Epist. 277 (95) ad Innoc. I.* - *P. L.*, t. xxxiii, col. 767.

c) *Stricto* tamen sensu gratiae nomen illis donis reservatur, quae naturam simpliciter et undequaque excedunt, et proin radicantur in mere gratuita Dei voluntate naturam humanam sive angelicam supra seipsam absolute elevantis.[1] Haec est gratia proprie dicta, quam contra Pelagium catholici vindicabant. Etenim, postquam Pelagius, verbo ludens, in Concilio Diospolitano, gratiam confessus, absolutionem acceperat, iam detecta fraude, cautius deinceps gratiae appellatio illis solis donis reservata est, quae naturam prorsus excedunt, et de quibus ab antiquitus hoc nomen invaluerat. Audiatur Augustinus: « His auditis verbis » (Pelagii scilicet se gratiam confiteri dicentis, dum nihil intelligebat nisi gratiam naturae), « catholici antistites » (Synodi Diospolitanae) « nullam aliam Dei gratiam intelligere potue-« runt, nisi quam in libris Dei legere et populis Dei prae-« dicare consueverunt: eam utique, qua iustificamur ab ini-« quitate, et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati « sumus cum propria voluntate... Quapropter non culpandi « sunt iudices,[2] quia ecclesiastica consuetudine nomen gra-« tiae audierunt nescientes, quid huiusmodi homines » (Pelagiani) « vel in suae doctrinae libris, vel in suorum solent « auribus spargere ».[3]

Quum autem haec dona supernaturalia in ordine ad finem supernaturalem conferantur, sequitur iam gratiae definitio specialis: « donum supernaturale creaturae rationali gratis « a Deo concessum, in ordine ad vitam aeternam ». Cuius definitionis, post praemissa, iam singula evolvere verba superfluum videtur. Modo unum moneatur: vocem *gratis* non omnino redundare post verba « donum supernaturale », excludit enim illa dona, quae sunt utique supernaturalia, sunt tamen aliquo modo debita, merito scilicet cui respondent. Sed non ideo illa merita cessant esse dona. Etenim quatenus non sunt debita meritis quibuscumque, sed ex

[1] Cf. dicta ibidem p. 17 sqq.

[2] Severius hanc synodum iudicaverat Hieronymus. Cf. in nostro praecedenti volumine notulam historicam de Pelagio.

[3] *Ep. 177 (95). - P. L.*, t. XXXIII, p. 765. Cf. CONR. MARTIN, *Omn. Conc. Vat. docum.*, coll. p. 27; Card. KATSCHTHALER, *Theol. dogm. cath. spec.*, l. II. p. I, p. 8. Quomodo naturae dona sint debitum, videbimus apud Angelicum infra.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

gratia acquisitis, iure et ipsa vocantur gratia. Recte igitur potest dicere Augustinus: « Gratia est, qua praedestinati « vocamur, iustificamur, glorificamur ».[1] Quo magis systema theologicum innititur gratuitati praedestinationis, eo magis ipsa glorificatio in eodem gratiae nomen meretur.

Ex dictis liquet, rectam gratiae notionem pendere a recta naturalium et supernaturalium donorum notione, quam in dissertatione praevia praecedentis nostri tractatus fuse exposuimus.[2] Mirum proin nemini videbitur, si Hermesius[3] et Güntherus[4] insufficientes prorsus gratiae definitiones tradiderunt. Prior in ea nihil invenit nisi influxum divinum quo praeponderantia sensualitatis per peccatum invecta debellatur. Alter scribit: « Unter Gnade könne nichts Ande- « res verstanden werden als jeglicher Einfluss Gottes auf « die Creatur ». Nec ipsi catholici theologi semper sat clare et adaequate de gratia locuti sunt. Exemplo sit sequens declaratio Klee: « Wir verstehen hier unter Gnade Gottes « Kraft und That in der Creatur zur Erhaltung oder Her- « stellung und Vollendung ihres Rapports zu ihm, als worin « ihr Heil, ihre Wahrheit, Freiheit und Seligkeit besteht. « Das materiale Moment der Gnade ist die göttliche That « oder Gnade selbst, ihr formales die absolute Freiheit, mit « welcher Gott sie wirkt oder schenkt ».[5] De qua definitione optime dicit Katschthaler: « Etiam haec notio, quamquam « catholice explicari potest, minus apta est, cum non accu- « rata existat ».[6] Et sane in hac definitione neque ordinum distinctio, neque gratuitas ex ipso supernaturali ordine resultans sat adaequate declarantur.

Pariter deficiunt locutiones quibus potestas obedientialis ad elevationem in homine exaggeratur, quasi elevatio non esset nisi veluti connaturalis actuatio huius potestatis. Quare

[1] Ibid., p. 768.

[2] *Dissertatio praevia de triplici ordine naturali, supernaturali et praeternaturali* (p. 12 sqq.). Egregie doctrinam de ordine naturali et supernaturali contrahit card. Mercier in suo laudato opere cui titulus: *La vie intérieure. Appel aux âmes sacerdotales*, p. 468 sqq.

[3] *Dogm.*, III Th., § 277 sqq.

[4] *Letzt. Symbol.*, p. 25.

[5] *Dogm.*, t. III, p. 26.

[6] Op. cit., p. 10.

non probanda sunt quae scribit D. Ligeard: « On peut « par l'analyse psychologique des tendances de la nature « humaine, sans faire intervenir les données de la révéla- « tion, démontrer à un croyant, qu'il y a en lui une ten- « dance naturellement inexplicable, une *aspiration* positive « au surnaturel ». Et: « Le surnaturel est-il l'introduction « d'une énergie totalement étrangère à son être, ou bien, « n'est-il que la transformation, la surélévation de l'activité « naturelle elle-même? ». [1] In quo deficiente dilemmate insuper appellatio « énergie totalement étrangère à son être » infelix est, utpote aequivoca.

Gravius autem longe in hoc erravit Lamennais: « Qu'ap- « pelle-t-on ordre surnaturel? Dieu et la création, voilà tout « ce qui est; hors de là, rien n'est possible. Dieu a son « essence et ses lois propres; la création a son essence et « ses lois propres, dérivées de l'essence et des lois de Dieu... « Les relations nécessaires, permanentes, qui existent entre « Dieu et la création, n'altèrent ni l'essence respective, ni « les lois de l'un et de l'autre; au contraire, elles résultent « de ces lois et de cette essence même. Il n'y a donc que « *deux ordres,* c'est-à-dire *deux modes généraux d'exis-* « *tences possibles:* le mode d'existence de Dieu, le mode « d'existence de la création, *également naturels* ou confor- « mes à la nature et à l'essence de Dieu, à la nature et à « l'essence de la création. Tout autre ordre qu'on s'effor- « cerait d'imaginer, ou ne serait qu'une incompréhensible « illusion de l'esprit, ou impliquerait la négation soit de « Dieu, soit de la création, en détruisant et leur essence et « leur caractère distinctif ». [2]

Pulcherrime e contra de supernaturali munere card. Mercier: « La munificence divine s'est déversée sur l'humanité « avec une abondance d'amour et de miséricorde que le « génie de l'homme n'eût jamais pu ni espérer ni conce- « voir. La vie divine elle-même est devenue le partage de « la créature. Nos premiers parents furent créés avec la « faculté d'entrer en commerce direct, immédiat, avec Dieu

[1] *La théologie scolastique et la transcendance du surnaturel,* p. 117, 7.

[2] *Esquisse d'une philosophie,* t. II, p. 81 et *De la société première et de ses lois,* c. II, p. 77.

« par la vision béatifique dans la vie future, par la grâce « sanctifiante et les vertus théologales de foi, d'espérance « et de charité, dès la vie présente. Appelés ainsi à une « fin *surnaturelle,* c'est-à-dire supérieure à toutes les pré- « tentions légitimes et à toutes les capacités de leur nature, « voire même de n'importe quelle nature créée ou créable; « en possession de *moyens* en harmonie avec cette fin suré- « minente, c'est-à-dire *surnaturels* comme elle-même, nos « premiers parents étaient établis dans un *ordre surnaturel.*

« Leurs descendants devaient, d'après le plan primitif de « la Providence, bénéficier tous, par droit d'héritage, de ce « privilège ».[1]

***

2) *De excellentia gratiae stricte dictae.*

Iuvat igitur ab exordio huius tractatus singularem extollere excellentiam gratiae stricte dictae. Quidquid enim exprimitur per elevationem ad ordinem supernaturalem, id totum in nobis per gratiam producitur, alitur, iuvatur, sanatur, consummatur. Quin et dona praeternaturalia complectitur; non autem per se, sed in ordine ad supernaturalia stricte dicta.

Porro, sicuti iam alibi diximus, complexus horum donorum sive harum gratiarum unica appellatione comprehendi potest: filiatione adoptiva. Omnes enim gratiae presse sumptae, imo omnes dotes praeternaturales huc tendunt ut creatura intellectualis angelica et rationalis humana, super ordinem naturalis subiectionis qui ex ipsa creatione existit inter Creatorem et creaturas, elevetur ad participationem ipsius naturae divinae, ope verae adoptivae filiationis, quae in adoptatis non solum realem titulum supponit, sed per hunc ipsum producitur. Id est quod Ioannes tam emphatice proclamat in exordio Evangelii sui: « Dedit eis potestatem « filios Dei fieri ».[2] Et: « Videte qualem charitatem dedit « nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus: charissimi, « nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus·

[1] Op. cit., p. 35.
[2] Ioann., I, 12.

« Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quo-« niam videbimus eum sicuti est ».[1] Unde, teste Paulo, Deus nos praedestinavit in adoptionem filiorum Dei.[2] Haec adoptio in novam vitam, nativitatem novam supponit et prorsus exigit: « Amen, amen dico tibi – ait Christus Nicodemo – nisi « quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum « Dei ».[3] Ambitus enim carnis, hoc est virium naturalium, non superat carnem, id est simplicem naturam. Inde exigentia novae generationis ex Spiritu: « Quod natum est ex carne, « caro est; quod natum est ex Spiritu, spiritus est ».[4] Haec nova nativitas est veluti nova creatio. Quae nova creatura producitur per Spiritum Dei et Christi, iuxta illud Psalmistae: « Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis fa-« ciem terrae ».[5] Unde in hymno vocatur: « Creator Spiritus ».

Quemadmodum in ordine naturae Deus omnia creavit per Verbum, ita in ordine gratiae omnia elevavit et recreavit per Verbum incarnatum Christum.[6] Unde Paulus ad Ephesios scribit: « Ipsius (Dei) sumus factura, creati in « Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut « in illis ambulemus ».[7] « Induite novum hominem qui secun-« dum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ».[8] Unde fidelis est « in Christo nova creatura ».[9] Hanc oeconomiam novam pulchre describit Petrus: « Gratia vobis Dei « et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Iesu Do-« mini nostri; quomodo omnia nobis divinae virtutis suae,

[1] I Ioann., ii, 1-2.

[2] Ephes., i, 5.

[3] Ioann., iii, 3. Hoc colloquium Christi cum Nicodemo egregie illustrat Emus card. Mercier (*La vie intérieure*, p. 18 sqq.).

[4] Ibid., 6.

[5] Ps. civ, 30.

[6] Opus enim Incarnationis est praeludium et arrha nostrae in Christo et per Christum elevationis. Bene rursus cl. D. Baets: « Want het menschworden van het « Woord opende voor ons geslacht een glanzend verschiet van glorierijke toekomst. « Vergoddelijkt in een der zijnen, mocht het menschdom verhopen dat een mede-« deeling der goddelijke rijkdommen op zijn overige leden zou nederdalen. Kon het « immers betamen dat de broeders van dien Groote ellendigen zouden blijven? ». *

[7] Ephes., ii, 8.

[8] Ibid., iv, 24.

[9] II Cor., v, 17.

* *'t Lied der Levens*, p. 116.

« quae ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem « eius, qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quam « maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec « efficiamini divinae consortes naturae ».[1] Hic est sensus plenus exclamationis Psalmistae ab ipso Christo commendatae: « Ego dixi *dii* estis, et *filii Excelsi* omnes »;[2] necnon locutionis Ioannis: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri ... « qui ex Deo nati sunt ».[3] Hinc ipse Christus suis discipulis dixit: « Iam non dicam vos servos, quia servus nescit « quid faciat dominus eius » (en relationem naturalem Deum inter et homines, sive Angelos); « vos autem dixi amicos: « quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci « vobis »[4] (en elevationem ad ordinem gratiae).

Fortiter hanc sublimem oeconomiam ita exprimit illmus Gay: « Dieu, par un acte d'amour très libre, a éternelle- « ment résolu de communiquer sa vie propre, de dire son « Verbe à la créature et de répandre en elle son Esprit.... « Comme Dieu se dit et se donne au dedans de lui-même, « il a décrété de se dire et de se donner au dehors ».[5] « La participation pour nous à cette vie divine - ait bene « Abbas Marmion - se réalise par la grâce, en vertu de « laquelle notre âme devient capable de connaître Dieu « comme Dieu se connaît, d'aimer Dieu comme Dieu s'aime, « de jouir de Dieu comme Dieu est rempli de sa propre « béatitude, et ainsi de vivre de la vie de Dieu lui-même ».[6]

De gratuito et inenarrabili amoris dono quo Deus creaturam rationalem ad seipsum attrahit, pulchre scribit pius card. Mercier: « Dieu m'aime! Que suis-je, pour que je sois « l'object des complaisances divines? Je n'ai rien, je ne suis « rien; et avant que je fusse, le Sur-Etre pensait à moi, réa- « lisait ma possibilité d'être en me dotant de l'existence;

[1] II PETR., I, 2-4. Hinc a S. Thoma gratia vocatur: « Participata similitudo « divinae naturae » (III, Q. LXII, a. 2); et gratia passim appellatur *deiformis*.

[2] PS. LXXXI, 6; IOANN., X, 34.

[3] IOANN., I. Pulchre hunc prologum in laudato opere illustrat card. Mercier (p. 322 sqq.).

[4] IOANN., XV, 15.

[5] *De la vie et des vertus chrétiennes dans l'état religieux. - De la vie chrétienne*, p. 18 sq.

[6] *Le Christ vie de l'âme. - Notre prédestination en Jésus-Christ*, p. 21.

« puis, sur cette première miséricorde, greffait des racines « d'effusions d'amour qui vont jusqu'à me faire partager sa « vie et à me fournir les moyens de partager sa gloire. « " Soyez béni, ô mon Dieu, pour ce bienfait dont nous « sommes impuissants à estimer la valeur! ". *Gratias Deo « super inenarrabili dono Eius* ».[1] Unde in hac pie audacia prorumpit: « Cependant, ô mon Dieu, le dirai-je? Que vous « m'ayez *tant* aimé, m'étonne moins, étant donné que vous « m'aimez. Il me semble entrevoir que, si vous m'aimez, « vous deviez, comme poussé par la logique de votre divin « amour, m'aimer jusqu'au bout, *usque in finem,*[2] jusqu'au « terme qui, pour notre orgueil et notre égoïsme grossier, « ne peut être que de la folie, folie de votre Evangile, folie « du Crucifiement de votre Fils, folie de votre existence « eucharistique. C'est là votre façon, à vous, de confondre « notre arrogance ».[3]

Iam vero quoad hanc gratiam presse sumptam[4] nihil essentialiter interest inter homines et Angelos, quum Angeli non minus quam homines, licet sibi inferiores, natura sint servi.[5] Imo tam praecelsa est haec elevatio ad consortium divinae naturae, ut repugnet creari aliquod ens tam sublime cui hoc consortium tamquam naturale debeatur. Gratia enim presse sumpta est qualitas tam excelsa ut substantialiter non existat nisi in Deo, sitque ipse Deus. Unde rursus patet veritas sententiae a nobis alibi propugnatae de impossibili-

[1] II Cor., IX, 15.

[2] Huc referri possunt pulcherrima verba Lammenais: « Dieu n'a mis de bornes « à ses dons que les bornes mêmes qui les rendent possibles, la limite inhérente à « ce qui est fini, et ne serait point s'il n'était fini. Mais cette limite éternelle éter- « nellement fuira devant nous, semblable aux ombres qui se replient devant l'astre « du jour, lorsque, émergeant à l'horizon, il monte et monte encore; et notre gran- « deur est de sentir que, si l'expansion de notre être, au sein de l'Etre de qui tout « émane, est et sera toujours finie, elle n'a de terme que l'infini même ». *

[3] *La vie intérieure,* p. 121.

[4] Aliter quoad gratiam minus presse sumptam. Dotes enim praeternaturales uti immortalitas, Angelis sunt naturales; aliae, uti integritas, vix habent ad Angelos respectum.

[5] Imo non desunt qui censeant, in hoc constitisse malorum Angelorum peccatum, quod propriis viribus illam cum Deo similitudinem requirere voluerint, quam nonnisi per gratiam a Deo gratuito obtinere potuissent.

* *De l'Art et du Beau. Résumé et conclusion. Fin.*

tate creationis substantiae supernaturalis.[1] Quum igitur elevans gratia efficiat tum Angelos tum homines participes divinae naturae, omnes simul habent cum Verbo hanc specialem relationem, qua ad Filium naturalem referuntur filii adoptivi.

Sed ecce magnum discrimen oritur inter Angelos et homines.[2] Homines enim ob peccatum originale nascuntur non solum natura servi, sed, iuxta Pauli dictum, natura « filii irae ».[3] Potuisset sane Deus alia via, praeter Incarnationem et Redemptionem, hominum lapsum reparare.[4] Voluit autem ut nulla alia via haec reparatio produceretur praeter Christum, salutis simul et gratiae mediatorem. Statuit enim « instaurare omnia in Christo ».[5] Etenim « non est in « alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo « datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».[6]

Imo tam plene Christus est humani generis instaurator, ut ipsa reparationis gratia a Capite in membra defluat ad maiorem ita efformandam unionem, quam ipse Christus imagine vitis[7] eloquentissime expressit. Hanc veritatem S. Ioannes proclamat dicens: « De plenitudine eius nos omnes acce- « pimus, et gratiam pro gratia ».[8]

[1] Loc. cit., p. 24 sq.

[2] Abstrahimus heic a quaestione utrum et quousque omnes gratiae Angelis concessae habeant relationem ad Christum, Deum-Hominem. De qua quaestione iam nonnihil diximus in nostro tractatu *De Deo-Homine,* * et plura addemus infra, ubi distinctionem illustrabimus inter gratiam Dei et gratiam Christi. Certum est, Angelorum gratiam non derivari a Christo formaliter considerati uti Redemptoris. Boni enim Angeli nulla umquam redemptione egerunt, mali autem nullam redemptionem acceperunt.

[3] Ephes., ii, 3.

[4] De hac possibilitate disputavimus in nostro tractatu *De Deo-Homine.*

[5] Ephes., i, 10.

[6] Act., iv, 12.

[7] Ioann., xv, 1 sqq. Bene de hoc Christi verbo Terrien: « Cette vie nouvelle « m'est donnée par la vigne dont je suis le sarment; ma vie vient de la sève, ma sève « vient du cep. Sans lui je n'ai rien, je ne suis rien, rien qu'un cadavre. De quoi « présumer? de quoi me prévaloir? Si je veux présumer de moi, je me sépare du « cep, j'arrête la sève, je perds la vie. Le membre que l'âme ne peut pas animer « pleinement, perd ses forces, languit et meurt ». **

[8] Ioann., i, 16.

* T. i., *Christologia,* p. 386 sqq.

** *La vie intérieure simplifiée et ramenée à son fondement,* p. ii, c. 3, 247.

Per mirabilem enim effluxum huius plenitudinis qua in ipso Christo erat opus Spiritus, ipse Spiritus Christi fit Spiritus noster,[1] idque tam necessario ut nonnisi per istum Spiritum Christo inhaerere possimus: « Si quis autem Spi« ritum Christi non habet, hic non est eius ».[2] Inde inter Christi fideles intimus oritur nexus. Christus enim non solum est primogenitus in multis fratribus, sed unum cum suis membris efformat corpus mysticum, cuius ipse est caput, quod vitali nexu totum corpus regit et nutrit. Tam intime enim Ecclesia, Christi Sponsa, unitur suo Sponso, ut unum cum eo corpus constituat. Inde Paulus de Christo ait: « Omnia (Deus) subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit « caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius et ple« nitudo eius ».[3] Quod opus fuit a Christo summo studio intentum: « Dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut « illam sanctificaret ».[4] Unde pridie mortis orat Patrem: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, « ut et ipsi in nobis unum sint.... Ut sint consummati in « unum ».[5]

Nec ipsa dumtaxat Ecclesia est Christi Sponsa. Singula eius membra sponsali eadem dignitate congruisque dotibus decorantur. Optime illm̃us Gay: « L'Epoux se donne à l'épouse

[1] Unde Paulus exclamat: « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Chri« stus ».* Et S. Teresia canit:

Vivo sin vivir en mi
Y tan alta vida espero
Que muero porque non muero.

[2] Rom., viii, 9. Hinc quidquid in anima per gratiam producitur, est veluti quaedam extensio operis Incarnationis. Optime illm̃us Gay: « A raison de la résidence habi« tuelle de la Trinité divine dans l'âme chrétienne, vous comprenez la dignité dont « cette âme est investie et le valeur inouïe qu'elle acquiert. Elle est positivement « un trône, un palais, une cité, un royaume; et parce que son souverain est Dieu, « elle est un véritable temple. Elle est un paradis terrestre et déjà même un ciel. « Unie à son corps, elle devient une extention de la sainte humanité du Verbe, et « comme une humanité secondaire que Jésus daigne relier à la sienne. Il s'ensuit « que le mystère du Christ se reproduit ici en raccourci. Ce mystère est le type « absolu; régulièrement tout s'y conforme ». **

[3] Ephes., i, 22, 23.

[4] Ibid., v, 25, 26.

[5] Ioann., xvii, 21, 23.

* Gal., ii, 20.

** Op. cit., p. 42.

« et c'est là son grand don; mais il apporte aussi sa dot; « et le premier emploi qu'il en fait, c'est de parer celle qu'il « s'unit. Ainsi fit le Verbe; se donnant d'abord en personne « à son humanité, il l'enrichit en outre par toutes sortes de « présents, il la pare des atours les plus magnifiques.... Or « c'est ce qui, proportion gardée, se passe dans notre sancti- « fication. Par respect pour lui-même et par bonté pour « nous, l'Epoux divin apporte sa dot avec lui, et nous fait « mille largesses; il nous perfectionne humainement, il nous « pare divinement ». [1]

Mysticas has delicias ab unione cum Christo capite fidelibus obvenientes poëtice cecinit Psalmista: « Ecce quam bo- « num et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut « unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam « Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Sicut « ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic « mandavit benedictionem et vitam usque in saeculum ». [2] Hinc novo titulo, non solum in Testamento Vetere ignoto, sed neque Angelis plene communi, orantes dicimus *Pater noster.* [3] Si enim et Angeli sunt filii adoptivi, nos insuper sumus filii adoptivi per Iesum Christum Dei Filium et fratrem nostrum, quocum tantopere unum corpus efformamus, ut omne opus a nobis complendum Paulus exprimat « donec « occurramus omnes ... in virum perfectum, in mensuram « aetatis plenitudinis Christi ». [4] Unde S. Augustinus pulchre ait: « Totus Christus caput et corpus est: caput Unigenitus « Dei Filius, et corpus eius Ecclesia ». [5]

Ad hunc peculiarem respectum gratiae efficacius exprimendum tractatui nostro titulum dedimus *de gratia Dei et Christi.* Eo vel magis quod quidquid in oeconomia gratiae et salutis respectum habet directius medicinalem, magis intime

[1] Op. cit., p. 43.

[2] Ps. CXXXIII. Fuse de hac gratia capitis in Christo et membrorum a Christo, scripsimus in nostro tractatu *De Deo-Homine,* t. I, p. 274 sqq.

[3] Cf. pulchra verba S. Petri Chrysologi de hoc exordio Orationis Dominicae. (Ord. 68. - Cf. operis nostri t. VIII, p. 21).

[4] EPH., IV., 13. Recte monet P. Prat, S. I., Apostolum ad hanc fundamentalem veritatem efficacius exprimendam plura nova vocabula creasse (*Théologie de St Paul,* t. II, p. 52).

[5] *De Unitate Ecclesiae,* 4.

connectitur cum divino Samaritano, qui medicinam nobis et supremae virtutis viaticum dedit Corpus suum et Sanguinem, ad plenissimam illam exprimendam unionem quam inter se et nos adesse proclamavit, ad imaginem unionis substantialis, qua ipse in Patre et Pater in eo est.[1]

Haec gratiarum oeconomia a Christo in Ecclesiam derivata, per Legem nonnisi figurabatur. In se enim erat Lex timoris, iuxta celeberrimam Pauli sententiam, quae totam genesim gratiae usque ad gloriam exhibet:[2] « Nam quicum-« que Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim acce-« pistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis « spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba « (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui « nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes: hae-« redes quidem Dei, cohaeredes autem Christi ». Et pergit Apostolus respectum patientis christiani ad Christum passum indeque glorificatum eloquenter illustrans: « Si tamen com-« patimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non « sunt condignae passiones huius temporis ad futuram glo-« riam, quae revelabitur in nobis ».[3]

Pulcherrime idem exprimit S. Petrus his verbis: « Deus « omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam « in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirma-« bit, solidabitque ».[4]

Hinc in eadem epistola magnificis titulis fideles appellat: « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, popu-« lus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tene-« bris vos vocavit in admirabile lumen suum ».[5] Et paulo ante una synthetica sententia ostendit, huius tantae exaltationis terminum *a quo* esse in Deo misericordiam, in nobis conditionem lapsam; medium autem, redemptionem per Christum; finem vero, caelestem gloriam, ope gratiae et

[1] Ioann, vi, 57; xvii, 21.

[2] Sicut enim ipse ordo supernaturalis, ita et gratia potest distingui; *sanctificans* (initium), *secundum vim sanctificatricem* (viae) et *beatificans* seu *glorificans* (terminus). Cf. loc. cit. p. 20.

[3] Rom., viii.

[4] i Petr., v, 10.

[5] Ibid., ii, 9.

patientiae acquirendam: « Benedictus Deus et Pater Domini « nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam « magnam regeneravit nos in spem vivam per resurre- « ctionem Iesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorru- « ptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conser- « vatam in caelis in vobis, qui in virtute Dei custodimini « per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novis- « simo. In quo exultabitis modicum nunc si oportet contri- « stari in variis tentationibus: ut probatio vestrae fidei « multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur « in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Iesu « Christi ».[1]

Hanc excelsam dignitatem gratiae atque finis supernaturalis in quem tendit, a primis temporibus invenimus in Patrum scriptis et in Liturgiis expressam. Pauca testimonia sufficiant. S. Ignatius in sua ad Ephesios epistola ait: « Cognovi autem nonnullos illic transiisse, qui habent per- « versam doctrinam; quos non permisistis seminare inter vos, « et obturastis aures, ne reciperetis quae ab ipsis sunt dis- « seminata: ut qui lapides sitis templi Dei Patris, praeparati « in Dei Patris aedificium; sublati in alta per machinam « Iesu Christi, quae est crux, Spiritu Sancto pro fune uten- « tes: fides autem vestra subrectrix vestra, caritas vero via « deducens ad Patrem. Estis igitur, et viae comites omnes, « Deiferi et Templiferi, Christiferi, Sanctiferi, per omnia « ornati praeceptis Iesu Christi ».[2]

Nec minus expresse loquitur Origenes: « Quod si verba « urgere oportet, dicemus, quaedam esse supra naturam, « prout hanc vocem plerique intelligunt, quae Deus efficere « possit: ut cum hominem supra naturam humanam effe- « rens, participem facit melioris diviniorîsque naturae, eum- « que ita conservat, quamdiu is qui conservatur per ea quae « facit, ita se velle probat ».[3]

Huc adducendi essent testimonia Patrum, qui ex hoc quod per Spiritum Sanctum in Dei templa sacramur, contra Mace-

[1] Ibid, I.

[2] N. 9.

[3] *Ctr. Cels.*, l. v, n. 23. - Cf. HIPPOL., *Demonstr. de Chr. et Antech.*, n. 3; *Homil. in Theophan.*, n. 8, n. 10; DION. ALEX., *Ctr. Paul. Samos.*, resp. ad 7m quaest.

donianos arguunt ad divinitatem Spiritus Sancti adstruendam.[1]

Pulcherrime gratiae et finis supernaturalis excellentiam exprimit haec oratio e Liturgia Alexandrina S. Basilii deprompta: « Deus, qui tantopere dilexisti nos, ut concederes « nobis adoptionis dignitatem, ut filii Dei vocaremur et « essemus; haeredes quidem tui, Patris, cohaeredes autem « Christi tui... caste purissimi mysterii participes fiamus, « sanctificemurque in integrum, in anima, corpore et spi- « ritu, concorporei, comparticipes et uniformes effecti Christo « tuo ».[2]

Catholicam hanc de oeconomia supernaturali doctrinam Concilium Vaticanum ita solemniter proclamavit: « Deus « ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem super- « naturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae huma- « nae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem ocu- « lus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, « quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum ».[3]

Si iam inter se conferimus appellationes multiplices quibus gratiae Dei et Christi qua vocamur, iustificamur, et in aeternam beatitudinem conducimur, et quaerimus, quid inter istas appellationes intersit, et quo ordine se teneant ad invicem, evidens est, alias appellationes magis respicere ordinem reparatae salutis et redemptionis per Christum, uti sunt: « redemptio », « nova creatura » (in strictiori sensu), « iusti- « ficatio », imo « salus », et passim quae nexum ad Christum Redemptorem exprimunt; alias autem magis absolute respicere ordinem elevationis in se consideratae, quales sunt: « consortium divinae naturae », « filiatio », « haereditas », « glorificatio », imo « sanctificatio » quatenus distinguitur a « iustificatione ». Omnes autem appellationes compositae, uti « cohaeredes », « conglorificatio », habent simul respectum absolutum et relativum ad Christum.

Ordo autem in hisce donis potest dupliciter considerari: alter intentionis, alter executionis. In ordine intentionis primum locum tenet consilium altissimum Dei creaturam tum

[1] Cf. inferius Q. cx, art. 1, 2.

[2] Renaudot, *Liturgiarum Orient. Collect.*, t. I, p. 78.

[3] *Sess.* III, c. 2, *De Revelatione.*

angelicam, tum humanam ad filiationis divinae dignitatem elevandi, ac ita ad beatam fruitionem vitae divinae praedestinandi. Ordo autem executionis alius pro Angelis, alius pro homine lapso. Pro homine lapso primum opus est ipsum opus Redemptionis per Christum, quod, etsi tempore posterius pro illis qui ante Christum nati sunt, non habuit etiam pro illis effectum plenum nisi post completum reparationis opus.

Imo incarnatio Filii Dei,[1] opus redemptionis per Christum complendum, et eiusdem glorificatio in se et in membris suis, est primum opus a Deo praedestinatum. Quod ita eleganti comparatione illustrat S. Franciscus Salesius: « On ne plante « principalement la vigne que pour le fruit; et partant, le « fruit est le premier désiré et prétendu, quoique les feuilles « et les fleurs précèdent en la production. Ainsi le grand « Sauveur fut le premier en l'intention divine, et en ce projet « éternel que la divine Providence fit de la production des « créatures; et en la contemplation de ce fruit désirable « fut plantée la vigne de l'univers, et établie la succession de « plusieurs générations, qui, à guise de feuilles et de fleurs, « le devaient précéder, comme avant-coureurs et préparatifs « convenables à la production de ce raisin que l'Epouse « sacrée loue dans le Cantique,[2] et la liqueur duquel[3] réjouit « Dieu et les hommes ».[4]

Christus autem est Mediator non solum Redemptionis, sed totius ordinis supernaturalis, qui, totus in Dei laudem intentus, per Christum redit in Deum a quo procedit: « Le but « suprême de l'organisation surnaturelle – ait card. Mercier – « est la glorification de Dieu par le Christ Jésus: " Ut in « omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est « gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen „. La

[1] Unde eminenter ad Christum et ad eius opus salvificum applicanda sunt illa verba, quae Liturgia Beatae M. V. applicat: « Dominus possedit me in initio viarum « suarum, antequam quidquam faceret a principio.... Cum eo eram cuncta compo- « nens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in « orbe terrarum: et deliciae meae esse cum filiis hominum ». *

[2] CANT., I, 3.

[3] IUDIC., IX, 13.

[4] *Traité de l'amour de Dieu,* l. II, ch. 5,

* PROV., VIII, 22 sqq.

« Sainte Trinité a voulu la glorification du Verbe fait homme, « et la gloire qu'Il a reçue, le Christ Jésus la fait remonter « à son Père; Il restitue la créature à son Principe: l'ordre « universel se couronne dans l'Unité de *Dieu* qui est *Tout* « en tout.

« La vie divine en Dieu et la vie de la grâce dans l'Eglise « forment cycle ». [1]

Pro singulis hominibus a Christo salvatis, de adultis loquendo, in quibus ordinarius salutis cursus exhibetur, initium est iustificatio, quae tamen simul est sanctificatio, quum peccata non remittantur, nisi per donum gratiae elevantis. Hoc autem donum est essentialiter, radicitus consortium divinae naturae, ex quo consortio fluit filiatio, quae filiatio importat ius in haereditatem, quod ius sese explicat in aeternam beatitudinem. Nexum inter filiationem et caelestem gloriam pulchre declarat S. Ioannes: « Charissimi, « nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. « Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quo- « niam videbimus eum sicuti est ». Unde addit: « Et omnis, « qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut et ille sanctus « est ». [2] Habes ergo terminum *a quo,* viam et terminum *ad quem.* Hunc ordinem pulcherrime exhibet textus S. Pauli superius allatus: « Accepistis Spiritum » (en vim tribuentem consortium divinae naturae seu vitae), « adoptionis » (ex hoc spiritu effluentis). « Si autem filii et haeredes... ut conglorifi- « cemur ». Haec tamen omnia, in ordine Redemptionis sunt inseparabilia a iugi influxu Christi, unde Paulus adiungit: « cohaeredes autem Christi »; conditio autem sine qua non: « si tamen compatimur ». Quam fundatus sit iste ordo heic expositus, tractationis decursu apparebit, [3] utpote in quo agemus de complexu beneficiorum Dei, quibus homo in salutem ordinatur et adducitur.

Eloquenter haec contrahit S. Ioannes Chrysostomus: « Etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati pec-

[1] Op. cit., p. 427.

[2] I Ioann. III, 2, 3. Cf. cl. De Baets. *'t Lied des Levens,* ch. III, n. 4. *In raadsel en geheimenis.*

[3] De variis istis adspectibus et appellationibus gratiae pulchre disserit cl. De Baets in opere cui titulus: *De gratia Christi,* p. 41 sqq., Gandavi, Poelman, 1910, et card. Mercier (op. cit., p. 398 sqq).

« cato, et eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, « fraternitas Christi, ut eius membra sint omnes, ut Spiritus « Sancti habitatio fiant ». [1]

Ex his patet, minus nobis placere sententiam Petavii et Lessii, - cuique recentius adhaeret Illmus Waffelaert, [2] - iuxta quam filiatio divina non producitur per gratiam, sed per inhabitationem Spiritus Sancti. Utique in Scripturis omnia gratiae dona tribuuntur Spiritui Sancto, [3] ob rationes quas fuse exposuimus in tractatu de Ssma Trinitate. [4] Sed tanta est gratiae excellentia ut involvat elevationem ad statum adoptionis filialis. Ipsa enim Dei in homines dilectio, e qua gratia effluit, - unde principium gratiae creatae est gratia increata, - tota indole superat dilectionem qua Creator inspicit creaturam; est scilicet dilectio qua Pater incipit homines, - quod et de Angelis valet, - inspicere uti filios adoptivos, utique pro hominibus speciali titulo, in ipso suo Filio naturali Christo, fratre nostro primogenito. Quae proin gratia involvit unionem et inhabitationem, non quasi nonnisi per istam filiatio produceretur, sed quia ex indole sua nequit ab hac habitatione separari, imo eam appellat. Tanta enim est huius gratiae excellentia, ut, iuxta dictum Ioannis, iam in germine contineat gloriam. [5]

Unde appareat, quam praecelsa sit, iam in hac vita, animae christianae conditio. Quam perlucido suo stylo ita egregie exprimit Ludovicus Veuillot: « O Chrétien! sache « ce que tu vaux! - a dit un grand Pape. - ...Reine exilée, « elle (l'âme) sait qu'elle retrouvera sa couronne et son « empire, et qu'il n'y a point de frontière, ni de distance, ni « d'armées ennemies qui l'en éloignent pour longtemps, si « seulement elle y veut entrer. Elle le voit, son royaume « divin: et chaque pas qu'elle fait l'en rapproche; et toute « douleur qui tombe sur elle, toute humiliation qui l'atteint,

[1] *Homil. ad Neoph.*

[2] *Méditations Théologiques*, t. II, *Introd.*, p. 24 sqq.

[3] Quod et de ipse Christo, deque eius Ssma Matre valet.

[4] *De Deo Trino*, p. 834 sqq.

[5] Quare non possumus admittere alteram sententiam illmi Waffelaert, qui censet, adoptionem filialem iustorum in hac vita produci per unionem cum Sancto Spiritu, beatitudinem vero gloriae constitui per unionem cum Verbo. Sed de hac quaestione agemus, Deo dante, in tractatu *de Novissimis* (ibid., p. 36 sqq.).

« lui prépare un surcroît plus splendide de puissance et de « gloire, et elle sait encore cela. Et elle sait aussi que rien « ne peut lui ravir tant de biens: pour les perdre, il faut « un acte libre de sa volonté; pour être détrônée, il faut « qu'elle abdique ». [1]

Ex dictis collige, triplicem esse veluti vitam quam homo vivere potest, secundum quod vitam suam ducit iuxta dictamina carnis, vel rationis sibi relictae, vel gratiae supernaturalis. Quas tres vitas Rohrbacher appellat vitam bestiae, vitam hominis et vitam christiani, [2] quasque ita ingeniose illustrat: « L'homme de la chair, plongé tout entier dans la « vie animale, un ivrogne, par exemple, ne conçoit rien au- « dessus du corps et de ce qui le flatte. Tout ce qui est « intellectuel, science, poésie, beauté morale, lui est folie ». [3] Est vita Epicureorum atque materialistarum, quam Scriptura ipsa vocat animalem: « Animalis homo non percipit ea, quae « sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intel- « ligere: quia spiritualiter examinatur ». [4] « L'homme de la « raison ou le philosophe, plongé tout entier dans la nature, « ne conçoit rien au-dessus des idées naturelles, rien au- « dessus de la raison humaine. Tout ce qui est surnaturel, « divin, la foi, la grâce, lui est folie. Il est au chrétien ce que « l'ivrogne est au philosophe. Mais l'homme de la chair a « beau méconnaître l'ordre intellectuel, cet ordre n'en existe « pas moins. De même l'homme de la nature a beau mécon- « naître ou nier l'ordre supernaturel, l'ordre de la grâce, « cet ordre n'en existe pas moins. Pour s'élever à l'ordre

[1] *Ça et là,* livre II, n. 11.

[2] Parumper aliter beatus Ruysbroeck tres vias distinguit ad regnum caelorum ducentes: sensibilem viam rerum corporalium, viam nude naturalem et viam supernaturalem divinam. *Het boek van het rijk der gelieven,* c. 4.

[3] Hinc quando adolescentium mens a discendi zelo torpet, signum passim est, cor eorum ad sensualia detrahi.

[4] I, Cor., II, 14. Hinc lascivas illas et prope bestiales derisiones, quas tales eructant, quoties spirituale coram illis argumentum tractatur. De quibus fortiter beatus Vianney: « Il y a des âmes qui sont tellement pourries, qu'elles croupissent « dans leur infection sans s'en apercevoir, et ne peuvent plus s'en débarrasser. « Tout les porte au mal, tout leur rappelle le mal, même les choses les plus saintes; « elles ont toujours ces abominations devant les yeux: semblables à l'animal immonde « qui s'habitue dans l'ordure, qui s'y plaît, qui s'y roule, qui s'y endort, qui ronfle « dans la saleté..... ces personnes sont un objet d'horreur aux yeux de Dieu et des « saints anges » (*L'esprit du Curé d'Ars,* p. 37).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« intellectuel l'homme de la chair est obligé de mourir en « quelque sorte à soi-même, pour entrer dans une nouvelle « existence, dans un monde nouveau. Pour s'élever à l'ordre « surnaturel, à l'ordre de la grâce et de la foi, l'homme de la « nature est obligé de mourir en quelque sorte à soi-même, « pour entrer dans une existence nouvelle, dans un nouveau « monde, qu'il n'avait pas même soupçonné. L'homme de la « chair, en devenant homme de la raison, ne cesse pas d'être « homme, mais il le devient plus et mieux. L'homme de la « raison, en devenant l'homme de la foi, ne cesse pas d'être « l'homme de la raison humaine, mais il devient de plus « l'homme de la nature divine ». [1]

Claudamus hasce nostras considerationes de gratiae excellentia gradatione pulcherrima qua S. Franciscus Salesius eam celebrat: « Le saint amour nous presse. O Dieu, quel « exemple d'union excellente! Il s'était joint à notre nature « humaine par grâce, comme une vigne à son ormeau, pour « la rendre d'une certaine façon participant de son fruit. « Mais, voyant que cette union s'était défaite par le péché « d'Adam, il fit une union plus serrée et plus pressante en « l'Incarnation, par laquelle la nature humaine demeura à « jamais jointe en unité de personne à la divinité. Et afin que « non seulement la nature humaine, mais tous les hommes « pussent s'unir intimement à sa bonté, il institua le Sacre- « ment de la très sainte Eucharistie, auquel chacun peut « participer pour unir son Sauveur à soi-même réellement « et par manière de viande ». [2]

De hac igitur tertia vita supernaturali in hoc tractatu agemus.

***

In vindicanda autem genuina notione gratiae et excellentia dignitatis ab ea humano generi singulisque hominibus per Christum derivatae, prae oculis semper habebimus ipsam revelationem divinam, qualem magisterium divinitus institutum tradit et illustrat.

[1] *De la grâce et de la nature,* XXXII et XL.

[2] *Directions spirituelles de St François de Sales,* recueillies et mises en ordre par l'abbé H. CHAUMONT (*De l'oraison,* tit. II, ch. III, art. 2).

Etenim quidquid in hac necnon in sequenti tractatione illustrabimus, non e fontibus rationis depromi posse, manifestum est.[1] Potest quidem rectus rationis usus nos ad Deum certo conducere. Elevatio autem ad ordinem supernaturalem, nisi ab ipso nos elevante Deo reveletur,[2] non potest ratione, ad summum nisi de longinquo insinuari et effectibus quibusdam miris suaderi. Quemadmodum enim olim ethnici intuentes charitatem hucusque inauditam, qua Christiani se invicem diligebant, Spiritu quodam novo eos animari iure suspicabantur, ita tota religio nostra, imprimis fundator eius Christus,

[1] Fuse de hoc argumento scripsit J. Liagre in opere cui titulus: *De hominis elevatione ad ordinem supernaturalem.* Ibi ait: « Censet maior theologorum pars, « ratione naturali non posse argumento efficaci adstrui, possibilem esse visionem « Dei intuitivam, quae apex est et cardo totius ordinis supernaturalis » (n. 23). De Lugo ita propositionem formulat: « Dicendum, non posse naturali evidentia « cognosci, visionem Dei creatam esse possibilem ». * Mitius Vasquez: « Ratio potest « agnoscere efficaciam harum rationum, sed sibi relicta eas non potuisset invenire ». ** Quousque autem et quo sensu Plato et Platonici agnoverint visionem Dei, vide apud eumdem Liagre (n. 87 sqq.). Cf. quae de hac Dei visione alibi scripsimus. ***

Nec tacenda primaevae revelationis vestigia. Placet de hoc argumento audire laudatum Schrader: « Generatim dumtaxat atque historice cultis lectoribus in memo- « riam aliquot doctrinarum capita revocabimus, eaque apud diversissimos populos « vulgaria non minus quam prope communia, quibus persuasis de supernis caelestibus « donis generi nostro communicatis, de immediato eoque non naturali deitatis in homi- « num sortem influxu, de ipso Numinis cum hominibus vinculo et intima adeo coniun- « ctione, non ut de possibilibus tantum rebus, neque etiam ut de probabilibus dumtaxat, « sed, quod amplius est, uti de rebus gestis, certis factis ac veris expressa habetur. « Haec enim hisque similia continentur opinionibus quas cum de aliis tum de humani « generis originibus, de paradiso aureaque aetate, de primordiali lapsu et ruina, de « instauratione generis universalique sospitatore, de oraculis atque portentis, de « repetito commercio, frequenti superum cum hominibus societate familiarique copu- « latione, non Graeci solum atque Latini, sed Indi et Persae, Aegyptii, Germani, « Mexicani aliique circumferebant. De reali ergo supernorum donorum existentia « gentes totius orbis in Europa, Asia, Africa atque America universim conspi- « rant ». ****

[2] Quare corripiendus est excessus Froschammer contendentis, philosophiam posse pervenire ad cognoscendum finem supernaturalem hominis. Quem excessum Pius IX ***** damnavit. Patet quo modo hic excessus se habeat veluti viam sternens ad graviorem excessum modernistarum, a Pio X correptum, ****** quo isti in humana natura proclamant ordinis supernaturalis exigentiam.

* *Theol. schol.*, I, III, *De Deo*; disp. XII, c. 2.

** Ap. Liagre.

*** *Tract. de Deo Uno.*

**** *De triplici ordini*, p. 131.

***** Anno 1862; *Enchir.*, n. 1669.

****** Encycl. *Pascendi*; ibid., n. 2103.

ipsa sua sublimitate ad altius natura principium inquirendum invitat.

Adde harmoniam veluti praestabilitam, quae, auctore ipso eodem Deo creante et elevante, existit inter ordinem naturalem et supernaturalem.[1] Quam enim in praecedenti volumine vocavimus potentiam obedientialem, quae est in humana natura fundamentum elevabilitatis, nolim ita intelligas, ac si esset quiddam mere passivum. Habet insitam sibi vim, quae, licet gratiam appellare non possit, eam tamen latenti quodam instinctu veluti praesentit. Non sane modo evolutionistico, per virtutem subconscientiae altiorem ordinem ex sese veluti educentis, quod est modernistarum somnium mox depellendum; sed modo illo magis intimo et advocativo, iuxta quem dixerat Augustinus, cor nostrum, utpote a Deo ad Deum factum, nullam posse nisi in ipso Deo invenire requiem.[2] Hoc itaque sensu, et depulso omni excessu ontologistico, probamus quae de isto subtili argumento scribit Laforêt: « Dieu nous a faits sur un plan sur-« naturel; il nous a créés pour une gloire et une félicité « supérieure à l'ordre de la nature, et il a mis au plus pro-« fond de notre être des aspirations qui dépassent la nature « autant que le ciel dépasse la terre: notre âme est tourmen-« tée d'une vague et indicible inquiétude que nulle félicité, « du genre de celle que nous apporte ou que nous montre « la raison seule, ne saurait apaiser. Le christianisme a « défini le véritable objet de cette inquiétude[3] et a marqué

[1] Cf. concionem LACORDAIRE de harmonia inter naturam et gratiam (*Conf.* LXIX).

[2] *Confess.*, l. I, in exordio.

[3] Hanc inquietudinem, fide placatam, bene describit Ernestus Naville: « Le plus « grand bienfait de la religion est de nous sauver du doute et de l'incertitude, le « plus grand tourment de l'esprit humain, le vrai poison de la vie. Tout est indé-« terminé, fugitif et mobile dans un esprit dénué de croyances religieuses ». * Et Theodorus Jouffroy huius inquietudinis stragem in se ipso, amissa fide, depinxit: « Tout ce qui m'entourait avait le même cœur, la même âme, le même espoir dans « la foi. Moi seul l'avais perdu, moi seul étais dans la vie sans savoir ni comment, « ni pourquoi; moi seul, si savant, ne savais rien; moi seul étais vide, agité, privé « de lumière, aveugle et inquiet ». ** E contra harmoniam utriusque dogmatis Trinitatis et Incarnationis cum intimo sensu humano pulchre proclamat Bergier: « Ces « idées sont non seulement grandes et sublimes, mais affectueuses et consolantes »

* *Maine de Biran. Sa vie et ses pensées*, p. 333.

** *Nouveau mél. philos. publiés par Damiron*, p. 141 sq.

« le terme propre de ces aspirations; il nous a donné le mot « de cette énigme de notre être ».[1]

Hoc sensu, caute tamen, intelligi potest illud Psalmistae: « Dilata os tuum, et implebo illud ».[2] Quod duplicem gradum accipit. Natura sua homo adspirat in infinita. Et quo magis iam gratia impletur, eo avidius et ardentius magis magisque impleri desiderat. Quod beatus Ioannes Ruysbrockius pulcherrime illustrat in suo *Speculo aeternae beatitudinis.*[3]

Inde quae in intimo sinu animi nostri sentimus, concordant cum manifestationibus miris, quas in Ecclesia Christi affulgere, omnes recti corde agnoscunt, quibusque, prae aliis omnibus societatibus religiosis, uti sancta clarescit apparetque uti vera depositi revelati Sponsa praegnans, alma Mater et Magistra.

Sed haec non sunt nisi praeambula ad finem, de quibus alibi melius agetur. Quare ipsa Dei revelatio et Dei gratia nobis sedulo consulenda erit, iuxta illud Apostoli gratiae: « Mihi data est gratia haec ... illuminare omnes, quae sit « dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo ».[4]

Hoc tamen sacramentum absconditum, licet tam altum sit, ut naturali experientia vix unquam certo deprehendi possit, saepius mentem et cor tanta luce, tanta pace, tanto gaudio collustrat, quietat et dilatat, ut quasi tangibile videatur. Hinc dicit Psalmista: « Viam mandatorum tuorum cucurri, « cum dilatasti cor meum ».[5] Et Lucas de nascente Ecclesia: « Pacem habebat, et aedificabatur ambulans in timore Domini, « et consolatione Spiritu Sancti replebatur ».[6] Et Petrus: « Si tamen gustastis, quoniam suavis sit Dominus ».[7] Et

« elles élèvent l'âme et l'attendrissent. Dieu, tout grand qu'il est, s'est occupé de « nous de toute éternité; tout son être, pour ainsi dire, s'est approprié à nous. « L'homme, quoique faible et pécheur, est donc précieux à Dieu; par les excès de « la bonté divine, nous pouvons estimer le prix du bonheur qu'il nous prépare ».*

[1] Op. cit., loc. cit., p. 254.

[2] Ps. LXXX, 11.

[3] C. XXIII.

[4] EPHES., III, 8.

[5] Ps. CXVIII, 32.

[6] ACT., IX, 31.

[7] I PETR., II, 3.

* *Traité de la vraie religion*, p. III, c. 7, art. 1, § 3.

Paulus: « Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custo-
« diat corda vestra et intelligentias vestras in Christo
« Iesu ».[1] Conveniunt orationes liturgicae. Ita in solemnitate Pentecostes Ecclesia orat: « Consolator optime, - dulcis
« hospes animae, - dulce refrigerium; - in labore requies, - in
« aestu temperies, - in fletu solatium ».[2] Hinc Concilium Tridentinum de Sacramento Poenitentiae ait: « Effectus huius
« Sacramenti... reconciliatio est cum Deo, quam interdum
« in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum recipien-
« tibus, conscientia, pax et serenitas cum vehementi Spiritu
« consequi solet ».[3]

Quod et confirmatur per vitam Sanctorum, quippe qui hanc spiritualem experientiam in sublimiori gradu peregerunt. Ita S. Benedictus, in fine Prologi ad Regulam, loquitur de inenarrabili dilectionis dulcedine, qua provectiores mandatorum viam inter angustias arreptam percurrunt. Ita S. Ignatius a Loyola declarare solebat, se, licet Evangelia non extarent, nullum de rebus fidei dubium admittere posse, ex ipsis luminibus et ardoribus, quibus Manresae, Deo afflante, fuerat repletus.

Sed haec non sunt de essentia gratiae in hoc probationis stadio. Imo, iuxta Pauli verbum, aenigma quo tota nostra fides obtegitur, vitam quoque christianam coinvolvit. Sunt quippe dona supersensilia, quae absoluta certitudine, citra revelationem, ne in intimo nostro corde percipere valemus. Unde iubemur « in timore et tremore » operari salutem,[4] quum nemo sciat utrum amore sit dignus an odio.[5] Quare et ipse Paulus, vas electionis, submisse declarat: « Castigo
« corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis
« praedicaverim, ipse reprobus efficiar ».[6] Nec magni sancti, uti Antonius et Teresia, ariditatibus et angustiis spiritualibus caruerunt.

Ex his iam sequitur, non nimii faciendas esse consolationes sensibiles, quibus Deus interdum roborat incipientium

[1] Phil., iv, 7.
[2] Sequentia *Veni, Sancte Spiritus*. Cf. orat. post *Veni, Creator*.
[3] Sess. xiv, c. 3.
[4] Phil., ii, 12.
[5] Eccle., ix, 1.
[6] 1 Cor., ix, 27.

vires, ne nimia defatigatione in via deficiant. Etenim ex una parte timendae sunt fraudes « inimici hominis, »[1] qui et zizaniae pessimae solet oblectamenta permiscere; ex altera, aemulanda sunt charismata meliora,[2] quae eo magis vivificant, quo purius spiritualiter degustantur.

His de excellentia gratiae[3] praelibatis, iam ad describendos praecipuos de gratia errores accedamus.

3) *De praecipuis erroribus circa gratiam.*[4]

Quemadmodum iam alibi egimus, imprimis in exordio tractatus nostri *De Deo-Homine,* ita quoque in praesenti tractatu Christianorum errores ad duplicem classem redigemus, peccantium scilicet per defectum et per excessum, praehabitis tamen paucis de erroribus non Christianorum, qui, quum interdum utroque simul modo iuxta duplicem respectum peccent, eidem schemati praemittendi sunt potius quam inserendi.

A) Sit igitur primo de Gentilibus, Iudaeis, Mohammedanis ac incredulis modernis.

1) *Gentiles* omnes per defectum peccaverunt. Ignorantes finem hominis supernaturalem, praesertim participationem meritorum Redemptoris, gratiam proinde stricto sensu, et gratiam Christi, nescierunt. Si autem agitur de gratia latiori sensu intellecta, scilicet de adiutorio Dei bonis actionibus omnium concurrentis, Gentiles, demptis atheis, si qui vere fuerunt, in tres partes abibant.

a) Alii, cum *Platonicis,* auxilium divinum aperte praedicabant. Ita ipse Plato ait in Menone: « Divina sorte adesse « virtutem, cuicumque adest, apparet »; et Maximus Tyrius ait: « Bonum obtingere nullum, ad quod (homines) non sti- « mulentur (a Deo) »;[5] et omnibus clarius Marcus Aurelius: « Esse quamdam in Deo virtutem, quae in nobis agit, quae « in omnes nostras actiones operatur, quaeque omnes a

[1] MATTH., XIII. Cf. illmum LAMBRECHT (op. cit., p. 34).

[2] I COR., XII, 31.

[3] Pulcherrime sanctificantem gratiam definit CONTENSON (op. cit., l. VII, diss. V, c. 1).

[4] De variis erroribus divinae gratiae contrariis optime disputat Suarez, *Tract. de gratia Dei, seu de Deo Salvatore, iustificatore, et liberi arbitrii adiutore per gratiam suam.* Prolegom., 5.

[5] *Serm.* 22.

« nobis removet actiones, quae in crimen nos detrudere « possent ».[1]

Pulcherrima quoque reperiuntur in scriptis Epicteti.[2] Sed hi conatus assurgendi ad Deum non excedunt ordinem naturae; ac proin non possunt confundi cum relatione supernaturali quam gratia inducit inter Deum et hominem. Quod et valet de spiritualismo Budhistico, qui maiori insuper pessimismo pervaditur.

b) Alii, cum *Stoicis,*[3] - Pelagianorum ideo parentibus non immerito nuncupandis, - negabant, hominem ad virtutem capessendam divino indigere auxilio; superbe enim affirmabant, Deum natura, hominem propria industria sapientem esse. Imo non deerant qui hoc discrimen in hominis prae Deo laudem verterent. Ita Seneca asserere non veretur: « Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum: ille naturae « beneficio, non suo sapiens est ».[4] - Stoicis quoad hanc doctrinam adnumerandi sunt *Academici,* qui omnia in liberi arbitrii potestate ponebant. « De virtute gloriamur, - ita « Cotta apud Ciceronem,[5] - quod non contingeret, si id « donum a Deo, non a nobis haberemus. Num quis, quod

[1] Cf. KATSCHTHALER, op. cit., 19.

[2] Nec omittendus Cicero, cuius deperditus liber *Hortensius,* nisi nobilissime tractasset de habitu hominis ad Deum, non tantum in mentem Augustini * influxum exercuisset. Tullius tamen alibi Stoicorum potius more loquitur.

[3] De Stoicismo bene scribit Godefridus Kürth, in pulcherrimo libro cui titulus: *Les origines de la civilisation moderne:* « Il faut lui rendre cette justice que, de « toutes les formes revêtues dans l'antiquité par la pensée philosophique, ce fut la « plus noble et la plus digne de respect: mais il resta toujours l'apanage exclusif « d'un petit nombre d'âmes froides et hautaines. Dépourvu de cet esprit de prosélytisme, qui fait les apôtres et les martyrs, il était incapable de descendre dans les « masses populaires pour y raviver la flamme des vertus expirantes. D'ailleurs, « en prêchant l'abstension du sage et en réduisant la vie à la triste et silencieuse « contemplation des choses, il désintéressa l'homme des devoirs de la vie sociale et « l'enferma dans un égoïsme plein d'orgueil. Il produisit quelques vertus solitaires « et stériles; il ne put rien pour le bonheur de l'humanité, et le despotisme s'accommoda, en somme, de cette philosophie du désespoir, qui lui abandonnait le monde » (chap. I, *L'Empire romain,* p. 41, 6e édit., Bruxelles, Albert Dewit, 1912).

[4] *Epist. 35.*

[5] *De nat. deorum,* l. III, c. 36. In praeclaro prooemio pulcherrimi sui libri, cui titulus: *De gratia Christi,* Card. Billot ostendit concordiam inter doctrinam Tullii et Pelagii de hominis facultate ut propriae virtutis sit viribus propriis artifex.

* *Confess.,* l. III, c. 4. Cf. nostrum tractatum *De hominis natura,* p. 806.

« bonus vir esset, gratias diis egit unquam? ».[1] Quae ultima verba egregie ostendunt, quid inter paganam philosophiam, superbia tumentem, et humilem Christianorum sapientiam intersit.[2] « Philosophi huius mundi – ait Augustinus – ... vehe- « menter egerunt, ut putarentur vel putarent sibi beatam « vitam virtute propriae voluntatis efficere ».[3]

De hoc Stoicorum spiritu, quem in Senecae pulchra sententia partim laudaverat, S. Franciscus Salesius, mentem suam complens, ostendensque quantopere a Christi spiritu distaret, dixit: « Le sage chrétien doit être petit à ses pro- « pres yeux, et si petit qu'il se tienne pour rien; au lieu « que ce philosophe veut que le sage qu'il s'imagine soit au- « dessus de toutes choses, et s'estime maître de l'univers, « et l'ouvrier de sa propre fortune; ce qui est une vanité « insupportable ».[4]

c) Alii demum videntur quasi mediam viam ingressi; ex una parte liberum arbitrium ita extollunt, ut divinum auxilium quasi excludant; ex altera autem idem auxilium expresse fatentur; ita Tullius ait: « Esse ingeniis nostris semina innata « virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam « vitam natura perduceret »;[5] et tamen alibi scribit: « Nemo « vir magnus sine adflatu aliquo divino fuit ».[6] Nec ipse Seneca, quem supra audivimus sapientiam humanam tam superbe vindicantem, hoc auxilium negavit; imo magis illud confitetur quam Cicero, dum ait: « Bonus vir sine Deo « nemo est ».[7]

[1] Vides proin, illos Academicos peiores esse Pharisaeo parabolae. Hic enim, licet superbia tumens, gratias tamen agebat Deo (loc. cit.).

[2] Optime scriptor a rationalismo ad fidem christianam conversus, illustrans illud Scripturae: *Vae soli!* haec habet: « Le Stoïcien est seul, ou avec sa conscience « de force propre qui le trompe; le chrétien ne marche qu'en présence de Dieu, et « avec Dieu, par le *médiateur* qu'il a pris pour guide et compagnon de sa vie pré- « sente et future ».*

[3] *Epist. 186-106. – P. L.*, t. XXXIII, col. 830.

[4] *Esprit de St François de Sales*, part. IV, ch. 14.

[5] *Tuscul. quaest.*, l. III, c. 2.

[6] *De nat. deor.*, l. II, c. 16.

[7] *Epist. 4.* Cf. de hoc argumento HETTINGER, *Apolog.*, t. II, pars I, p. 54; DÖLLINGER, *Heidenthum und Judenthum*, p. 201.

* *Maine de Biran. Sa vie et ses pensées*, publiées par Ernest Naville, p. 421, Paris, 1857.

2) *Iudaei* nonnisi confusam ideam habent de elevatione supernaturali hominis; insuper negant directe opus Christi salvificum. Nequeunt proin de gratia recte sentire. Hoc forte interest inter Iudaeos et Stoicos, quod dum Stoici parentes sunt Pelagianorum, Iudaeos potius Semipelagiani parentes habent. Etenim Rabbini passim initium boni operis voluntati humanae, consummationem vero tribuunt Deo. Mira sane sententia, quae ostendit, illos gratuitatis elementum in gratia nullatenus percepisse.[1]

3) *Mohammedani* simul peccant per defectum et per excessum: *a*) per defectum quidem, quia non agnoscunt indolem supernaturalem gratiae, nec operis salvifici virtutem; *b*) per excessum autem, quia tantopere Deum agnoscunt auctorem salutis humanae per gratiam suam, ut actionem illam divinam usque ad absurda extendant, v. gr. dum asserunt, hominem a Deo in errorem induci.[2]

4) *Increduli moderni* in varios campos distribuendi sunt secundum modum quo se habent ad conceptum Dei.

a) De *materialistis* sive *atheis*, utpote passim sensibilium rerum cultui unice addictis,[3] valet illud Scripturae: « Ani« malis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei: stul« titia enim est illi, et non potest intelligere ».[4] Qui enim ideam Dei auctoris naturae derident, quomodo aliquid de Deo auctore gratiae percipere possent?[5]

[1] MENASSE BEN ISRAEL, *De fidelit. hum.*, pag. 116; SUAREZ, *De gratia*, prolegom., 5, c. 1.

[2] Cf. KATSCHTHALER, op. cit., p. 20.

[3] Lugendum valde, apud populares turbas magis magisque invalescere hunc materialisticum vitae conceptum, uti testatur progressio socialismi, materialistico rei publicae conceptui superstructi.

[4] II COR., II, 14.

[5] Synthetica expressio huius materialismi est laicismus ille radicalis, qui Deum ipsum, utpote non laicum, e scholis, e familia, e gubernio, e toto humano consortio expellere conatur. Epicureos non modo practicos, sed et speculativos inter neopaganos pullulare, manifestum est. Quin et socialismi animus Epicuri doctrina alitur. « Le nostre aspirazioni si collegano ad una morale che è pagana anzichè « cristiana ». Ita Cicotti Scozzese. Et magis cynice in sua *Dottrinetta* vulgus docet Serrati: « *D.* Per qual fine siete voi creato? – *R.* La vita è fine a se stessa. Sono « nato per vivere, per vivere bene, per godere. – *D.* Qual'è dunque lo scopo della « nostra esistenza? - *R.* Lo scopo della nostra vita è il piacere ». Quid mirum proin, si, extincto omni lumine superno, terrenae voluptatis fames ad subvertenda quaeque excitat illos, qui de mundanis epulis, arduo quippe labori adstricti, vix micas colligunt.

b) Prope accedunt *evolutionistae,* inter quos utique habentur materialistae puri, – etenim non video quomodo materialista evolutionismum logice declinaret, – sed et alii dantur vago cuidam *pantheismo* addicti. Hi possunt neo-pagani iure appellari, non quasi unum aliumve ex antiquis numinibus colant,[1] sed quia cultiori antiquorum paganorum cultui et mente et moribus adhaerent. Inter quos alii, spiritualibus ideis magis dediti, ad Stoicorum; alii, sensualibus voluptatibus magis indulgentes, ad Epicureorum potius castra assignandi sunt. Nec pauci utrumque eclectico connubio unire satagunt.[2]

c) Nec desunt qui ad antiquum *dualismum* Manichaeorum se recipiunt; quorum peiores, diaboli cultum instaurantes, contra Deum auxilium daemonis implorant. Quae totalis a Christianismo apostasia tetro odio permixta animus esse videtur Massonismi.[3]

d) *Deistae,* si verum Deum, personalem scilicet, agnoscunt, non ideo non sunt gratiae inimici. Voltaire atheismo numquam, utpote nimis stulto, nomen dare voluit, et tamen quis maiori unquam odio revelatam religionem, Christum et Ecclesiam impugnavit? Tales et hodie non paucos haberi experientia constat. Non tamen omnes in christianam religionem infense sunt animati; sed licet pulchritudinem eius et altitudinem mirantur, deficiente fide, ab ea se tenent alienos.

e) *Rationalistae* et *positivistae* ulterius progrediuntur.

[1] Quousque tales dentur inter doctos, difficile est dictu. Sermo autem eorum non raro id insinuat. Missis illis Germanis poëtis, qui nuper Deum suum aperte declararunt esse bellicosa numina antiquarum suarum sylvarum, nuper in Urbe paganus vates Gabriel d'Annunzio Italicorum armorum victoriam Capitolini divi praesidio tribuit.

[2] Inter hos nominandus Mauritius Maeterlinck scriptor eo magis periculosus, quo peiores excessus magis perfide velare conatur, sterquilinium floribus obtegens pseudo-mysticis et acriter voluptuosis.

[3] Nuper Romae tantae impietatis exemplum occurrit. Massonico quippe viro lethali morbo decumbenti curas dabat puella charitatis, quae, quum frustra curata esset eum ad Deum reducere, videns morti proximum, animose ei dixit: « Domine, « nisi mihi praestes auditum, mox morieris damnandus ». – Cui ille: « Equidem scio « me damnatum iri, et gaudeo. Et spero nos damnatos fore perplurimos, et collatis « signis thronum Dei esse conscensuros ». Quibus verbis satanico odio vixdum prolatis infelix vita cessit.

Non solum recusant religionem supernaturalem, sed neque Deum admittunt, unice rationem humanam eiusque iura proclamantes, unice affirmantes ut vera, quae sensibus deprehenduntur.

Tales a priori et cum despectu abiicere quidquid est ordinis supernaturalis et gratiae, manifestum est. Quod apparet ex propositionibus in Pii IX syllabo damnatis,[1] v. gr.: « Humana ratio, nullo prorsus respectu Dei habito, « unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est « lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum « bonum curandum sufficit ». Hinc et collatis signis christianam religionem impetunt: « Christi fides humanae refraga- « tur rationi: divinaque revelatio non solum nihil prodest, « verum etiam nocet hominis perfectioni ». Concilium Vaticanum pessimam hanc impietatis formam fortiter debellavit. « Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfe- « ctionem quae naturalem superat, divinitus evehi non posse, « sed ex seipsa ad omnis tandem veri et boni possessionem « iugi profectu pertingere posse et debere, a. s. ».[2]

f) Accedunt *agnostici,* inter quos eminent cum duce suo *Kantiani.*[3] Quum enim hi omnes proclament humanam rationem de spiritualibus nihil certe scire posse, nec ipsum Deum personalem proclament, vix aliud relinquentes quam insitum sensum religiosum, plus minusve pantheisticum, quid admittere possunt de ordine supernaturali et de gratia, qua Deus cum creatura rationali supra se elevata, mirabili commercio coniungitur? Quare Kantius, qui illogice, - subverso omni ordine certitudinis, - aliquem nihilominus ordinem moralem et religiosum servare conatur, in revelatam religionem se ostendit infensissimum.

g) A *Kantianis*[4] sat recta linea derivant *modernistae,* quorum magis sibi constantes, non amplius Christiani vocandi

[1] Cf. *Enchir.,* n. 1703 sqq.

[2] *Enchir.,* n. 2077.

[3] De systemate Kantiano lege Weisz, *Kant und das Christentum,* Köln, 1904; Matteussi, *Il veleno Kanziano,* Monza, 1907.

[4] Kantianus error in ipsas catholicas regiones plus minusve aperte, summo doctrinae detrimento, irrepsit. Cf. Leonem XIII de neo-kantismo in Gallia serpente: *Lettre aux archevêques, évêques et au clergé de France,* 8 sept. 1899.

sunt.[1] Non pauci tamen non solum Christianos, sed et catholicos se manere velle protestantur, de quibus proin mox egemus, ubi de haereticis qui peccant per defectum.

Vitium autem quo passim omnes quos modo descripsimus errores, veluti radicali lethalique veneno, inficiuntur, est *naturalismus*. De quo Card. Mercier: « Le *naturalisme*, – « dans l'ordre intellectuel il s'appelle spécialement rationa- « lisme; dans l'ordre moral, morale indépendante; dans « l'ordre social, libéralisme; – est l'héritier de la renaissance « païenne et de la défection protestante. Il n'était pas athée « à l'origine. Voltaire et Jean Jacques Rousseau rendaient « hommage à la Divinité; la Révolution française respectait « l'Etre Suprême, et, vers 1850 encore, Jules Simon dans sa « *Religion naturelle*, Victor Cousin dans son ouvrage *Du* « *Vrai, du Beau et du Bien*, écrivaient des pages émues « en l'honneur du Dieu de la raison ». Et descripta fatali huius naturalismi progressione usque ad lugendos excessus modernos, pergit: « Le grand coupable de cette universelle « déchéance, le grand pervertisseur des idées du XIXe siècle, « c'est le philosophe allemand Kant.[2] ... Une personnalité « morale trouvant en elle-même sa fin, voilà, selon Kant, « l'homme, tout l'homme!

« Le tentateur avait dit à nos premiers parents: Mangez « du fruit de l'arbre du bien et du mal, et vous serez comme « des dieux. Kant dit à l'homme: Ta grandeur est dans ta « moralité. De cette moralité tu es le principe et le but. Ta « grandeur vient de toi. Tu es Dieu! ».[3]

Iam itaque ad haereticos, aut ad haeresi proximos gressum moveamus.

[1] Ad quam totalem a christiano sensu apostasiam conducere possit exegesis modernistica, demonstrat ultimus liber Alfredi Loisy, cui titulus: *Les mystères païens et le mystère chrétien*, Paris, Emile Nourry.

[2] De Kant plura optime scripsit cl. SENTROUL, imprimis quoad argumentum nostrum: *La philosophie religieuse de Kant* (*Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1910, t. IV, p. 49).

[3] Op. cit., p. 42 sqq. Mitius iudicium de Kantio fert P. Semeria in opere cui titulus: *Scienza e fede e loro preteso conflitto*. Nec mirum, quum auctor sit scholae neo-kantianae, cuius apud Gallos antesignani exstiterunt Blondel et Laberthonière, plus aequo addictus. Nihilominus in hac collationum serie ad iuvenes habita multa habentur, imprimis in parte: *Le forme scettiche dell'ateismo moderno*, non solum facunde, - est enim auctor elegantis sermonis, – sed solide et erudite exposita.

*
* *

B) I. Per *defectum* erraverunt, missis antecessoribus Origene,[1] Rufino,[2] Theodoro Mopsuestiensi:[3]

1) *Pelagiani*, quorum parens fuit Pelagius,[4] monachus (probabiliter non presbyter) ingenii acutissimi sed subdoli, animi autem vehementis; cuius errores eo periculosiores extiterunt, quo magis eorum auctor sanctitatis fama initio

[1] Hieronymus Pelagium alloquens: « Doctrina tua Origenis ramusculus est ». *

[2] Notissima inter Hieronymum et Rufinum de Origene controversia. Disputant tamen critici utrum ille Rufinus hic intelligendus sit Aquileiensis, an alter natione Syrus. **

[3] Mirum non est, Theodorum Pelagio praeiisse, quum non solum de gratiae erraverit gratuitate, sed et ipsum originale peccatum, teste Mario Mercatore, negaverit. *** Sed et alius datur inter utrumque nexus: germen Nestorianismi. Quem intimum nexum adverterunt antiqui inter errorem Pelagii et Nestorii, eumque reciprocum, quatenus Nestoriana haeresis fuit in Pelagio concepta, et e converso Pelagii error fuit ex Nestoriano errore deductus. Etenim, iuxta Cassianum, **** Pelagius existimans, Christum ob suà singularia humana merita fuisse deificatum, similiter censuit, omnes homines propriis viribus posse, si velint, vivere absque peccato. Hunc mutuum nexum nomine Nestorianae haereseos eleganter ita expressit S. Prosper:

Nestoriana lues successi Pelagianae,
Quae tamen est utero progenerata meo.
Infelix miserae genitrix, et filia natae,
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis
De capite ad corpus ducere opus volui.....
Nam Christum pietate operum et mercede volentes
Esse Deum, in capitis foedere non stetimus,
Sperantesque animi de libertate coronam
Perdidimus quam dat gratia iustitiam. *****

[4] Cf. notam historicam de Pelagianis in praecedenti nostro volumine (p. 369 sqq). Nexum inter superbiam Pelagianorum et Stoicorum iam animadvertit S. Hieronymus. ****** Recte rationalisticus scriptor Laurent: « Logiquement le Pélagianisme « conduit à l'isolement des Stoïciens: l'homme, être libre, devant tout à lui-même, « est à lui-même son Saint-Esprit, son Dieu ». *******

* *Epistol. ad Ctesiph.* – *P. L.*, t. XXII, col. 1152.
** Cf. HERGENRÖTHER, *Kirchengesch.*, t. I, p. 291.
*** *Praef. in Lib. Subnot. in verba Iul.* – *P. L.*, t. XLVIII, col. 109.
**** *De Incarn.*, l. V et VII.
***** *Epitaph. Nestor et Pelag. haeres.* – *P. L.*, t. LI, col. 153 sqq.
****** *Epist. ad Ctesiph.*, init.; cf. l. IV *in Ierem. proph.*
******* *Etudes sur l'histoire de l'humanité. Le Christianisme*, n. 454 sq.

florere dicebatur.[1] Praeter negationem peccati originalis quae videtur, cum nimia exaltatione liberi arbitrii,[2] quasi fundamentum totius aberrationis eius exstitisse,[3] doctrina Pelagii varia quasi stadia, saltem apparentia, - quis enim fraudulenti animum verum cognoverit? - distinguenda occurrunt. *a*) Initio proclamavit hominis vires naturales sufficere ad bene vivendum et finem beatitudinis attingendum; unde *cuiusvis prorsus gratiae* necessitatem negabat.[4] *b*) Videns doctrinam suam acriter nimis catholicas aures offendere, iam *gratiam aliquam* confessus est, sed *naturam et liberum arbitrium.*[5] *c*) Convictus rursus a Scripturis, quas acerri-

[1] Quam tamen famam postea amisit. *

[2] Conceptum Pelagii de libero humano arbitrio optime ita describit Card. Billot: « In summa, libram cogita, quae ex utraque parte per aequalia momenta suspendi- « tur; sic voluntas quantum est libera ad malum, tantumdem ad bonum libera « dicenda est ex semetipsa semper existere, secluso utique omni adiutorio Dei intrin- « secus in nobis operantis ut et quod bonum est velimus, et quod bene volumus « opere etiam impleamus ». **

[3] S. Augustinus *** systema Pelagii ad sequentia capita redigit: 1) nullam dari gratiam a naturae capacitate et externa lege vel doctrina distinctam; 2) eam, qualiscumque sit, dari ex meritis, et unice ad melius posse; 3) hominem in mortali vita posse morum perfectionem assequi, unde non debet sibi dimitti peccata rogare; 4) parvulos non baptizari in remissionem originalis peccati; 5) Adamum, sive peccasset, sive stetisset, moriturum fuisse. ****

[4] Etenim Pelagius, - in hoc modernorum rationalistarum parens, - non solum negabat totum ordinem supernaturalem, ac proin peccatum originale et necessitatem cuiusvis gratiae, praesertim internae stricte dictae, sed, - liberalismi non minus parens, - exaggerabat independentiam liberi arbitrii a motione divina etiam in ordine naturali. ***** Augustinus, e contra, libertatem prorsus concedens, dependentiam eius a Dei adiutorio proclamabat: « Liberum in hominibus esse « arbitrium utrique dicimus; non hinc estis Caelestiani et Pelagiani: liberum autem « esse quemquam ad agendum bonum sine adiutorio Dei... hoc vos dicitis; hinc « estis Caelestiani et Pelagiani ». ****** Et: « Fides sana catholica neque liberum « arbitrium negat sive in vitam malam, sive in vitam bonam: neque tantum ei tri- « buit, ut sine gratia valeat aliquid ». *******

[5] Optime Augustinus fallaciam haeresiarchi stylo efflorat: « Videte, fratres mei, « quomodo illam generalem Dei gratiam praedicent, qua creatus est homo... Videte « acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate ». ******** Imo,

* Oros., *Apol.*, c. 27. - *P. L.*, t. XXXI, col. 1195.

** Op. cit., Prooemium, p. 4.

*** *De haeres. ad « Quod vult Deum ».*

**** Cf. Katschthaler, op. cit., p. 28, aliasque auctoritates ibidem allatas.

***** Cf. Portalès, *St Augustin* (*Dictionn. Vacant-Mangenot*, t. I, col. 2381).

****** *De nupt. et conc.*, l. II, n. 8.

******* *Epist. 47.*

******** *Serm. 26* (11), *De verbis Apostoli.*

mus gratiae defensor Augustinus[1] ei obiiciebat, in quibus natura et gratia manifeste distinguuntur, recurrit ad aliquam gratiam naturae superadditam, sed mere *externam: Mosaicam scil. legem* et *doctrinam evangelicam.* Cui duplici externae gratiae, catholicis urgentibus, in hac sententia mortem Christi fuisse inutilem, adiunxit tertiam: *Domini exemplum in imitationem.*[2]

d) Compulsus tamen catholicorum imprimis Augustini argumentis, visus est quamdam gratiam admittere *internam, remissionem* nempe *peccatorum,*[3] vel etiam aliqualem illustrationem mentis,[4] non autem voluntatis motionem.[5] Sed in his dupliciter adhuc errabat asserens: α) gratiam illam conferri iuxta merita;[6] β) eamque non tamquam necessariam

iuxta ipsum Augustinum, Pelagiani admittebant quemdam concursum Dei: « Causarum secundarum efficientiae potentia operationis Dei intervenit, omne quod est « ea administrans virtute qua condidit ». * Qui tamen concursus, uti mox apparebit, non erat nisi generalis, quatenus Deus vires a se conditas servat.

[1] De merito singulari Augustini deque influxu suorum scriptorum non in Occidente dumtaxat, sed in Oriente, pulchre scribit Bossuetius in suo opere cui titulus: *Défense de la tradition des Saints Pères,* praesertim in libro secundo: *Erreurs sur la matière du péché originel et de la grâce.*

[2] De quo novo subterfugio Augustinus: « Hoc est occultum et horrendum virus « haeresis vestrae, ut velitis gratiam Christi in exemplo eius esse, non in dono eius: « dicentes, quia per eius imitationem fiunt iusti, non per subministrationem Spiri- « tus Sancti ». **

[3] Haec quidem remissio peccatorum iuxta illum erat interna gratia quatenus interne peccata remittebantur, non autem quatenus remittebantur ope interni doni. Unde Augustinus ait: « Istam quippe gratiam, qua iustificamur, id est, qua caritas « Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in « Pelagii et Caelestii scriptis, quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemad- « modum confitenda est, confiteri ». *** Consequens erat, Pelagianos agnoscere gratiam qua commissa peccata remittentur, non qua futura ne committantur, praecaveantur, nisi per remissionis obtentae memoriam. – Utrum Iulianus in hoc omnino cum Pelagio senserit, non omnino constat. – Ex qua doctrina sequitur, gratiam habitualem, secundum Pelagium, dari nullam.

[4] AUGUSTINUS, *De grat. Chr.,* c. 7. Sed vix apparet quid praeter illuminationem per legem haec interna illustratio fuerit. Unde de hoc non concordant theologi. ****

[5] Observa, remissionem peccatorum, iuxta Pelagium, non fieri per gratiae infusionem, proin non requirebat motionem in ipsam voluntatem.

[6] Intellige de hominis operatione, non de ipsa facultate quae operatur, nec de lege vel exemplis divinis: quae utique non esse ex meritis, Pelagius rationabiliter negare non poterat.

* *De nupt. et conc.,* l. II, c. 4.

** *Iulian. op. imperf.,* l. II, c. 146.

*** *De grat. Ch.,* c. 30.

**** Cf. KATSCHTHA , p. 25.

dari, sed ad facilius agendum, sive non ad posse, sed ad melius posse.[1]

At vero Billuart triplex veluti stadium disputationis distinguit. In primo stadio Pelagius nullam gratiam admittebat praeter liberum arbitrium, legem et doctrinam exteriorem; in secundo stadio admisit gratiam interiorem, illustrationem mentis,[2] et exempla Christi et remissionem peccatorum; in tertio demum videtur insuper admisisse « aliquid gratiae « interioris voluntatem afficientis, non ut absolute necessa- « riae, sed utilis tantum ad bonum opus faciendum, neque « gratuito collatae, sed naturae meritis debitae ».[3]

Nec conveniunt auctores utrum principalius de gratia habituali an de gratia actuali disputatio ageretur. Prius censet Thomassinus, alterum Billuart.[4] Certum est, de utraque gratia Pelagium graviter errasse. Qualiscumque enim habitualem gratiam admiserit, – de quo lege Billuart contra Tournely disputantem,[5] – si eam modo pleniori admisisset, nec de gratia actuali, cum habituali intime connexa, tam graviter errasset.

Suarez[6] censet fundamentalem fuisse errorem Pelagii negasse indigentiam causarum secundarum a Deo virtute propria donatarum, ut hac virtute propria sine novo divino concursu in actiones se exercere possent;[7] quod tunc naturali consequentia ad liberum arbitrium extendit. Quod liberum arbitrium, in quantum dat posse, est a Deo, ac proin

[1] Pelagii, ut alibi fusius exposuimus, praecipui *asseclae* fuerunt *Iulianus* et *Caelestius*. Praecipui autem *oppugnatores:* Sixtus presb. rom. dein. R. Pont.; Paulinus diaconus Mediolanensis, Marius Mercator laicus occidentalis, Orosius presbyter Hispanus, Hieronymus ac praesertim Augustinus.* *Concilia,* quibus haeresis Pelagiana damnata fuit, plus quam viginti numerantur ante Conc. oecum. Ephesinum. Praecipua inter documenta dogmatica habes superius enumerata. *Pontifices* autem in defensione gratiae contra Pelagianos emicuerunt: Innocentius I, Zosimus, item Bonifacius I, Sixtus III, Leo Magnus.**

[2] Contrarium tenet Lessius.

[3] Op. cit. *Dissert.* I, Praeamb. art. 7.

[4] Ibid.

[5] Ibid., p. 10 sqq.

[6] Op. cit., Prolegom., 5, cap. IV.

[7] Hunc errorem philosophicum docuit et Durandus (loc. cit.).

* Cf. MONTAGNE, *De grat.*, pars hist., diss. 1, a. 3, apud MIGNE, *Curs. theol. compl.*, l. x, p. 89.

** Cf. MONTAGNE, loc. cit., aliosque passim historicos.

latiori sensu gratia; in quantum dat agere, est a libero agente. Hanc sane sententiam corripit Augustinus contra Iulianum disputans.[1] Hanc Hieronymus manifestissime confutat uti Pelagii, quem inducit sacrilege obiicientem: « Numquid si « voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, etc., « semper mihi auxilium Dei erit necessarium? ».[2] Et alibi simili obiectioni, ore Critobuli contra Atticum, respondet: « Iuxta meum sensum non posse, perspicuum est ».[3] Itaque iuxta Pelagianum Deus dat liberum arbitrium et servat; non autem concurrit eius actibus speciali adminiculo. Attico obiiciente « non ita esse datum nobis liberum arbitrium ut « per singula opera Dei tollatur adminiculum » respondet Critobulus: « Non tollitur Dei adiutorium cum creaturae in « semel dati liberi arbitrii gratia conserventur ».[4] Unde eloquenter Hieronymus inducit Pelagium Deo dicentem: « Recede a me, quia mundus sum, non habeo te necessa- « rium, dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam « quod voluero; quid rursum te ingeris, ut nihil possim « facere, nisi tu in me tua dona compleveris? ».[5] Recte proin Concilium Palaestinae damnavit errorem Pelagii: « Non « est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio ».[6] Quod Augustinus ita exprimit: « Non esse liberum arbitrium, si « Dei indiget auxilio, quominus in propria voluntate habet « aliquis facere, vel non facere ».[7] Ergo veritas non est in negando sive libero arbitrio sive necessitate divini concursus ad singulas eiusdem actiones, sed in utroque simul componendo, cum Augustino urgente: « Fateantur esse liberum « arbitrium, etiamsi divino indiget adiutorio ».[8]

[1] *Ctr. Iulian.*, l. IV, c. 3. – *De grat. Chr.*, c. 3 et 6. – *Epist. 130.*

[2] *Epist. ad Ctesiph.*

[3] *Ctr. Pelag.*, l. I, circa principium.

[4] Ibid.

[5] *Epist. ad Ctesiph.* Aliqui theologi ex hoc loco contendunt, Pelagium hoc Dei auxilium non negasse in ordine actionum ordinis naturalis, sed solummodo supernaturalis. Sed hoc bene confutat Suarez (loc. cit., n. 7). Verba enim id per se nullatenus insinuant, et textus Scripturae quos Hieronymus opponit, de ordinis naturalis auxiliis loquuntur (Ps. XXIV, XXXVI, IEREM., c. X).

[6] Art. X.

[7] *Epist. 106.* – Cf. *De grat. Chr.*, c. 3.

[8] Ibid.

Contra Iansenium et Simonem,[1] qui in re gratiae Augustinum uti novatorem exhibere conabantur, Bossuetius erudite demonstrat tum Pelagium innovasse, tum Augustinum, traditionem vindicasse et, iuxta belle dictum S. Hieronymi,[2] antiquae rursus fidei conditorem extitisse.[3]

2) *Semipelagiani*, inde vocati quia, ex Pelagianis orti, mitiorem, sed adhuc falsam sententiam sequebantur. Si Pelagii errores uti fontem habebant negationem peccati originalis, Semipelagianorum fundamentalis error fuisse videtur de praedestinatione,[4] quippe quam fatalismum inducere asserebant. Concessa proin gratiae internae necessitate, duo ab illa eximebant: *initium fidei* et *perseverantiam*,[5] ne liberum arbitrium esset frustra, et Deus personarum acceptor diceretur.

Sed de initio non omnes aequaliter statuebant. Alii hanc restrictionem ad initium fidei limitabant; alii eam ad cuiusvis operis boni initium extendebant. Sed hoc rursus vario modo. Alii quia oratio, quo gratiam meremur, in nostra residet potestate; alii quia initium ipsius boni operis, utpote in nostra potestate, gratiam Dei praevenit; alii tandem quia praevenientem Dei gratiam aliquibus tribui, non autem pro omnibus statui posse affirmabant.[6]

[1] Idem valet de modernioribus qui eodem pruritu laborant.

[2] *Ep. 80.*

[3] Op. cit, I part., c. 1, II part., ch. 7 sqq.

[4] Cf. *Epist. S. Prosperi ad Augustinum.* – *P. L.*, t. LI, col. 69.

[5] Audiatur Augustinus: « Solum initium fidei et usque in finem perseverantiam sic « in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent; neque ad haec habenda « atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates; caetera vero « ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide ». *

[6] Cf. MONTAGNE, *De gratia,* loc. cit.

Auctores Semipelagianismi fuerunt mediate monachi Numidiae *Adrumetini,* immediate *Massilienses;* quorum errorem plus vel minus secuti sunt *Cassianus* **

* *De dono persev.*, c. 17. – *P. L.*, XLV, col. 1019.

** Ioannes Cassianus, – utrum origine Scytus an Gallus incertum, – a S. Ioanne Chrysostomo diaconus ordinatus, defuncto hoc illustri praesule, Galliam petiit et Massiliae sedem fixit. Collatio XIII, quae Semipelagianismum sapit, – unde S. Prosper adversus Collatorem celebre opus confecit, – in ore ponitur cuiusdam Cherimonis abbatis. Ecce duas Cassiani sententias quae, praesertim altera, Semipelagianismo infectae sonant: « Deus cum in nobis ortum quemdam bonae voluntatis inspexerit, « illuminat eam confestim atque confortat et excitat ad salutem, incrementum tri« buens ei quam vel ipsa plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse ». – « Sin « vero a gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de

Uti apparet, hic error est longe subtilior, unde inter ipsos catholicos ortum habuit. [1] Imo Augustinus, ipso humillime

Vitalis Carthaginensis, *Vincentius* Lerinensis * (?), *Faustus* Lerinensis Rhegii episcopus, ** fuere qui tamen probabilissime non haeretici formales. - Contra Semipelagianos decertarunt praecipue: *S. Augustinus, S. Prosper,* *** auctor libri *De vocatione gentium* (Leo M. ?), *S. Fulgentius* episc. Rusp., *S. Caesarius* Arelat., **** *Avitus* Viennensis. - Damnata autem est Semipel. doctrina ab Ecclesia per epist. Caelestini I ad Episcopos Galliae (ann. 431), per *epistolam synodicam* episcoporum Africae in Sardinia exulantium, per concilium Arausic. II (ann. 529), per *Bonifacium II* idem confirmantem.

* *In Commonitorio.*

** Certum est, Faustum Rhegiensem ex mente libros suos confecisse ut medium ter signaret inter errorem Pelagii et excessum oppositum presbyteri Lucidi. Unde incaute legenti multa habet quae orthodoxa omnino videntur. Re autem penitus inspecta, Semipelagianus defectus in Fausti libris apparet. Ado recte eum iudicat dicendo: « Faustus apud regem Galliae episcopus, Pelagianum dogma destruere « conatus, in errorem labitur: unde qui eius sensus in hac parte catholicos prae- « dicat, sicut Gennadio, omnino errat ». Nec aliter Faustum iudicarunt contemporanei Beatus Avitus, Viennensis episcopus, Ioannes Antiochiae presbyter, Petrus diaconus, Fulgentius, Ioannes Maxentius, qui nimis severe hac de re tractus Hormisdam, quasi nimior erga Faustum benevolentia usum. †

*** *Contra collatorem Cassoavi.*

**** *De grat. et lib. arb.* opus perditum, sed a Felice IV laudatum.

« Zachaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui, desiderio suo vim « quamdam regnis caelestibus inferentes, specialia vocationis monita praevenerunt? » (*Collat.,* XIII, 8, 11). Uti bene monet Suarez, †† gravis excessus fuit Gennadii tum quod Cassiani scripta ab Ecclesia fuisse probata, tunc quod Prosperum eadem infamasse dixerit. Recte tamen Gennadius fatetur: « Re enim vera Cassiani et Prosperi « de gratia et libero arbitrio sententiae in aliquibus inveniuntur contrariae ». †††

Ipse autem Suarez †††† non solum censet Cassianum fuisse Semipelagiano errore infectum, sed eumdem errorem dilatasse, ita ut a Pelagianismo minus recederet. Quod sane sat facile eruitur ex sententiis et argumentationibus quas in Collatione XIII tradit, a Charimone quidem prolata, sed ita relata ut Cassianus, in Collationis fine, se ea probare insinuet.

Recte igitur Ado iam monebat, ††††† opera Cassiani, praesertim de gratia et libero arbitrio, cautissime esse legenda. Hinc cura salutaris qua Eucherius, Victor et Cassiodorus Cassiani libros expurgandos curarunt. ††††††

† Plura vide apud Suarez (op. cit., *Prolegom.,* V, c. 5, § *De Fausto,* n. 19 sqq.), qui in certum relinquit utrum cum fundamento Gennadius et Sulpicius Severus Semipelagianismo plus minusve fuerint infecti. At certum est eos in communione catholica decessisse.

†† Op. cit., *Prolegom.,* V, § *De Ioanne Cassiano,* n. 6 sqq.

††† *De vir. illustr.,* c. 84.

†††† Ibid., n. 13.

††††† Chron. ann. 425.

†††††† S. Benedictus in fine Regulae suae hortatur suos monachos ut collationes Patrum sedulo pervolvant; Cassianum autem non nominat. Censemus proin eum expurgata volumina commendasse.

[1] Vasquez Semipelagianis adnumerat S. Ioannem Chrysostomum; sed quam temerario infra videbimus. A Semipelagianismi insimulatione Scotum vindicavit

fatente,[1] in primis suis de hac quaestione scriptis[2] hunc errorem de initio fidei tenuit. Quo facto, sed omnino perperam, abusi sunt Semipelagiani.[3] Quorum errorem tempore novatorum instauravit Ariminius, qui censebat Augustinum in praecedenti periodo rectius de gratia et libero arbitrio iudicasse. Inter Ariminii defensores eminebat Grotius.

3) *Sociniani*[4] excessibus Lutheranis (de quibus mox), impellente insuper impietate propria, in errores praecedentes acti fuisse videntur, quos instaurarunt quoad modum concipiendi respectum hominis ad supernaturalem elevationem et auxilium. Ad rem praesentem spectant praecipue Socinianorum errores circa gratiam et iustificationem.

a) Circa gratiam: α) *Actualem gratiam*, motus quippe *interni* supernaturale iuvamen non confitebantur. Docebant enim « opus non esse Spiritus Sancti interiori dono, ut quis « Evangelio credat ».[5] – β) *Externam* gratiam, more Pelagianorum, concedebant *revelationem Evangelii.*

b) Quoad iustificationem: α) Fidem iustificantem aiebant « Dei obedientiam »; β) quam obedientiam, licet in se imperfectam, Deus per quamdam « acceptationem » uti perfectam

P. Minges (*Die Gnadenlehre des Duns Scotus auf ihren angeblichen Pelagianismus und Semipelagianismus geprüft,* 1906).

[1] *Retract.,* l. I, c. 23. – *De prudent. SS.,* c. 2, 4, ubi suum errorem appellat « damnabilem sententiam ».

[2] In anterioribus suis scriptis loquebatur tamquam instinctu ipsius gratiae ab errore hoc immunis. Modus enim quo conversionem suam tribuebat precibus suae piissimae matris,* ostendit quid de initio fidei censeret. Pulchre Bossuetius: « On « voit par l'exemple de Saint Augustin, que les premiers sentiments qu'on prend « dans l'Eglise, et qu'on exprime principalement par la prière, sont ceux de la grâce « qui nous convertit ».**

[3] Cf. S. Prosperi *epist ad Aug.*

[4] Ab auctoribus Laelio Socino († 1562), Melanchtonis amico, et magis a nepote eius Fausto Socino († 1604). (Cf. de hac haeresi: Trechsel, *Die prot. Antitrinitanier vor Socinus,* Heidelb., 1844).

[5] *Catech. Racoviens.,* sect. 6.

* *De ordine,* l. II, c. 20. – Cf. *Solil.,* l. I, c. 1, n. 2.

** Op. cit., part. II, l. VI, ch. 13. Optime Bossuetius (ibid. et sqq.) in evolutione mentis Augustini quatuor veluti stadia distinguit. In primo, nondum disputans, bene sentit orando. – In secundo, imperfecte disputando, deficit viribus liberi arbitrii nimis tribuens. – In tertio contra Pelagianos gratiam vindicans, agnoscit priscum errorem. – In quarto cum plenitudine ingenii et auctoritatis veram de gratia doctrinam propugnat.

habet: γ) unde nulla alia iustitia, nec ipsius Christi, veluti causa iustificationis indigemus.[1]

4) Accedunt *Hermesius, Hirscher* et *Günther* atque alii moderniores praesertim in Germania.[2]

a) *Hermesii*[3] fundamentalis error fuisse videtur, quod gratiam ad primordialem hominis *integritatem praeternaturalem* limitaverit. Unde totum opus iustificationis tendit in huius integritatis *restaurationem*. – *Habitualem* autem gratiam nimis sumit in primo sensu bonae voluntatis, qua Deus, intuitu satisfactionis Christi, iam benevolo oculo intuetur et paratus est iuvare illos, quos ob destructam integritatem uti sibi exosos habere deberet. – Vi huius bonae voluntatis *iustificatio* incipit per inspirationem fidei vivacis in Deum et Christum; ex quo sequitur, infantes non in baptismatis instanti iustificari. - *Actualis* autem gratia est medicinalis, quippe quae corrigit quod per concupiscentiam homo in primordiali integritate detrimentum passus est. Quare eius *necessitas* limitatur ad ea, in quibus hoc medicinale iuvamen exigitur.[4]

b) *Hirscherus*[5] fundamentaliter in hoc erravit, quod in primigenio hominis statu capacitatem ad finem cogitaverit viribus naturae integrae insitam.[6] Per lapsum concupiscentia contra hanc finis obtentionem insurgit, quin tamen radicitus illam tollat. Ex hac fundamentali conceptione iam fluunt sequentia doctrinae Hirscherianae capita: α) Gratia *actualis, ante* lapsum, erat ad evolvendam hanc insitam naturae capa-

[1] De modo quo haec iustificationis doctrina sese ad doctrinam Protestantium habeat, consule Möhler (op. cit., p. 632 sqq.).

[2] Plura de his vide apud Card. Katschthaler (op. cit., p. 48 sqq.).

[3] Nat. 1775 in Westphalia, prof. Monasterii et Bonnae, † 1831; eius doctrina fuit anno 1835 a Sancta Sede damnata; quam damnationem, quum Braun et Achterfeld, Bonnae lectores, acceptare recusarint, venia legendi eis a Cardinali Geissel ablata est.

[4] Cf. Rorskovary (*Rom. Pont.*, IV, 643 sqq., 702 sqq.): Hergenroether (*Kirchengesch.*, t. 2, n. 371 sq.); Kleutgen (*Theol. der Vorz.*, t. II, n. 100 sqq.), etc.

[5] Nat. 1788, prof. Tubingensis et Friburgensis in Brisgovia, † 1865; vir piae mentis ac non exigui meriti; sed minus solidae doctrinae et acrioris zeli (*Moral. – Die Kirchl. Zustände der Gegenwart*). Iudicium Sanctae Sedis laudabili submissione agnovit.

[6] *In der sittlichen Anlage.*

citatem;[1] *post* lapsum insuper est ad superandam concupiscentiam vel ipsi resistendum. Quae gratia non undequaque et semper ad actionem fini proportionatam requiritur, quum radicalis proportio per vires naturae insitas habeatur, nec hanc proportionem originale peccatum ex toto destruxerit. – β) *Habitualis* autem gratia non debet nimis a naturali perfectione distingui, ne homo iam exclusive gratiae confidat et a conatu personali abstineat (!); est autem haec gratia iugis influxus Dei creatoris aeque ac sanctificatoris, consistens tum in evolvenda radicali iustitia naturae insita, tum in domanda concupiscentia per peccatum exorta. Quae gratia, uti patet, potius quam habitualis, vocanda esset iugis actualis.[2]

c) *Güntherus*[3] pariter circa totam oeconomiam gratiae erravit, quia non concepit gratiam proprie ad ordinem supernaturalem elevantem. Caeterum fatendum est, multa quae protulit de conditione primordiali, de peccato originali, deque ipso opere reparationis et incorporationis in eumdem per baptismum, partem non exiguam veritatis continere.[4] Totum autem inficitur per hoc quod iustitiam primordialem seu originalem cum ipsa natura primordiali nimis confundit, ac proin in reparatione nimis tribuit actuali conatui naturae Christi obedientiam imitantis. Ita concedit quidem baptisma esse instrumentum, quo homo Christo incorporatur; baptisma autem asserit non per se conferre iustitiam, sed quum per actualem voluntatem ipsi advenit imitatio obedientiae secundi Adami.[5]

d) Hisce adnumerandus est *Kuhn*,[6] qui vestigiis Hirscheri

[1] Unde conferebat illam cum rore caeli ac pluvia quibus semina frugum superne stimulantur ut germinent atque in messem exsurgant (cf. *Moral.*, t. I, § 141).

[2] De doctrina Hirscheri cf. Zobl (*Dogmengesch.*, § 127 sqq.), Kleutgen (op. cit., n. 209 sqq.), Katschthaler (op. cit., p. 51 sqq.).

[3] Antonius G. († 1863) philosophiae Hegelianae addictus, non de gratia solum erronee scripsit. Damnatus a Pio IX (8 ian. 1857), Sanctae Sedis iudicio laudabiliter (10 februarii) subscripsit. Opera eius praecipua huc spectantia sunt: *Vorschule*, t. I, p. 393 sq.; t. II, p. 114 sq., etc., *Die letgte Symboliker*, p. 35 sqq.; *Janusköpfe*, p. 276 sq.

[4] Quid recti in his habeatur, forte non satis a catholicis semper distinctum et agnitum est. Vide Katschthaler (op. cit., p. 54 sq.).

[5] Consule de Günthero: Knoodt (*Günter und Clemens*), Zobl (loc. cit.), Denzinger (*Die Specul. theol. Günthers*), Kleutgen (op. cit.).

[6] *Lehre von der göttlichen Gnade* et *Das natürliche und Uebernatürliche*, responsio ad Schaetzler, qui Kuhnii doctrinam variis operibus acerrime impugnavit. Cf. multa in diariis *Katolik*, 1865 sqq. *Hist. polit. Blätt.*, 1863, 64, *Bonner Litter. Bl.* 1868, de eadem controversia.

nimis insistens, de gratia locutus est tamquam de stimulante, evolvente seminales vires naturae insitas, quin supernaturalis ordinis rectam habuerit notionem.

5) Demum hic non omittendi videntur illi theologi catholici, qui, non satis caute interpretantes axioma « facienti « quod est in se, Deus non denegat gratiam » quasi initium esset ab hominis voluntate, ansam dederunt calumniae Protestantium, doctrinam Ecclesiae cum Semipelagianismo confundentium, quemadmodum scribit Rothe: « Die Meinung « der Semipelagianer, *welche auch die herrschende in der « römisch katholischer Kirche ist,* dass der Mensch zwar die « Bekehrung aus eigener Kraft anfangen, sie aber nicht ohne « den Beistand des heiligen Geistes vollenden könne... ». [1] Absit tamen ut ab haereticorum calumnia catholici theologi normam sibi haurire cogantur!

Longe melius theologi *protestantes,* imprimis in Germania, nedum festucam in catholicorum oculis inquirerent, trabis molem attenderent, qua rerum supernaturalium ipsis conspectus obfuscatur. Tantopere enim multi eorum ad rationalistarum sive deistarum campum appropinquant, ut difficile sit dictu utrum adhuc vere Christiani appellari possint. Ita Wegscheider, [2] theologus protestanticus qui medio saeculo elapso magna apud suos fama gaudebat, quaestionem gratiae reducit ad providentiam naturalem qua Deus actionibus liberae creaturae concurrit. Ratio autem ob quam actionem supernaturalem Dei in hominis mentem ad voluntatem recusat, est ipsa hominis libertas et responsabilitas quae per huiusmodi actionem destrueretur. [3] Verum est Lutherum hunc influxum exaggerasse, qui ipse libertatem non admittebat nisi servilem; at non ideo, nisi stolida temeritate recusari potest gratiae proprie dictae influxus ne libertas pereat.

6) Denique huc spectant *modernistae,* [4] non illi quidam radicales qui non amplius nisi nomine sunt Christiani, ad

[1] *Dogm.,* t. II, sect. II, § 51.

[2] *Instit. theol. christ. dogm.,* § 152.

[3] Ibid.

[4] Modernistarum nomen non est ab adversariis huius systematis inductum, uti falso opinatur Loisy, sed iam apud Italos, duce imprimis Murri, agnitum erat. Qui

Kantii enim et ad pantheistarum castra potius spectant; sed illi mitiores sive minus logici, quia non solum adhuc Christiani appellari, sed imo uti genuini catholici haberi praesumunt.

Et sane quum illi radicitus sensum religiosum ab aliqua indefinibili subconscientia repetant, omnem genuinae fidei notionem et viam pervertunt, ac proin ipsius gratiae. Reducitur enim ad quemdam subiectivum fideismum. Agnosticismus[1] insuper, cui illa subconscientia veluti medetur, non potest conciliari nec cum certitudine fidei, haud secus ac illa mutabilis subconscientia, nec cum immobili firmitate dogmatum ab ipso Deo revelatorum.[2] Demum quum modernismus evolutionis morbo inficiatur, rebellat in doctrinam de gratia naturam superne elevante, haec enim gratuita elevatio toto caelo ab evolutionismo differt. Audiantur verba Encyclicae *Pascendi:* « Religiosus sensus qui per vitalem immanentiam « e latebris subconscientiae erumpit, germen est totius reli- « gionis ac ratio pariter omnium quae in religione quavis « fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, « eiusmodi sensus paullatim atque influxu arcani illius prin- « cipii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu huma- « nae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus

tamen Murri id potius induxit ob novitates quas propugnabat in ordine sociali et oeconomico, dum quoad partem dogmaticaminitio scriptis modernismum impugnabat (cf. opus M. A. Cavallani cui titulus: *Modernismo e modernisti*, 1906).

[1] Agnosticismus modernistarum longe differt ab agnosticismo Iansenistarum. Hic petitur ab incapacitate naturali humani intellectus phaenomenis circumscripti; ille a misera conditione naturae lapsae. Cognitionem autem Dei modernistae repetunt ab immanentia religiosa, quae parit symbolofideismum et evolvitur semper; Iansenistae autem, licet ad quamdam experientiam religiosam recurrant ad miseram conditionem lapsi hominis adstruendam, cognitionem de Deo repetunt a revelatione, a qua dogmatum invariabilitatem, usque ad excessum deducunt. Conveniunt tamen utrique in hoc quod supernaturale exigunt, sed Iansenistae hoc non nisi per illuminationem gratiae cognosci posse contendunt, dum modernistae ope immanentiae id apologetice adstruunt. Cf. Cl. De Meyer (op. cit., p. 487 sqq.); R. P. Garrigou-Lagrange (art. *Dieu. Dictionn. apol. de la foi cathol.*, t. I, c. 941-1068).

[2] Hinc ille monstruosus conceptus dissensus possibilis inter fide credenda et scientifice demonstrata. Iam saec. XIII. at ex alio fundamento, similis error apparuit, uti demonstrat propositio damnata ab archiepiscopo Parisiensi anno 1277 (1276?) sub duplici forma: « Dicunt enim ea esse vera secundum philosophiam, sed non secun- « dum fidem catholicam, quasi sint duae contrariae veritates. – Quod creatio non « est possibilis, quamvis contrarium tenendum sit secundum fidem » (cf. Denzinger. Bannwart, *Enchirid.*, 11 edit., n. 738; De Wulf, *Histoire de la philosophie médiévale*, n. 507 sqq.).

« igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem: « sunt nempe illae religiosi sensus merae explicationes. Nec « quis catholicam exceptam putet; imo vero cum caeteris « omnino parem: nam in conscientia Christi, electissimae « naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, vitalis « processu immanentiae, non aliter nata est... ». [1]

Unde modernismus in ipsam Christi Ecclesiam rebellet oportet. Recte Cardinalis Mercier: « Le modernisme consiste « essentiellement à affirmer que l'âme religieuse doit tirer « d'elle-même, rien que d'elle-même, l'objet et le motif de « sa foi. Il rejette toute communication révélée qui du « dehors s'imposerait à la conscience, et ainsi il devient « par une conséquence nécessaire, la négation de l'autorité « doctrinale de l'Eglise établie par Jésus-Christ, la mécon- « naissance de la hiérarchie divinement constituée pour « régir la société chrétienne ». [2]

Et alibi de modernismo haec optima idem Praesul scribit: « Le modernisme a été appelé par Pie X le rendez-vous de « toutes les hérésies. Il est l'aboutissant du protestantisme, « du naturalisme, du kantisme. Je l'appellerais volontiers « un scepticisme affublé de religion. A l'outrecuidance de « plusieurs, il apparut comme l'engin de sauvetage du chris- « tianisme que l'autocratie romaine met, dit-on, en péril. Il « est, en vérité, la révolte subtile d'âmes qui ne savent plus « ni croire ni obéir, et se donnent l'illusion de demeurer « religieuses parce qu'elles idolâtrent un idéal qu'elles se « sont forgé elles-mêmes ». [3]

[1] Nuperrime in ephemeridibus *Fede e Vita,* auctor articuli cui titulus: *L'aspetto dinamico della Rivoluzione e della Tradizione* (*In rapporto con l'Unità della Chiesa*) modernismi conceptum fundamentalem ita expressit: « L'Iddio trascendente, per il « solo fatto che è anche immanente, è un Dio rivelato.... La rivelazione di Dio nel- « l'uomo è un processo naturale come la vita umana, ed è vasta quanto la storia « umana.... Non vi è una rivelazione *altra* della rivelazione generale derivante dalla « immanenza: la rivelazione è una.... La rivelazione generale, quanto alla sua ori- « gine, è tutta divina e soprannaturale perchè quegli che si rivela è Dio e l'inizia- « tiva della rivelazione è sua; e quanto alla manifestazione è tutta umana e naturale, « perchè tutte le facce di essa (etenim est simul *una* ac *poliedrica*), compresa quella « che per antonomasia è detta religiosa, sono effetto dell'immanenza del divino nel- « l'*umano* ». *

[2] Le *modernisme* (Collection *Science et foi,* Bruxelles, 1908, p. 25).

[3] *La vie intérieure,* p. 47.

* Serie 4ª, anno III. - Num. 8-9, Agosto-Settembre 1919, p. 27 sq.

Uti apparet, modernismus radicalis subvertit funditus catholicae religionis aedificium: « Non heic, ait Pius X s. m. « in eodem salutari documento,[1] iam de vetere errore agitur, « quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tri- « buebatur. Longius admodum processum est: ut nempe san- « ctissima religio nostra, in homine Christo, aeque ac in nobis, « a natura, ex se suapte sponte, edita affirmetur. Hoc enim « nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abo- « lendum ». Quare nihil superest in systemate modernistico de vera notione gratiae divinae. Plura de hoc pessimo errore dicemus ubi de fidei virtute, Deo dante, tractabimus.[2]

Interim lectorem monere liceat, caute legenda esse scripta modernistico spiritu infecta. Etenim ex una parte scientiam valde extollunt, quasi princeps theologi instrumentum. De his autem quae sunt fidei, tam subdolis terminis loquuntur, ut minus cautus tamquam pia accipiat, quae in loquentis aut scribentis mente fraudem veluti venenum melle obtegat. Quam methodum fluctuantem et ab antiqua firmitate prorsus alienam, in ipsam rem apologeticam inducunt. « Ad « quem finem, ait laudatus Pontifex, modernistae apologistae « ad immanentiae doctrinam revertuntur. Elaborant enim ut « homini persuadeant, in ipso atque intimis eius naturae et « vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et « exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino « qualis catholica est: hanc enim postulari prorsus inqui- « unt ab explicatione vitae perfecta ».

Unde, sicuti de certitudine agentes, recusant argumenta scholastica Dei existentiam demonstrantia, ita in re apologetica uti inefficacia prope despiciunt argumenta ex miraculis deducta.[3] Ex quo prorsus patet quam periculosum sit

[1] Mirum proin non est, communitates protestanticas, praesertim in Statibus Foederatis Americae, Pio X gratias agisse de apostolico zelo quo thesaurum christianae revelationis vindicavit.

[2] Cf. Carbone, *De modernisticis doctrinis*, Romae 1909. – Cf. et Cl. Van der Meersch, *De divina gratia*, p. 19 sqq.

[3] Optime e contra Cl. Albertus De Meyer inter theses suas doctorales nuper Lovanii propugnatas hanc quintam habet: « Facta divina, imprimis miracula ac « prophetiae, inde ab initio Ecclesiae agnita sunt tamquam " signa divinae revela- « tionis certissima et omnium intelligentiae accommodata ,,. * Adhuc hodiedum ut « talis a catholicis sunt admittenda ».

* *Conc. Vatic.*, Sess. III. c. 3.

abiicere sanam philosophiam eique somnia kantiana praeferre.[1]

II. Per *excessum* vero, saltem quoad summam doctrinae suae, peccaverunt:

1) *Praedestinatiani*, sive illi omnes qui in praedestinatione partes gratiae ultra limites auxerunt. Cuius erroris semina iam saeculo quinto, incerto autem auctore, reperiuntur.[2] In medio aevo, saec. IX, praedestinatianismum instauravit Goteschalcus; saec. XIV, Wiclefus (praeludente Thoma Bradwardino († 1349) monacho, Oxoniensi professore), et Hussius; per quos, et saec. XVII ad Iansenium idem error pertransit, cum modificationibus uniuscuiusque systematis indoli propriis.

2) *Pseudo-reformatores*, inter quos prae aliis, quoad rem praesentem, distinguendi sunt *Lutherus* et *Calvinus*.[3]

a) *Lutheri*[4] error capitalis fuit quod iustitiam originalem uti partem naturae habuerit. Unde sequitur, amissa iusti-

[1] Cf. SENTROUL, *L'objet de la Métaphysique selon Kant et selon Aristote*, Louvain, 1905.

[2] Sat probabiliter apparet auctor libri anonymi *Praedestinatus* (Arnobius iunior?), nimis urgens doctrinam S. Augustini de praedestinatione et gratia. Ulterius progressus, Lucidus, sacerdos Gallus, praedestinationem ad mortem docuit, quem errorem in Synodis Arelatensi et Lugdunensi (475-480) abiuravit. Secta autem propria huius nominis non exstitisse videtur.*

[3] Quum Lutherus et Calvinus, – quod paulo post accidit et Baio et Iansenio, – ad tuenda sua placita tum Pauli tum Augustini auctoritate abuterentur, non defuerunt theologi catholici qui facilius putarint se catholicam doctrinam tueri posse, nonnihil ab Augustini sententia recedendo. Quorum imprudentiam, inter alios, corripuit Baronius,** ostendens periculum ne recedendo ab Augustino, in errorem saltem Semipelagianum plus minusve incidatur, a quo ipse Augustinus in doctrina profectus, se tam humiliter liberavit. Caeterum novatorum aetate quanta auctoritate S. Augustinus gauderet, demonstrant v. gr. laudes quas ei veluti certatim tribuerunt doctissimi sodales Societatis Iesu, uti Bellarminus, Toletus, Henriquez, Sanchez, Suarez, Petavius, Garnier, Deschamps, et Vasquez, qui demonstrat, Pium V et Gregorium XIII excessus Baii damnando, nullatenus doctrinam genuinam Augustini corripere voluisse. ***

[4] Nat. 1483 † 1546. De toto opere Lutheri cf. COCHLAEUM, *De actis et scriptis Lutheri. Lutheranorum Symbolica opera* sunt: Confessio Augustana, cum Apologia eiusdem: Articuli Schmalcadici; Lutheri catechismus, Formula Concordiae (contin. Epitom. et Solid. Declarat). Haeresis lutherana *damnata est* anno 1520 a Leone X,

* Cf. HEFELE, *Concil. Geschichte*, t. II, p. 576 sq.; Card. NORISIUS, *Hist. Pelag.*, l. II, c. 15.

** Tom. VI, ann. 490.

*** Cf. BOSSUET, op. cit., l. VI, ch. 20 sqq.

tia, hominem ita laesum esse in naturalibus, ut sit intrinsece absolute malus. Ex quo rursus omnis in homine huius laesae naturae manifestatio est verum peccatum, idque non solum in non-regeneratis, sed etiam in renatis. Haec porro natura, quum sit totaliter laesa et incapax ad bonum, non potest nisi tegi, non autem ita intrinsece mutari ut bona reddatur.

In hac natura non datur arbitrium liberum nisi a coactione, non autem a necessitate.[1] Gratia autem infert necessitatem boni ad quod impellit; quod bonum voluntas vitaliter quidem agit in quantum est bonum materialiter; sed agitur et non agit in quantum est bonum formaliter. Gratia proin vel est nulla, vel est necessitans, propter infallibiliter victricem delectionis superioris motionem. Homo proin non habet nisi *servum arbitrium*, a concupiscentia vel a gratia necessario motum. Hoc de gratia *actuali*.

Quoad *iustificationem*, en capita errorum Lutheri. Si *causam efficientem* quaeris: est *fides*. Haec autem

Fides est vel
- 1) *historica*, qua veritas Scripturarum creditur;
- 2) *miraculorum*, qua miracula patrantur;
- 3) *promissionum*, qua promissae saluti creditur, illudque
  - *a*) *generaliter*, de omnibus,
  - *b*) *specialiter*, unusquisque de se.

1528 a duabus Synodis de eadem in Gallia habitis, in Conc. Trid. (inch. 1545, abs. 1563). *Discipuli Lutheri* distinguuntur in *rigidos* (Flaccum Illyr., Osiandrum, Brentium, Callixtum, etc.) et *molliores* (Melanchtonem, etc.). *Sectae* praecipuae sunt Sacramentariorum, Anabaptistarum, Adiaphoristarum.

Inter catholicos theologos, qui Lutherum aliosque Reformatores passim oppugnarunt, floruerunt * in *Germania:* Ioan. Eckius (Eichst.), Nausea et Noguera (Vindob.), Bertholdus (Chiemsee), Cochlaeus (Norimb.), Staphilus (Ingolst.), Hogstraeten Gropper, Pighius (Colon.), Card. Hosius, Cromer (Ermel.), b. Petrus Canisius; - in *Belgio:* doctores Lovanienses Ruardus Tapperus, Driedo, Latomus, Ravenstein (Tiletanus), Hessels, Lindanus, Molanus, Gunerus Petri, Lensauius, Peltanus, Caretius (can. S. Aug.); - in *Anglia:* SS. Martyres Fisher (Roffensis), Th. Morus, Edm. Campian, Card. Polus, Gardiner, Alanus, Sanderus; - in *Gallia:* Claudius d'Espence, Claudius de Sainctes, Arboreus, Clichtovaeus, Merlin, Cheffontaines (O. S. F.), Genebrard (O. S. B.); - in *Italia:* Prierias, Catherinus, Naclantus (Dominicani), Card. Seripandus (Aug.); - in *Hispania:* Alph. de Castro (Minor.), And. Vega, M. Medina; uterque Soto et Melch. Canus (Domin.); - in *Lusitania:* Payva de Andrada, Perez de Ayala, Osorius.

[1] De doctrina Lutheri circa liberum arbitrium cf. MOEHLER, *Symbolik*, l. I, c. 3, § 11.

* Cf. SHEEBEN, op. cit., t. I, p. 445 sqq.

Fides haec ultima *promissionum specialis* est *fides iustificans*, quae sola est iustificationis causa efficiens.

Causa autem formalis eiusdem est negativa, scilicet non imputatio peccatorum, propter imputatam iustitiam Christi. Per consequens est in omnibus eadem, quum negativum non patiatur plus vel minus.

Ex hac doctrina fluunt sequentia: opera bona esse inutilia, insuper carere merito ad salutem; ita ut neque peccata iustificationem destruant, modo firmiter stet fides specialis promissionum. « Bona opera, ait Lutherus, non faciunt bonum « virum, nec malum mala ».[1] « Nulla peccata possunt fidelem « damnare, nisi sola incredulitas ».[2] Imo urgendo hanc doctrinam, Lutherus non verebatur affirmare, opera bona esse saluti nociva, utpote fidei fluctuantis argumenta, errorisque de formali causa iustificationis. Notissima inde Lutheri effata: « fortiter pecca, et fortius crede »; « iustus in omni opere « bono peccat mortaliter ».[3] Hoc erroris monstrum Amsdorfius, Lutheri amicissimus, vindicavit in opere inscripto:

[1] *De libertate Christi.*

[2] *De captiv. Babyl.*

[3] Fatendum tamen est plerosque protestantes modernos ab his excessibus, qui totum ordinem moralem pervertunt, paulatim recessisse, et ad catholica principia, quin tamen fateantur, rediisse. Optime Morawski, S. I.: « Les anciens théologiens « appuyaient logiquement leurs prévisions sur les véritables principes du protes- « tantisme, c'est-à-dire le rejet de toute autorité contraignante en matière de foi et « la négation de la valeur des bonnes œuvres pour l'accroissement de la foi. Il est « évident que de tels principes doivent en peu de temps amener le dépérissement de « toute société religieuse. Mais qu'arriva-t-il ? L'instinct de conservation fit que le « protestantisme lui-même sentit le danger. Alors il abandonna ses principes fon- « damentaux et revint, jusqu'à un certain point, bien entendu, eux principes catho- « liques. C'est d'eux qu'il vit actuellement, c'est à eux seuls qu'il doit d'être encore « en vie ». * Et nihilominus negator liberi arbitrii, naturae lapsae despector, adhuc patronus liberalismi et naturalismi decantatur. Omnibus enim qui antesignanum sequuntur, licet ei contradicant, vexillum gestant cui veluti tessera inscribitur: *Los von Rom!*

At et supersunt quidam protestantes theologi, qui Lutheri doctrinae de incapacitate naturae lapsae producendi opera bona adhuc adhaerent. Talis inter Batavos doct. Bavinck, qui haec scribit: « Deugden en goede werken zijn onderscheiden. Goed, « warlijk goed; goed in het oog van den heiligen God is alleen datgene wat met het « geloof naar Gods wet en tot Gods eere geschiedt. En aaen dezen maatstaf getoetst « wie durft dan zeggen dat er eenig werk door menschen geschiedt, dat volkomen « rein is en geen vergeting of vernieuwing behoeft... Zoodra men bij zich zelven, « of bij anderen niet bij woorden of daden blijft staan, maar naar de verborgen « motieven, de geheime bedoelingen onderzoek doet, komt de zondige aard van

* *Soirées au lac de Genève* (*Wieczory nad Lemanem*). *Sixième soirée.*

Niklas Amsdorf, dass die Propositio: « Gute Werke sind « zur Seligkeit schädlich, eine rechte wahre, christliche Pro- « position sei, durch die heiligen Paulum und Lutherum (!) *« gepredigt ».*[1]

Mirum inde nulli videbitur, si, stimulante hac nefanda doctrina, asseclae Magistri in abiecta quaeque libidinis ac scelerum brevi tempore prolapsi, inaudita rem publicam licentia perverterint. Vix enim unquam eloquentius apparuit criterium Domini: « ex fructibus eorum cognoscetis eos ».[2] Tanta quippe perversitatum irruptio ipsos discipulos Lutheri deterritos ad mitiorem doctrinam adduxit.[3] Caeterum gubernia cupiditatis libertatisque studio pseudo-reformatorum placitis devota, non potuissent iuxta principia Magistri subditos regere, nisi ipso rei publicae fundamento sublato. Unde apparet, easdem nationes protestantes de servata parte catholicae veritatis, sive inconscias sive invitas, subsistere atque florere.

Quot in hoc Lutheri systemate monstra congerantur, intuenti manifestum est. Iniustus fingitur Deus, quum in ipsa mutilata natura genus humanum propter primi hominis culpam punierit, et intrinsece malos cuiusvis boni incapaces de peccato licet inevitabili aeternis damnet poenis. Mendacium, Deo prorsus indignum, fit ipsum iustificationis opus, quum non sit nisi imputata Christi iustitia. Singulorum salus redditur dependens a temeritatis actu, quum nullum adsit fundamentum cur aliquis certo credat, iustitiam hanc sibi re vera imputari. Hypocrisis pessima stimulatur, quum haec fides nutrienda praescribatur, non obstantibus culpis, quas conscientiae sensus illi obesse praedicat. Imo hanc ipsam fidem, sublata libertate, fatale donum seu fatalem fallaciam esse cogit. Pervertit demum mores, negata utilitate, imo

« alle menschelijk streven aan het licht ».* In quibus verbis deploranda habetur confusio inter actum peccaminosum et actum non undequaque perfectum.

[1] Cf. Aug., *Conf.*, a. 20. Non primos fuisse Lutheranos, qui necessitatem seu valorem bonorum operum negarent, infra fusius exponetur, ubi de merito agendum erit.

[2] Matth., vii, 16.

[3] Imo multi ab excessibus Lutheri ad Pelagianismum, vel Semipelagianismum, quin ad indifferentismum deflectunt. Quorum numerus in dies augetur, et inter cultiores iam longe maiorem partem constituit.

* *Geref. Dogmatik*, iii, p. 152.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

affirmato bonorum operum nocumento. Et nihilominus tam nefanda doctrina, reformationis titulum sibi vindicavit; et, nomine humanae libertatis atque moralitatis, catholicae dictae tyrannidi et perversioni usque hodie opponitur. O deridendam sane, nisi magis deflendam absurditatem!

Porro hoc Lutheri systema, quoad gratiam excedit simul et deficit. Excedit fundamentaliter, quatenus in eo originalis iustitia uti pars ipsius naturae hominis concipitur, et per consequens necessitas gratiae ultra limites pro homine lapso urgetur. Sed deficit in modo quo fingit iustificationis opus, dum negat hoc veram iustitiam internam producere, sed id unice limitat ad aliquam imputationem externam; deficit quoque quoad iustificationis faecunditatem per negationem meriti. Quae omnia melius apparebunt ubi gratia Christi sub variis suis respectibus illustrabitur atque vindicabitur.

Fuerunt quidam novatores qui ad errorem Lutheri de libero arbitrio se habuerint aliqualiter sicuti Semipelagiani ad errorem Pelagii. Alii enim libertatem negarunt tantummodo ad bonum, non autem ad malum; alii adhuc mitius libertatem ad bonum non totaliter negabant, sed solummodo in initiali motu ad iustificationem non autem in iustificatis. Libertas autem ad malum intelligenda est dumtaxat specificationis ad hoc vel illud malum, non autem ad malum simpliciter, quippe in quod voluntas per peccatum corrupta necessario pondere fatetur. [1]

Quos omnes sive duriores sive mitiores confutat idem pulchre dictum Augustini: « Tolle liberum arbitrium, et non « erit quod salvatur; tolle gratiam, et non erit unde sal- « vetur ». [2]

b) Iam ad *Calvini* errores accedamus. [3]

Systema Genevensis Novatoris est partim mitius, partim durius Lutheri systemate quoad gratiam.

[1] Cf. SUAREZ, op. cit., *Prolegom.*, v, c. 7, n. 7.

[2] *Epist. 46.*

[3] Ioannes Calvinus (Chauvin), nat. 1509 † 1564, Lutherum vi dialectica superans, vehementia sermonis insuperabilem aequat. Iam anno 1535 *Institutiones Christianas* evulgaverat; sed anno 1541 sectam suam proprie constituit. Praeter *Cryptocalvinistos*, Melanchtone et Peucero in Germania ducibus, asseclae Calvini dividuntur in diores et molliores. Rigidiores, *Gomaristae* (a Gomaro) in Synodo Dordracena victoriam retulerunt de mollioribus, seu *Ariminianis*. Horum, praeter caput Iaco-

Mitius sensit de peccato originali, quo non omnes intellectuales hominis vires deleri contendebat; de libero arbitrio, non quasi vere liberum praedicaret, sed quatenus id gratiae vere cooperari docebat;[1] demum de ipsa iustificatione, quam non solum Lutherano sensu mere externam, sed aliquo modo internam concepisse videtur. At de hoc puncto varia,[2] sicut et de aliis, vir versalitis scripsit et docuit; unam semper eadem vehementia impugnans: doctrinam catholicam.

Durius autem sensit de praedestinatione. Hanc enim ita voluit absolutam, ut assereret, fideles non de praesenti gratia modo, - uti Lutherani docebant, - sed et de futura perseverantia et electione ad gloriam, divinae utique fidei certitudine, certos esse debere. Imo fidem et iustitiam contendit esse proprie electorum; quae vel numquam habentur, vel numquam amittuntur.[3] Quam porro duritie monstruosum sit huius doctri-

bum Ariminium, fautores fuerunt praecipui: Episcopius, qui libellum supplicem anno 1610 reipublicae concilio obtulit (unde *remonstrantes* molliores quoque vocantur), Grotius, et Oldenbarneveld, aemulus principis Mauritii, Gomaristis addicti.

[1] Cf. de doctrina Calvini inter alios STAPLATON, *De iustif.*, l. VIII, c. 24 sqq.

[2] Cf. inter se sequentia loca: « Interim tamen agnosco, Iesum Christum non modo « nos iustificare tectis omnibus nostris delictis et peccatis; sed etiam suo Spiritu nos « sanctificare adeo, ut haec duo (obtinere gratuitam remissionem peccatorum et for- « mari ad sanctam vitam) a se mutuo divelli et separari non possint ». * « Manet vere « peccatum in nobis neque per baptismum statim uno die extinguitur: sed quia dele- « tur reatus, imputatione nullum est ».** « Iustitiae imputatione nos absolvit, ut pro « iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus ». ***

[3] Contra hanc praedestinationis et gratiae doctrinam Remonstrantes quinque propositiones statuerunt: Praedestinationem praeviso gratiae usui subordinari; salvandos esse solos in Christo credentes et in obedientia perseverantes; Christum pro omnibus mortuum esse; hominem viribus suis sine gratia salvari non posse; gratiam non irresistibiliter operari, credentemque posse in gratia perseverare, sed etiam negligentia sua fidem cum gratia amittere. **** Vitium Calvini fuit gratiam nimis crasse tamquam divinum semen immortale, indestructibile concepisse. « Solos « electos, ait, semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut numquam « dispereat semen vitae in eorum cordibus insitum ». ***** Quam doctrinam synodus Dordracena contra Ariminianos vindicavit. Cf. Card. KATSCHTHALER, op. cit., p. 39.

* *Brev. Conf.*, t. IX, Amstelod., p. 94.

** *Antid. Cont. Trid.* ad Sess. V.

*** *Instit.*, l. III, c. 11, n. 3.

**** Cf. BRUECK, *Hist. Eccles.*, III, 205.

***** *Instit.*, l. III, c. 2.

nae consequens pro positive reprobatis, pro voluntate salvifica, pro opere Christi, per se patet et alibi iam exposuimus.[1]

Mira inconsequentia, tam absolutae praedestinationis doctor minus urgebat baptismi necessitatem ad salutem consequendam; etenim, uti alibi iam diximus, fidelium infantulos sine baptismo decedentes salvari dicebat, utpote ab ipsa nativitate sanctos, tamquam Deo accepta Ecclesiae membra. Quae doctrina, ut optime advertit Bossuetius,[2] ex Calvini principiis supponit, omnes fidelium posteros esse praedestinatos.

3°) *Semi-reformatores*, - si hac appellatione eos designare liceat, - *Baius, Iansenius, Quesnellus* ab his Lutheri et Calvini erroribus non satis recesserunt; magis quippe de medio quodam systemate, sub specie genuinae antiquitatis, conflando, quam de doctrina Tridentinae synodi dociliter acceptanda solliciti.

a) *Baius,*[3] cuius ingenium simul ac pietatem ipse Pallavicinus laudat,[4] quoad rem praesentem erravit tum circa originalis iustitiae statum, tum circa originale peccatum, tum circa libertatem hominis in statu lapso, tum circa ipsam iustificationem.

α) Originalem iustitiam, uti superius vidimus, docuit non esse simpliciter supernaturalem, quum visio beatifica sit unicus finis rationali creatura vere dignus, ac proin status naturae purus cum Dei sapientia ac bonitate pugnet. Unde, quemadmodum dona haec originalia non praedicari possunt stricte gratuita, ita merita hic donis acquisita, naturalia

[1] Cf. *Institut.*, l. III, c. 21, n. 7. Bene de hoc doctrinae monstro scribit Moehler: « Satis nobis sit hanc doctrinam publicae indignationi tradere, quippe confutare « esset iniuriosum lectori. Ecquid! Deus partem hominum creasset ad illos damnan- « dos, absque ratione, pro suo beneplacito, arbitrio, libitu! Ens infinite iustum et « supreme bonum victimas in aeternum puniret, in devorantibus flammis, ob culpas « quas commisisset ipse! Caelestis pater filios suos cruciaret tota virtute suae omni- « potentiae, ut eorum doloribus satiaretur, eorum lacrymis potaretur, ad cor suum « oblectandum conspectu sanguinolentarum plagarum, ululatu eorum desperatio- « nis!... Calamus manu decidit; numquam tam monstruosas blasphemias impietas « evomuit » (op. cit., § 12).

[2] *Variations,* l. IX, n. 16.

[3] Cf. notulam nostram historicam de Baio in t. VIII, p. 376 sqq.

[4] *Hist. Conc. Trid.,* l. 15, c. 7, n. 7.

tum Angelis tum hominibus, non vere supernaturalia praedicentur oportet.

β) De originali peccato superius pariter diximus. Addatur modus quo Baius considerat concupiscentiam in renatis. Etiam involuntarii motus in illis peccata sunt, quibus perfecta iustitia legisque impletio impediuntur ac impossibilis redduntur; imo hi motus essent mortales, nisi eorum reatus habitu charitatis, ne se evolveret, impediretur. In relapsis autem antiquam lethalem vim explicant, quemadmodum in non baptizatis.

γ) Porro hominis libertatem magis vindicat Baius quam Iansenius. Attamen cum protestantibus docet, liberum arbitrium non requiri ad imputabilitatem in peccatum (prop. 46, 67, 68). Insuper peccandi necessitatem pro homine lapso inducit (prop. 22, 27-30). Nihilominus contra Lutheranos tenet, gratiam vere iuvare hominem ad libere bona agenda, ipsamque liberi arbitrii existentiam tuetur. Hanc porro Christi gratiam exigit, ut homo ulli tentationi resistere valeat. - Nullam insuper moralitatem veram admittit, seu actum moraliter bonum, qui non habeat fundamentum divinae charitatis.

δ) Cuius charitatis Baius non admittit duplex stadium, initiale scilicet et perfectum; sed, cum protestantibus utrumque, licet modo opposito, confundit. Dum enim protestantes nullam admittunt iustificationem nisi externam, imputatam scilicet iustitiam Christi (quae non patitur inchoationis stadium, sicuti nec gradus); e converso Baius initiali charitati iam plenam tribuit efficaciam perfectae charitatis (prop. 61-64). Caeterum de ipsa iustificatione mediam aliquam doctrinam tenuisse videtur inter imputationem externam protestantium, et catholicorum internam sanctificationem per inhabitantem Spiritum Sanctum. Nimis enim obedientiam erga mandata confundit cum essentia gratiae gratum facientis capacitatemque mandatorum servandorum largientis.[1]

[1] De Bajo cf. Billuart, *De grat. div.*, 1, art. 3. - Kleutgen, *Theol. der Vorz.*, t. 2. - Montagne (op. cit., op. Migne). - I. B. De Chesne, *Histoire du Baianisme.* - * Linsenmann, *Michaël Baius und die Grundlegung des Jansenismus*, Tübingen, 1867. - Dom Gabr. Gerberon, *Michaelis Baii, celeberrimi in Lovaniensi Academia theo-*

* In hac historia auctor contendit, Petrum de Soto fuisse Baii praecursorem.

b) *Iansenius,*[1] Baianae doctrinae instaurator, partim mitius, partim simile, partim durius systema conflavit.[2]

logi opera: cum bullis Pontificum, et aliis ipsius causam spectantibus, iam primum ad Romanam Ecclesiam ab convitiis protestantium, simul ac ab arminianorum caeterorumque huius temporis pelagianorum imposturis vindicatum collecta, expurgata, et plurimis quae hactenus delituerant opusculis aucta: studio A. P. theologi.

[1] De Jansenio cf. TOURNELY, MONTAGNE, THEOLOGIA WIRCEB. (*tract. de gratia*). – KATHOLIK, 1873, II, opera polemica Steph. DECHAMPS, S. I., Alex. SEBILLE, O. Pr., Caroli TRICASSINI, Capp. – Cf. SCHEEBEN (op. cit., l. VI, n. 274 seqq.).

[2] Recte de Iansenii doctrina Laforêt: * « Le jansénisme est une hérésie monstrueuse qui dégrade l'homme, dont elle fait une pure machine, et transforme Dieu « en un vrai despote récompensant et punissant ses créatures, non selon leurs mérites ou leurs démérites, mais selon son caprice. Goethe, qui toutefois n'entendait « guère la doctrine chrétienne de la grâce, dit quelque part, en parlant du jansénisme: " Il faut que nous disions une chose qui nous pèse depuis longtemps sur « le cœur. Voltaire, Hume, La Mettrie, Helvetius, Rousseau et toute leur école n'ont « pas fait à la religion le mal que Pascal et son école lui ont fait ,, ».

Mitius, saltem uti historicus, de Jansenismo nuperrime scripsit cl. Albertus De Meyer: « Tout ce qui concerne le jansénisme, à commencer par ses origines, a « fait l'objet des plus vives contestations. Ses fervents apologistes lui ont accordé « une place exceptionnelle, voire même providentielle, dans l'histoire de l'Eglise. « Conformément aux promesses du Christ: " D'être avec son Eglise jusqu'à la consommation des siècles ,, Dieu aurait suscité les fondateurs du mouvement janséniste pour réaliser parmi les fidèles adorateurs un retour à la foi pure et à la pratique véritablement chrétienne de l'Eglise primitive. Les ennemis du Jansénisme, « de leur côté, ont vu en lui un mouvement pervers et diabolique, secrètement organisé par deux hommes, Jansénius et Saint-Cyran, dans le but de ruiner l'Eglise « et de détacher les croyants de la foi et de la pratique chrétienne.

« Ces conceptions furent défendues autrefois avec beaucoup d'opiniâtreté. De nos « jours on ne leur trouve plus guère de nombreux partisans, et on admet assez généralement l'explication plus simple et mieux fondée, qui peut se résumer comme suit: « le jansénisme est le résultat naturel de l'évolution doctrinale antérieure, et ses « succès s'expliquent surtout par le fait que sa doctrine s'adaptait merveilleusement « aux aspirations qui s'étaient fait jour sous l'influence des idées de la Renaissance, « de la réforme protestante et de la contre-réforme catholique ». **

Quidquid valeat ista explicatio, – non ex toto placent verba « réforme protestante, « et contre-réforme catholique »; melius diceretur « pseudo-réforme protestante et « réforme catholique », – non excludit altiorem. Vix ulla apparuit in Ecclesia haeresis, quae non habuerit aliquem evolutionis nexum cum aetate qua orta est. Num, verbi gratia, innovatio Lutheri et Calvini hoc nexu caruit? Minime. Quis autem, nisi qui diabolicum in haereses influxum neget, in protestantica evolutione recusabit influxum « portarum inferi? ». Quum igitur Iansenismus fuerit haeresis valde damnosa et perfida, quis, nisi quoad hanc veritatem historico scepticismo infectus, contendet ab evolutione Iansenismi influxum daemonis abfuisse? Recusetur igitur, et quidem absolute, iansenistica exaltatio huius innovationis; at non eodem veluti gestu excludatur et altera interpretatio, quae quoad rem longe magis ad veritatem appropinquat, licet forsan verbis durioribus exprimatur.

Mitior pariter nobis videtur totius theseos conclusio: « Le jansénisme ne paraît

* Op. cit., p. 240.

** Op. cit., Introd., p. VII sq.

Mitius sentit de necessitate alicuius saltem libertatis in causa extrinseca ad reatum peccati requisitae; pariter de initiali charitate, media inter vitiosam cupiditatem et cha-

« pas avoir donné dans les nombreuses erreurs que certains auteurs veulent lui attri-« buer. Comme nous l'avons expliqué, ses méprises consistaient surtout dans une « méthode théologique défectueuse, et dans une fausse conception de la nature déchue. « Certes il est regrettable que des hommes de génie et d'une vertu au-dessus de « tout soupçon aient mis leurs talents à propager des doctrines destructives de la « foi et ruineuses pour la pratique de la religion ». Nonne id est longe plus quam « regrettable », summopere damnandum? Nec S. Vincentius a Paulo, vir tamen mitissimus, iudicabat tam benigne hanc « vertu au-dessus de tout soupçon », in principe fautore Iansenismi abbate S. Cyrani, quippe cuius violentia, superbia, duplicitas, et irreverentia erga summum Ecclesiae magisterium, ut de doctrina ipsa taceam, ei valde displicebant. Nec mitius sane iudicabat abbatem S. Cyrani episcopus Sebastianus Zamet, antiquus eius amicus, qui eum intime cognoscebat ». * Nec parvum sane malum est ingenio abusum esse « à propager des doctrines destructives de la « foi et ruineuses pour la pratique de la religion ». Magis placent verba quae sequuntur: « Mais ce ne sont pas toujours les plus savants ni même les génies, qui concou-« rent le plus sagement et le plus efficacement au proprès des vérités de la foi et de « la vie chrétienne, et souvent les défauts et les faiblesses des défenseurs de l'ortho-« doxie, comparés aux talents et à la valeur des novateurs, concourent à mettre mieux « en lumière la vérité du fait providentiel qu'au-dessus de l'agitation des partis plane « le souverain et infaillible magistère de l'Eglise ». ** Sed nec huic sententiae ex toto subscriberem. Esto, ingenio Iansenismi duces Iansenium, abbatem S. Cyrani et Ant. Arnaldum non fuisse a suis adversariis superatos; sed « souvent les défauts et les « faiblesses » Iansenistarum superabant aliorum defectus. Aequius nobis videtur iudicium vicecomitis C. de Meaux, quod tamen clarissimus auctor *** censet nimis absolutum et exaggeratum: « Si l'on veut connaître le résultat de cet enseignement, « il faut se transporter à l'époque où le mouvement religieux que nous décrivons « en ce moment (agitur de " renaissance catholique ,, in Gallia) s'arrête et recule, « c'est précisément celle où le jansénisme a grandi parmi les chrétiens de France. « Il est difficile de ne pas voir en lui une des causes, peut-être la principale, qui a « fait succéder à une renaissance féconde, la stérilité, la décadence, la ruine. Il a « renserré et rétréci les âmes qu'il aurait fallu dilater; il a éloigné et repoussé les « âmes qu'il aurait fallu attirer. Sa morale a déteint sur les hommes mêmes qui ont « combattu sa doctrine; et la religion, qui devait être le patrimoine de tous, est « devenu le privilège d'un petit nombre ». ****

Haec candide dixerim de hac thesi, quae eruditionem parum communem et verum ingenii acumen in auctore demonstrat. At videtur nimia benevolentia erga iansenistas partes concepta, ità ut imprudenti lectori adversarii Iansenistarum quasi magis displiceant quam ipsi Iansenistae. Insuper, auctor non satis ostendit, rem tamen et historice capitalem, quam falso Iansenius S. Augustini doctrinam exhibuerit. Eodem sensu, loquens de Baio, auctor scribit: « Michel Baius commença à enseigner « la doctrine augustinienne vers 1551-1552 ». ***** Id ita simpliciter dictum, falsum

* Cf. *Mémoire,* op. cit., p. 493 sqq.

** Op. cit., p. 489.

*** Ibid., p. 485.

**** *La renaissance catholique en France sous Louis XIII. Correspondant,* 1886, t. CXLIII, p. 170.

***** Op. cit., p. 5.

ritatem dominantem.[1] Cum Baio sentit de impossibilitate cuiusvis boni in statu lapso sine gratia, et de impossibilitate implendi totam legem. Durius autem sentit de ipso libero arbitrio in statu naturae lapsae. Iansenii systema circa hoc fundamentale doctrinae caput ad sequentia reducitur. In originali iustitia homo, sicut et Angeli, erat plene liber. Per originale peccatum iam trahitur ad malum per vitiosam concupiscentiam, cui invincibiliter quidem, libere tamen paret, nisi spiritualis delectatio victrix illum trahat ad bonum;

est. Non enim genuinam doctrinam Augustinianam, sed Baianam, iste docebat. Inde errores graves in quos cecidit.

Quidquid sit de minori maiorive damno a Iansenismo illato, de minori maiorive bona fide horum novatorum, - Deus solus hac de re iudicaverit! - intolerabilis est confusio Ad. Harnack asserentis, condemnationem Iansenii fuisse victoriam Pelagianismi; * sicuti ex altera parte, intollerabilis esset audacia, si quis contenderet, Ecclesiam damnando Iansenium pariter implicite damnasse rigidiores excessus doctrinae S. Augustini, quum imo in omnibus his controversiis Ecclesia se ostenderit de honore huius genuinae doctrinae summopere sollicitam.

De controversiis Iansenianis consuli possunt:

A parte Iansenistarum: S. Amour, *Journal de M. de Saint-Amour*, docteur de Sorbonne, de ce qui s'est fait à Rome, dans l'affaire des cinq propositions. - G. Gerberon, *Histoire générale du jansénisme, contenant ce qui s'est passé en France, en Espagne, en Italie, dans les Pays-Bas, etc., au sujet du livre intitulé: Augustinus Cornelii Iansenii.* - G. Hermant, *Mémoires sur l'histoire ecclésiastique du XVIIe siècle.* - M. Leydecker, *Historia Iansenismi,* libri vi. - *Œuvres de messire Antoine Arnauld, docteur de la maison et société de Sorbonne.* - Et sub pseudonymo Francisci Du Vivier, *Lettres de M. Cornélius Jansénius, évêque d'Ypres, et de quelques autres personnes à M. Jean Du Vergier de Hauranne, abbé de Saint-Cyran; avec des remarques historiques et théologiques.*

A parte anti-Iansenistarum: H. Du Mas, *Histoire des cinq propositions.* - P. Rapin, S. I., *Histoire du Jansénisme depuis son origine jusqu'an 1644*; *Mémoires sur l'Eglise et la société, la cour, la ville et le Jansénisme.* - P. Huylenbroucq, *Imago primi saeculi iansenistarum* (ined.). - P. Patouillet, *Dictionnaire des livres jansénistes.* - Abbé J. Paquier, *Le Jansénisme. Etude doctrinale d'après les sources,* Paris, 1909. - J. Laferrière, *Etude sur Jean Duvergier de Hauranne, abbé de Saint-Cyran* (1581-1643), Louvain, 1912. - *Theses theologicae de gratia, libero arbitrio, etc., in quibus doctrina theologorum Societatis Iesu contra Corn. Iansenii Augustinum defenditur in VI capita divisae,* Antwerpiae, 1641. - De vita Iansenii cfr. *Synopsis vitae auctoris,* libro *Augustinus* praemissa; *Synopsis vitae Cornelii Iansenii Leerdamenis* edita a G. Brom in *Archief voor de geschiedenis van het aartsbisdom Utrecht,* t xix, pp. 339-447. Adde opus iam in praecedenti nostro volumine citatum: A. Vandenpeereboom, *Cornélius Jansénius, septième évêque d'Ypres, sa mort, son testament, ses épithaphes,* Bruges, 1882. - Cf. cl. Albertum D. Meyer, *Les premières controverses Jansénistes en France.* Introduction. - Roskorany (op. cit., l. ii, p. 757); *Laacher Stimmen,* 1873, fasc. 3-4.

[1] Cf. *De stat. nat. lapsae,* iv, 27; *De gratia Christi,* v, 5 sqq.

* *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* t. iii[4], pp. 647 sqq.

libere quidem, sed pariter invincibiliter.[1] Haec delectatio spiritualis, invincibiliter assensum operans, est vere medicinalis gratia Christi. Quae gratia proin vel tam efficax est, ut ipsi resisti nequeat; vel, nisi vitiosam superet delectationem, nequit reapse praedicari sufficiens, quum triumphare non possit. Inde victrix delectatio spiritualis datur vel non datur, secundum quod operis Christi fructus vere salvifica voluntate applicatur necne.

Quinque famosae propositiones Iansenii, ut haereticae ab Innocentio X, Bulla *Cum occasione* (1653) damnatae, ita sonant: « I. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus « et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt « impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. « Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, ana- « themate damnanda, et haeretica. - II. Interiori gratiae in « statu naturae lapsae nunquam resistitur. Declarata et dam- « nata uti haeretica. - III. Ad merendum et demerendum in « statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a « necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Declarata et « damnata uti haeretica. - IV. Semipelagiani admittebant prae- « venientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, « etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent « eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resi- « stere et obtemperare. Declarata et damnata uti falsa et « haeretica. - V. Semipelagianum est dicere, Christum pro « omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. « Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et, « intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prae- « destinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, « divinae pietati derogans, et haeretica ».[2]

[1] Operationem voluntatis liberae Iansenius concipiebat ad modum bilancis, cuius pondera essent delectationes. Necessitatem autem inde secutam distinguebat in relativam et absolutam, sive in mutabilem et immutabilem. Relativa, seu mutabilis, a mera proportione ponderum proveniens, superducto pondere graviore vinci potest, et proin talis necessitas in Iansenii systemate cum libertate non repugnat; absoluta autem, seu immutabilis necessitas, est cum libertate incompossibilis.

[2] Quum Iansenii asseclae distinctionem inducerent iuris et facti, Alexander VII, Bulla *Ad Sanctam* has propositiones uti in libro *Augustinus* reapse contentas denuo damnavit. Ipse autem Iansenius ante obitum (anno 1638) opus suum iudicio Romanae Sedis submisisse fertur.

Iam prius, anno 1643, Urbanus VIII, Bulla *In eminenti,* famosum Iansenii librum, renovata damnatione Baianismi proscripserat. Postea, anno 1690, Alexander VIII propositiones 31 a Iansenianis parumper mitigatis cum reliquis de re sacramentaria et disciplinaria decreto *In Cumulo* variis censuris profligavit.

c) Quod Iansenius scientifica methodo in libro *Augustinus* evolvebat, *Quesnellus,* ex familia Oratorii, stylo et via magis populari exposuit.[1] Nec Iansenii modo doctrinam evulgavit, sed ad Baii crudiora, imo ad Lutherana rediit. Sublata enim distinctione a Iansenio invecta inter charitatem initialem et charitatem super omnia, seu dominantem, primae gratiae fidei, utpote iam charitatem includenti, ipsius charitatis perfectae efficaciam tribuit.

Quesnelli doctrinam Clemens XI per Breve *Universi Dominici* (a. 1708); deinde per Constitutionem *Unigenitus* (a. 1713), sententias 101 ex eadem excerptas damnavit, quarum 70 priores systema de gratia, reliquae placita Iansenii de Ecclesia et Sacramentis exhibent.[2]

Iansenio et Quesnello adnumerandi sunt Abbas de S. Cyran du Vergier de Hauranne, amicissimus Iansenii, auctor praecipuus impugnationis hierarchiae ecclesiasticae, Antonius Arnaldus, doctor Sorbonensis, Pascal, Nicole. Ultraiectini, Gallicani et Pistorienses vario titulo de Iansenistis bene meriti sunt. Ex propositionibus Synodi Pistoriensis a Pio VI Bulla *Auctorem fidei* damnatis, prop. 18-27 ad rem praesentem pertinent, quippe Iansenisticam doctrinam de homine sub lege naturae, de gratia, de duplici charitate, etc. instaurantes. - Haec recoluisse sufficiat. Plura de hoc argumento iam alibi collegimus, ad quae lectorem remittimus.[3]

[1] *Le Nouveau Testament en français avec des réflexions morales,* etc.

[2] Contra Quesnellum egregie scripserunt Iac. Fontaine, S. I., *Constitutio « Unigenitus » theologice propugnata;* Bern. Desirant, Ord. S. Aug., *S. Augustinus vindicatus contra Quesnelli propositiones;* cf. Scheeben, op. cit., n. 279 sqq.

[3] Cf. notulam historicam de Baio et Iansenio eiusque asseclis in tomo VIII, p. 379 sqq.

Appendix

De speciali auctoritate S. Augustini in argumento de gratia.

Quum decursu huius tractationis frequentissime ac summa reverentia ad S. Augustinum simus provocaturi, iuvat ab initio nonnihil praemittere de speciali auctoritate, qua in gratiae argumento gaudet hic Ecclesiae Doctor ingenio et sanctitate aeque praeclarus.

1) Et primo quidem audiamus iudicia quae de eo protulerunt Summi Pontifices. Innocentius I, approbans Synodos Carthaginensem et Milevitanam, necnon synodales epistolas cum Augustini libro *De natura et gratia,* se breviter scribere ait, quum « constet eas cuncta dixisse, nihil ab eis esse « praetermissum, nihil suppressum ». Et ad ipsum Hipponensem scribens, laudat epistolam ab eo missam, laudat lineas « plenas fide, totoque religionis catholicae vigore fir- « matas, earumque contentionem esse in consideratione quo- « tidianae gratiae Dei, et in eorum correctione qui contra « sentiunt, integra ratione consistere; ita ut integrum pos- « sint probare Doctorem ». Zosimus pariter Augustini doctrinam confirmat. Audiatur S. Prosper contra Collatorem scribens: « Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae « sociis ac principibus corruerunt; quando beatae memoriae « Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone per- « cussit; quando Africanorum Conciliorum decretis beatae « recordationis papa Zosimus sententiae suae robur annexuit, « et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras « omnium armavit Antistitum ». Accedit praeclarum testimonium S. Caelestini ad Episcopos Galliae: « Augustinum, « sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis in « nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc « sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit; quem tan- « tae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros « optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur. Cui « laudi sane singulari omnium saeculorum plausus conso- « nat ». Audi et Hormisdam ad Possess. Episc. Afric. scribentem: « De libero arbitrio et gratia Dei, quid Romana,

« hoc est catholica Ecclesia sequatur, et asseveret, licet in « variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et « Prosperum possit ignosci, tamen et scriniis Ecclesiasticis « expressa capitula continentur ». Saeculo VI Ioannes II ad Avicenum aliosque Senatores: « S. Augustinus, cuius doctri- « nam secundum Praedecessorum meorum statuta Romana « sequitur et servat Ecclesia ». Cui laudi sane singulari consonat dictum Clementis VIII: « Doctrinam Augustini Eccle- « siae quasi dotem relictam esse ». - Sed et alii multi Pontifices saeculorum decursu magnum praeconem gratiae laudibus cumularunt, uti Sixtus III, Leo I, Felix IV, Bonifacius II, Gregorius I, Adrianus I, Urbanus V, Martinus V, Pius II, Gregorius XIII, Sixtus V, Clemens VIII, Paulus V.

Huic concentui accedunt concilia quae, uti Carthaginense et Milevitanum, Augustini doctrinam, quin et verbis conspersa sunt, aut, uti postea Tridentinum, eamdem doctrinam prae oculis habentia, verbotenus non semel consecrarunt. Adde zelum quo, in controversiis sive cum dissidentibus, uti in re Ianseniana, sive inter catholicos, uti in Congregatione *de Auxiliis,* Romani Pontifices semper Augustini doctrinam a falsa interpretatione contra illos defenderunt, aut coram istis veluti normam sibi praefixerunt. Quae omnia perpensa demonstrant summam auctoritatem qua tempore controversiae Pelagianae coram Ecclesia gaudebat, et ad nostrum aevum magnus ille Doctor usque gaudet.

Accedunt singularis aestimationis et reverentiae testimia, quae Patres et scriptores sacri Augustino veluti certatim tribuunt. Audiatur imprimis S. Hieronymus ad Hipponensem antistitem scribens: « Macte virtute, in orbe cele- « braris, catholici te auctorem antiquae rursum fidei vene- « rantur, atque suscipiunt, et quod signum maioris gloriae « est, omnes haeretici detestantur ».[1] Et: « Quidquid dici « potest de sublimi ingenio, de Scripturarum sanctarum « hauriri fontibus, a te positum, atque descriptum est... Mihi « autem decretum est te amare, et suscipere, colere, mirari, « tuaque dicta quasi mea defendere ».[2] Hieronymo sane

[1] Inter ep. Aug. 25.
[2] *Epist. 30.*

dignae sententiae! Nec minus movet testimonium quod de suo magistro nuperrime defuncto scribit Eusebius Cremonensis: « Sanctus Hieronymus in obitu suo multa dicens « narratione digna, de beato Augustino memoriam fecit in « hunc modum: " Gaudium et consolationem habeo, quod « verum mirabilem, et multae scientiae, ac bonitatis Au- « gustinum Hipponensem Episcopum, omni veritate et per- « fectione redimitum post me relinquo: propter quem mul- « tam fiduciam habeo in Christo Iesu sustentandi fidem « nostram; cui de me scribens rogato, tamquam fidelis miles « pugnet, ne veniant (quod absit) mala genti nostrae ,, ». [1]

Concinunt laudes S. Paulini Nolani, Volusiani, Nebridii, Consentii, Audacis, Possidii, S. Prosperi, Victoris Uticensis, S. Fulgentii. Pulchre de Augustino scribit Cassiodorus in Prologo super Psalterium: « Augustinus litterarum omnium « egregius magister, et quod in ubertate rarum est, cautis- « simus disputator; decurrit quippe tamquam fons purissi- « mus, nulla sorde pollutus, sed in integritate fidei perseve- « rans, nescit haereticis locum dare, unde se possint aliqua « colluctatione defendere: totus catholicus, totus orthodoxus « invenitur, et in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplen- « dens superni luminis claritate radiat ». Unde alibi ab eodem vocatur: « Debellator haereticorum, defensor fidelium, « et famosorum palma certaminum », [2] imprimis utique contra Pelagianorum errores. - Modeste simul et eleganter scribit S. Gregorius Magnus: « Si deliciosiori cupitis pabulo sagi- « nari, beati Augustini opuscula legite, et ad comparatio- « nem siliginis illius nostrum furfurem non quaeratis ». [3] Et S. Isidorus Hispalensis, laudatis variis scriptoribus, ait: « Horum tamen omnium studium Augustinus ingenio et « scientia vicit ». [4]

Nil mirum proin, ob tantam auctoritatem, eos qui apertius a S. Augustino recedebant, eius patrocinium nihilominus invocasse. Ita, ut haereticos taceam, [5] in prologo sui ope-

[1] *Epist. ad Damasum Aportun. Episc.*

[2] *De divin. lection.*, c. 22.

[3] *Ad Innoc. Episc.*, epist. 37, l. 8.

[4] Cf. Frassen, op. cit., *Praelud.*, p. 15 sqq.

[5] Ad Augustinum provocarunt Praedestinatiani, Neo-iconoclastae, duce Claudio Taurinensi, Berengarius: « A multis extraneis et modernis dissentio, sed cum mul-

ris *De gratia efficaci*, Lessius scribit: « Neque nostras D. Au-
« gustini doctrinae in iis qua contra Pelagium disputavit
« adversari, sed eam maxime sequi, et a multis non recte
« intellectam probe explicare ». Et tamen prima ratio generalis, quam doctores Lovanienses adducebant ad legitimandam damnationem triginta quatuor thesium ex operibus Lessii maxime excerptarum, ita sonabat: « Imprimis quod
« D. Augustini de gratia et libero arbitrio, deque praedesti-
« natione et reprobatione doctrinam, in qua tuenda, expli-
« canda et illustranda tot annis, tot editis libris, tanta dili-
« gentia atque instantia vir tanto ingenio, tanta sapientia,
« tot Dei dotibus, tam excellenter ornatus, iam aevi matu-
« rus et senex pro Dei Ecclesia desudavit, non in aliqua ut
« dicitis, sui particula, sed totam propemodum ex proposito
« oppugnari, funditusque destrui ac everti videmus ». Et addunt, ipsam Ecclesiam errasse, si in hac cum Pelagianis pugna erravit Augustinus. - In ipsa congregatione *de Auxiliis* defensores Molinae conati sunt ostendere inter huius auctoris et Hipponensis scripta concordiam. Nec immerito ingenii sui martyrem Augustinum quis dixerit, quippe cui Molinistae, congruistae, Augustiniani et Thomistae, ad sua eum quique trahendo, divi Polycarpi supplicium aemula reverentia inferunt.

Placet heic afferre iudicium Bossuetii in pervolvendis Augustini scriptis assidui.[1] « La doctrine de la grâce, qui
« atterre tout orgueil humain, et réduit l'homme à son néant,
« aura toujours des contradicteurs; et ce qui fait que quel-
« quefois elle en a trouvé même dans de saints personnages,
« c'est la difficulté de la concilier avec le libre arbitre dont
« la créance est si nécessaire. De là donc il est arrivé que

« tis Sanctis antiquis et specialiter Augustino convenio ». * Ita Ioannes Wiclef, quem sui ideo appellabant Ioannem Augustini. Lutherus aiebat: « Augustinus totus « meus est ». ** Et Calvinus: « Gloriatus sum de Augustino, illum prorsus nostrum « esse ». ***

[1] Quantum iuge cum Augustino commercium acuendo ingenio, inflammandae eloquentiae, et stimulando polemico zelo huius praeclari scriptoris contulerit, quisquis utriusque admirator facile dignoverit.

* Cf. Thomam Waldensem, tom. I, l. I, a. 2, c. 34.

** *De servo arbitrio.* Idem Melanchton (*Apol. Luth.*).

*** *Contra Pighium*, l. 3. Et: « Etiamsi crepat Pighius, nobis hoc extorquere « non potest, quin Augustinus sit noster ».

« la doctrine de saint Augustin a été souvent l'occasion de « grands démêlés dans l'Eglise: les uns l'ayant affaiblie, les « autres l'ayant outrée, et tout cela étant l'effort naturel de sa « sublimité. Mais ce qui en fait voir la vérité, c'est que, parmi « toutes ces disputes, on s'est toujours attaché de plus en « plus à ce Père ». [1]

Caveant autem sedulo, qui hoc altissimum argumentum tractant, ne quidquid in hac doctrina durius sonare videtur unice ostentent, quidquid autem solamen inspirat et dulcedinem, praetermittant. Valet et nunc quod sapienter Bossuetius in opere Simonis corripiebat: « Dans toute cette matière « l'esprit de ce téméraire critique est de dépouiller la doc- « trine de saint Augustin de tout ce qu'elle a de solide et « de consolant, pour n'y laisser, s'il pouvait, que des diffi- « cultés et des sujets de dispute, ou même de désespoir et « de murmure. Mais si l'on apporte à la déduction que nous « allons commencer tant de la doctrine de ce Père que des « erreurs de M. Simon sur le dogme de la grâce, l'attention « que mérite un discours de cette nature, j'espère qu'on trou- « vera que tout ce qu'a dit saint Augustin pour établir l'hu- « milité est aussi plein de consolation, que ce qu'a dit M. Si- « mon pour flatter l'orgueil est sec et vain ». [2] Quod aeque valet de doctrina S. Pauli, quae Luthero et Calvino interpretibus dure sonat usque ad blasphemiam, interprete autem ipso Augustino superbiam quidem curvat, sed cor ipsa humilitate dilatatum in alta attollit.

Ab hoc vitio non immune censemus recentem S. Augustini cultorem, Ad. Rothmanner, O. S. B., quando, conferens inter se Iansenium et S. Augustinum, scribit: « Man kan « beinahe den ganzen Jansenius im hl. Augustinus finden, « aber der Episcopus Hipponensis ist unvergleichlich grösser « als der Episcopus Iprensis, und bietet - was sich von Jan- « senius nicht sagen lässt - in seine eigenen Schriften - diese « als Ganze genommen - manche Heilmittel für Wunden, « die seine (spätere) Theorie von der Absoluten *discretio* « *paucorum ex universa massa damnata* dem christlichen

[1] *Defense de la tradition et des Saints Pères,* part. II, ch. 14.
[2] Op. cit., loc. cit., l. IX. ch. 22.

« Gemüte geschlagen hat ».[1] Igiturne divus Augustinus in suis scriptis contra Pelagianam haeresim duriori doctrina tam graviter sensum christianum vulneravit, ut in prioribus eius scriptis remedium contra hos excessus sit quaerendum? Porro si sat fideliter Iansenius haec posteriora scripta reproduxit, vel damnando Iansenium Ecclesia implicite damnavit Augustinum, vel damnavit doctrinam quae non est genuina Iansenii doctrina. Haec sunt intolerabilia.[2]

Pariter depellendi sunt illi qui, cum Bayle, Augustino opponunt S. Ioannem Chrysostomum, ac proin Ecclesiam inter utrumque oscitantem. Quam calumniam ita depellit Card. Gerdil: « Altro imbroglio per la Chiesa Romana egli « (Bayle) ravvisa nella opposizione da lui sognata nei punti « più essenziali tra la dottrina di S. Agostino espressamente « approvata, e quella di S. Giov. Crisostomo sofferta pure « anche essa, come egli dice, dalla Chiesa. *La Chiesa si trova « così obbligata di approvare e quegli che dànno tutto e que- « gli che levano tutto alla grazia riguardo al consentimento « dell'uomo;* quasichè S. Agostino nel difendere la grazia « abbia negata la cooperazione del libero arbitrio, o S. Gio. « Crisostomo abbia negata l'influenza della grazia con difen- « dere l'esistenza del libero arbitrio: *Una parte de' Dottori,* « prosegue il Bayle, *dice che l'uomo forma questo consenti- « mento con piena libertà di negarlo; l'altra parte insegna « che la grazia produce questo consentimento senza lasciare « all'uomo la forza di negarlo. Gli uni e gli altri spacciano « una falsità che non verte già su cosa di poco momento,*

[1] *Geistesfrüchte aus der Klosterzelle,* ed. 1908, p. 73. Recte de hoc scriptore ait cl. Van Noort: « Aliqui severius de b. Augustino sentiunt, ut Rothmanner et Bar- « denhewer » (op. cit., p. 82). Hi excessus tripliciter deplorandi sunt: 1) historice sunt parum fundati; 2) polemice nimis adversariis concedunt; 3) theologice doctrinae nervum debilitant, et indirecte naturalismo ac modernismo, blandiuntur.

[2] Unde miror cl. De Mayer, in sua caeteroquin eruditissima thesi doctorali, historica potius quam dogmatica, hoc iudicium viri sane in Augustini scriptis versatissimi, sed audacioris quam prudentioris ingenii, hisce verbis introduxisse: « Il faut noter que nous ne voulons pas déterminer si oui ou non l'*Augustinus* re- « présente la doctrine de St Augustin ». Cur non, quaeso, quum non solum catholico viro vix de hoc liceat dubitare, sed nec historicus possit secus Iansenianas controversias aeque ponderare? « Nous nous bornons à rappeler ici, sans le discuter, le « jugement du savant qui, il y a quelques années, connaissait peut-être le mieux « la doctrine de St Augustin ». Cur, iterum quaeso, haec limitatio? cur haec absentia iudicii? cur haec tanta laus tributa sententiae tam temerariae?

« *ma sopra un punto di grandissima importanza*... Nessun « dottore cattolico insegna, che l'uomo, comecchè libero, « possa formare con le naturali forze del suo arbitrio un con- « sentimento salutare se non è prevenuto e aiutato dalla « grazia; che niun Dottore Cattolico insegna, che il consen- « timento venga dalla grazia prodotto nella volontà come « in soggetto passivo, che il riceva soltanto, e nol produca « anche essa con atto suo proprio sotto l'influenza della prima « cagione, cooperando liberamente alla grazia che la muove « ed eccita, e ritenendo un vero potere di dissentire qualora « voglia ».[1]

Praeclara Augustini merita de gratia Card. Mercier ita eloquenter proclamat.[2] Adducto Pauli textu: « Quid habes, « quod non accepisti », ita pergit: « Cette parole de saint « Paul aux Corinthiens revient à chaque page des écrits « soit dogmatiques, soit de controverse, dans lesquels saint « Augustin met à sa place Pélage, chef du naturalisme du « IVe siècle, qui s'attribuait sottement des titres aux biens « surnaturels. Non, lui répond le Saint Docteur qui a, d'un « coup, définitivement assis la théologie de la grâce; non, « ni dans l'ordre naturel, ni, à plus forte raison, dans l'ordre « tout gratuit qu'est le Christianisme, tu n'as rien que tu n'aies « reçu; or, si tu l'as reçu, quelle folie de t'en prévaloir comme « si tu en étais l'auteur et le propriétaire!

« Glorifie-toi, soit, mais dans le Seigneur; car ce n'est pas « en se faisant valoir que l'on plaît à Dieu, c'est en atten- « dant de Lui seul, la reconnaissance de nos mérites. *Qui « gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui seipsum « commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* ».[3]

***

Num igitur omnia prorsus quae Augustinus de gratia docuit, - posito quod certo determinari possit, quid re vera intenderit, - sunt tamquam Ecclesiae ipsius doctrina accipienda?

[1] *Saggio d'instruzione teologica: de gratia.*
[2] Op. cit., p. 109 sq.
[3] II Cor., x, 18.

Audiamus primo quanta modestia ipse sanctus Doctor propria scripta iudicarit.[1] In libro *De dono perseverantiae* haec habet: « Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut « me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspe- « xerit. Nam profecto nunc facio libros, in quibus opuscula « mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me « secutum fuisse demonstrem.

« Proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non « tamen a perfectione incepisse; quandoquidem arrogantius « loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem « sine ullo errore scribendi iam in ista aetate venisse ».[2]

Saepius similia temperamenta sub Augustini calamo recurrunt. Duo adhuc exempla attulisse sufficiat: « Neque enim « quorumlibet disputationes, quantumvis catholicorum et « laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere « debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quae illis « debetur hominibus, aliquod in eorum scriptis improbare « atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter sense- « rint, quam veritas habet, divino adiutorio, vel ab aliis intel- « lecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: talis « volo esse intellectores meorum ».[3] Unde et Hieronymo scribebat: « Nec te, mi Frater, sentire aliud existimo: pror- « sus (inquam) non te arbitror sic legi tuos libros velle, tam- « quam Prophetarum vel Apostolorum; de quorum scriptis « quod omni errore careant, dubitare nefarium ».[4]

Cuius reverentis libertatis exemplum ipse dedit in quaestione de Baptismo: « Quapropter reddens debitam reveren- « tiam, dignum honorem quantum valeo persolvens pacifico

[1] Bene Garnier, S. I.,* gradationem in operibus huius S. Doctoris hisce verbis bene describit: « Encore que St Augustin soit arrivé à une si parfaite intelligence « des mystères de la grâce, que personne ne l'a peut être égalé depuis les Apôtres, « il n'est pourtant pas arrivé d'abord à cette perfection; mais il a surmonté peu à « peu les difficultés, selon que la divine lumière se répandait dans son esprit ». Quare qui existimat Augustinum disputando contra Pelagianos et Semipelagianos ita nimio zelo excessisse, ut praecedentibus suis scriptis sit temperandus, in ipsum Augustini sensum graviter offendit.

[2] C. 21.

[3] *Epist. 2.* - Similia alibi scribit. *De nat. et grat.*, c. 60; l. 2, *Ctr. Crescen.*, c. 32; *Ep. 48*; l. 2, *Ctr. Faustin.*, c. 5.

[4] *Ep. 10 ad S. Hieron.*

* T. I, Dissert. VI *in Mercat.*, c. 2, p. 342.

« episcopo et glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere, « eum aliter sensisse de schismaticis vel haereticis baptizan- « dis, quam postea veritas prodidit ».[1]

Quid ergo?

Ecclesiae iudicium Augustini modestiam nonnihil temperavit. Etenim non propria dumtaxat auctoritate, etsi summa, Hipponensis praesul contra Pelagianam et subtiliorem Semipelagianam haeresim certavit; sed veluti nomine Ecclesiae auscultantis, plaudentis, probantis. Quare qui contenderet, quoad cardinem quaestionis, Augustinum in hac solemni lucta limites veritatis esse praetergressum, ipsam Ecclesiam vix posset ab eodem errore immunem tueri, et quasi fateri cogeretur, ingenium et praestigium tanti viri fuisse catholicae doctrinae nocivum magis quam proficuum.

Sed in quaestionibus quae cardinem argumenti non attinent, prudens est concedenda libertas. Quod et Ecclesia practice docet, dum sinit in catholicis moveri controversias, v. gr. de intrinseca efficacia gratiae et de ordine praedestinationis.

Et sane libertatem quamdam in interpretando Augustino, aut imo in recedendo ab illo esse relinquendam, ostendunt verba Caelestini Papae ad episcopos Galliae: « Profundiores « vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas « latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non au- « demus contemnere, ita nec necesse habemus adstruere ». Tales autem quaestiones non sunt huiusmodi, quae fundamenta doctrinae S. Doctoris labefactent.

Qua in re a duplici excessu cavendum esse censemus: ne sententia quam quis non complectitur, etsi eam agnoscat fuisse ab Augustino propugnatam, facilius respuat, quam sinunt tanti viri ingenium, sanctitas et providentiale munus; ne per fas et nefas quis ad partes suas Augustinum trahere contendat. Equidem praeferendum censeo theologum qui reverentia debita in quaestione libera fatetur se habere sibi contrariam sententiam Augustini, alteri theologo qui semper, et in his quae maxime contraria sonant, ad Hipponensis Doctoris tutissimum scutum confugere conatur.

[1] *De Baptism. ctr. Donat.*, l. VI, c. 2.

Duo adhuc monemus. 1) In lite tam subtili non semper sufficit inspicere quid proprie docuerint adversarii, sed etiam quibus argumentis Augustinus eos convellat. Quemadmodum enim S. Thomae mens non solum ex doctrina *Corporis* dignoscitur, sed ex modo quo sibi obiicit et obiecta solvit; ita quoque non sufficit alicui non esse nec Pelagianum nec Semipelagianum, ut iure possit affirmare, se quoad efficaciam gratiae et ordinem praedestinationis cum ipso Augustino sentire.

2) Sed et in his disquisitionibus subtilioribus cavendum est, ne verba olim prolata recentioribus controversiis nimis facile applicentur. Nisi enim respondeant adspectui novo magis circumscripto, quem decursus aetatum et evolutio controversiarum secumfert, concordia, etsi materialis prope patens, carebit tamen vi formali, sine qua aër verberatur in vanum.

Claudimus hanc appendicem nostra faciendo verba celebris theologi Lovaniensis Isamberti: « Quia piae memoriae « Summus Pontifex Clemens die 20 martii anno 1602 decla- « ravit Congregationi vulgo dictae *de Auxiliis* (ut referunt « qui hoc ipso die huic Congregationi aderant) mentem eius « esse restringere totam disputationem de gratia efficaci ad « normam et regulam doctrinae sancti Augustini, tum quod « ipsa Ecclesiae acies ita per viginti annos dimicavit pro « gratia contra Pelagianos, ut illo duce vicerit, quemadmo- « dum sanctus Prosper testatur initio sui libri contra Colla- « torem; tum quod sanctus Augustinus adeo fuit eruditus « et versatus in iis, quae spectant ad gratiam, ut nihil eorum « videatur omisisse; tum denique quia alii summi Pontifi- « ces, ut sanctus Innocentius primus, Zosimus, Bonifacius, « teste sancto Prospero in fine sui libri contra Collatorem, « item Caelestinus epistola sua ad episcopos Galliae capite « secundo, acres fuerunt assertores et vindices doctrinae « sancti Augustini de gratia tanquam verissimae, ita et nos « conabimur sinceram huius gratiae naturam exprimere « iuxta mentem S. Augustini ».[1]

Sed hanc Augustini doctrinam illustrare conabimur in suo nexu intimo cum Scripturis et traditione Ecclesiae, quae

[1] *Comment.* in Im IIae *De gratia* ad q. CXI, disp. V. art. 2.

Augustini doctrinam accepit non uti ab hoc summo ingenio inventam, sed agnovit tamquam suam ab hoc summo ingenio nitide et fortiter illustratam.

Quod aureis verbis ita expressit laudatus Gerdil: « Quando « si dice essere stata adottata dalla Chiesa la dottrina di « S. Agostino in materia di grazia, ciò non si dee intendere « in questo senso, quasichè S. Agostino abbia immaginato « un sistema suo proprio, che la Chiesa indi abbia adottato « come suo, nella guisa che un'Accademia per esempio po- « trebbe adottare e rendersi proprio un nuovo sistema filo- « sofico. Ciò sarebbe un andare ben lungi dal vero. Il pregio « di S. Agostino si è di avere, con meravigliosa dottrina, « esposta e difesa l'antica credenza de' fedeli contro le per- « niciose novità di Pelagio massimamente, e de' suoi seguaci « o aderenti. Non sarà difficile al Teologo di additare i fonti « di questa dottrina nella Scrittura e nella tradizione rac- « colta dai Padri anteriori a S. Agostino. Essa risplende in « tutte le orazioni di Santa Chiesa, e quindi anche nel comune « intendimento de' fedeli ». [1]

Apparet hinc quam iuste sequens propositio sit ab Alexandro VIII damnata: « Ubi quis invenerit doctrinam in « Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere « non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam ». Vitium sane asseclarum Iansenii fuit, Augustini doctrinam, qualem ipsi, duce magistro, intelligebant, per fas et nefas supra Pontificum documenta extulisse et pertinaciter tenuisse.

Quorum excessus theologum monent, Ecclesiae catholicae sensum reverentiae etiam fundatissimae erga Doctorem licet summum, esse sedulo, non verbis modo, sed et methodo ac iudicio praeponendum.

Ibid.

De Ordine Tractationis.

Ordo huius tractationis quae, iuxta *Summam Theologicam* I-II, triplici Parte constat, hoc schemate exprimitur:

I) De gratia Dei (I Pars):	*A*) De gratiae *necessitate* (Q. CIX) (Sectio I); *B*) De ipsa gratia quoad eius *essentiam* (Q CX) (Sectio II); *C*) De gratiae *divisione* (Q. CXI) (Sectio III);
II) De causis gratiae (II Pars):	(Q. CXII);
III) De effectibus gratiae (III Pars):	*A*) *De iustificatione* impii (Q. CXIII) (Sectio I); *B*) *De merito* (Q. CXIV) (Sectio II).

In quarta demum Parte varia systemata discutiemus de *concordia inter gratiam et liberum arbitrium.* Qua in Parte doctrinam genuinam S. Thomae de motione divina in ordine naturae et gratiae data opera investigabimus, nec non modum quo schola Ordinis Praedicatorum Angelicum suum Praeceptorem saeculorum decursu intellexit.

I PARS.

DE IPSA GRATIA DEI.

Haec Pars, iuxta praemissum schema, tripartim a S. Thoma dividitur: 1) agit de gratiae *necessitate,* 2) de eius *essentia,* 3) de gratiae *divisione.* Hinc tribus Sectionibus haec Pars distinguitur.

SECTIO I.

A) De necessitate gratiae
(Quaestio CIX).

De ratione et ordine Quaestionis. – Non semper S. Thomas tractationem de gratia a quaestione de gratiae necessitate exorditur. In *II Sentent.* (a Dist. XXV ad XXXIX), iuxta ordinem Magistri, primo agit de libero arbitrio, ubi iam quaedam de eius habitudine ad divinam motionem et gratiam praeoccupantur; dein de essentia et divisione gratiae; tum de virtute et merito; postea de gratiae necessitate; demum de gratia ante et post lapsum. – In Quaestionibus *de Veritate,* quaerit (Q. XXIV) de libero arbitrio, ubi tangit ipsam gratiae necessitatem; dein (Q. XXVII) de essentia gratiae; et (Q. XXVIII de iustificatione impii. - In *Summa contra gentiles* (l. III) a c. CXLVI - ad finem) agit de necessitate gratiae, de, libertate sub gratia, de effectu gratiae, de perseverantia in gratia, de recuperanda gratia amissa, de discretione gratiarum.

In *Summa Theologica* S. Thomas incipit a *necessitate gratiae,* quia haec necessitas magis ostendit nexum logicum cum tractatu de lege, iuxta verba quibus argumentum inducit: « Consequenter considerandum est de exteriori principio « humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per « gratiam adiuvamur ad recte agendum ». Caeterum adverte sedulo quaestionem de necessitate gratiae non esse nisi pri-

mam Sectionis Partem, in qua *gratiam Dei* in se considerat. Iam vero quum gratuitas ingrediatur gratiae definitionem, a gratuitate ad necessitatem facilis fit transitus, quatenus unum ex fundamentis eiusdem necessitatis est nostra impotentia, et haec impotentia ipsam gratiae gratuitatem evincit.

Quo autem sensu necessitas, – quae plures sensus accipit, [1] – in hac Quaestione intelligenda sit, decursu singulorum articulorum apparebit.

Porro ordo Quaestionis est pulcherrimus. Duplici parte sive membro constat. In octo primis articulis S. Thomas considerat necessitatem gratiae in homine gratia destituto: inde omnes articuli incipiunt eisdem verbis: « Utrum homo *absque gratia* possit... ». In reliquis duobus articulis considerat eamdem necessitatem in homine iam gratia ornato.

Prior pars rursus videtur in duas veluti partes subdividi posse. Etenim quatuor primi articuli agunt de capacitate hominis sine gratia ad ea quae universaliter sunt obiectum facultatum *a*) intellectus (1), *b*) voluntatis (2, 3, 4). In sequentibus articulis agit pressius de capacitate hominis sine gratia ad ea quae sunt ordinis supernaturalis, scilicet ad meritum beatitudinis (5), ad praeparationem ad gratiam (6), ad recuperationem amissae gratiae (7), ad vitandum peccatum (8). Nexus autem inter articulum 7 et 8 intimus est. Etenim quaestio de resurrectione a peccato commisso, seu praeterito, conducit ad quaestionem de vitando peccato in futuro. Qui articulus 8 respondet articulo quarto; ibi enim quaeritur de possibilitate servandae legis absque gratia, hic de possibilitate absque gratia vitandi peccatum.

Notandum nihilominus est, iam a primo Quaestionis articulo respectum ad ordinem supernaturalem induci, quemadmodum infra patebit.

Porro in tota hac Quaestione evolvenda medium erit nobis iter sternendum inter Pelagii naturalismum et Lutheri fatalismum sive rigorismum Calvini, prae oculis habita imprimis doctrina Concilii Tridentini.

[1] Alia enim logica, alia ontologica; alia physica, alia moralis; alia medii, alia praecepti.

ARTICULUS I.

UTRUM HOMO SINE GRATIA ALIQUOD VERUM COGNOSCERE POSSIT [1]

I. **De ipsa Quaestione.** 1) In ipso articuli titulo tria distinguenda occurrunt. Etenim: *a*) *homo* sine gratia potest sumi in triplici conditione: α) sine gratia in statu purae naturae absque peccato; β) in statu naturae lapsae nondum reparatae; γ) in statu naturae lapsae reparatae, sed per peccatum recepta gratia orbatae. – Pariter: *b*) *verum* dupliciter sumi potest: α) verum ordinis naturalis, β) verum ordinis supernaturalis. – Demum: *c*) ipsa *gratia* debet distingui secundum quod intelligitur: α) lato sensu, pro auxilio Dei sive moventis, sive formales perfectiones causantis, vel β) sensu presso, pro gratuito auxilio ordinem seu finem supernaturalem respiciente. – Quibus praemissis distinctionibus, iam ad responsiones strata est via.

2) Et primo quidem, quotiescumque agitur de vero ordinis supernaturalis, liquet auxilium requiri speciale, seu gratiam presso sensu intellectam; idque necessitate non solum morali sed physica. Quae necessitas absoluta petitur a lege fundamentali proportionis, quae, de ordinata Dei sapientia, adesse debet inter media et finem.

Bene Laforêt: « C'est un axiome vulgaire, que les moyens « doivent être proportionnés à la fin; si donc la fin de l'homme « est surnaturelle, il faut aussi que ses actes, qui sont pour « lui les moyens de l'atteindre, soient surnaturels, et par « conséquent informés par un principe supérieur à la nature. « Ce raisonnement me paraît d'une rigueur géométrique ».[2]

[1] Suarez de hoc argumento erudite et subtiliter tractat, * et quidem duplici capite: 1) « Utrum homini ad quamlibet veritatem naturalem cognoscendam gratia « necessaria sit in omni actu, praesertim naturae lapsae? ». – 2) « Utrum ad omnem « moralem cognitionem rectam et honestam sit necessaria gratia ». Et explicat sensum huius alterius quaestionis: « Hunc actum vocamus cogitationem rectam et « honestam, quae ita denominatur, non quia in se habeat formalem bonitatem mora- « lem, hoc enim ad voluntatem spectat, sed quia applicat obiectum modo sufficienti, « ut voluntatis actus honestus sit ».

Et proin veluti praeambulum ad id quod de voluntate in art. seq. quaeretur.

[2] Op. cit., c. III, p. 176.

* Op. cit., l. I, *De necessitate gratiae.*

Ad summum dici posset, hominem gratia gratum faciente, non tamen fide orbatum, non alia indigere gratia intellectum formaliter elevante ad cognoscendum verum. Sed haec ipsa fides remanens ad gratiae ordinem pertinet. Stat proin, ad verum supernaturalis ordinis cognoscendum absolute, necessitate physica, requiri gratiam. Modo tamen unum animadvertatur: hoc scilicet assertum dumtaxat absolute valere de veritatibus intrinsece supernaturalibus, per se humano intellectui imperviis; non autem, nisi moraliter, de veritatibus revelatis quidem, sed nihilominus rationis lumine cognoscibilibus. Latius enim patet revelationis quam mysteriorum campus. Cf. *Corpus* articuli in fine.

Conclusionem hanc illi solummodo reiicere possunt, qui distinctionem inter duplicem ordinem non percipiunt vel negant, ipsamque una cum mysteriis revelationem tamquam impossibilem seu rationi humanae iniuriosam inficiantur.[1]

3) Porro sedulo observa, duplicem dari intellectus illustrationem, aliam subiectivam, aliam obiectivam. Obiectiva, - quam alii mediatam vocant, - est illa, quae iuxta leges psychologicas provenit a perceptione obiecti immediate intellectum evocantis; subiectiva est illa, quam Deus immediate intus facultatem excitando producit. Obiectiva illustratio est naturalis quoad modum, etiam proposito, per magisterium aliudve medium, obiecto ex sola revelatione cognoscibili. Subiectiva vero illustratio, elevans intellectum ad percipienda ea quae vires eius proprias exsuperant, est tum in se, tum quoad modum supernaturalis. Quae subiectiva illustratio in hac articuli parte intelligenda est.

4) Idem valet de inspiratione voluntatis; quae est vel obiectiva immediata, vel subiectiva immediata. Cum hoc tamen discrimine, quod latius patet mediata inspiratio quam mediata illuminatio, propter ipsum ordinem quo hae duae facultates se tenent ad invicem. Etenim, praeter obiectum externum quod natum est voluntatem excitare, ipsa illuminatio immediata intellectum movet et voluntatem, quae tamen tunc demum dicitur immediate a Deo moveri per gratiam, si insuper immediate a Deo excitetur. Utramque

[1] De necessitate gratiae ad cognoscendas veritates supernaturales cf. inter alios Card. Billot (*De gratia,* p. 52).

motionem ita pulcherrime describit Augustinus: « Ut inno-
« tescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabatur,
« gratiae Dei est, quae hominum adiuvat voluntatem ».[1]

5) Itaque de subiectiva et immediata Dei in intellectum et voluntatem actione ope gratiae hic praecipue agitur; nam obiectiva et mediata illustratio mentis et voluntatis excitatio nil iuvat, nisi accedat haec altera, quae propriissime gratia est. Etenim, uti ait S. Augustinus: « Spiritus Sanctus
« operatur intrinsecus, ut aliquid valeat medicina quae adhi-
« betur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens aliqua
« creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus col-
« loquatur humanos, sive istos corporis sive illos quos istis
« simillimos habemus in somnis, nec interiori gratia regat
« atque agat, nihil homini prodest praedicationis veritas ».[2]

6) Quid autem de habitudine intellectus humani ad verum ordinis naturalis? Huc faciunt distinctiones superius positae (*a*). In statu naturae purae homo praeter informationem initialem intellectus et motionem divinam requisitam ad quemvis creaturae actum, nulla gratia speciali, hoc est, nullo auxilio divino indiguisset ad cognoscendum immediate vel mediate omne cognoscibile naturale. Proportio enim perfecta inter facultatem et obiectum requisita adfuisset, ex ipsa sapientia et bonitate Conditoris. – Aliter tamen dicendum est de statu naturae lapsae, in quo, non solum supernaturalia amissa sunt, sed et naturalia vulnerata.[3] Unde in hoc statu intellectus indiget *medicinali auxilio,* quo superet intellectus debilitatem a peccato originali derivatam. Quod auxi-

[1] *De pecc. meritis et remiss.*, l. II, c. 17.

[2] *De Civ. Dei*, l. XV, c. 6. – Cf. S. THOMAS, *Lect.* 6 *in Ioann.* XIV.

[3] Recole superius exposita, ubi de vulneribus peccati originalis agebamus (T. VIII, p. 698 sqq; 706). Caute tamen, uti ibidem notavimus, de his vulneribus est loquendum ob Lutheri aliorumque excessus vitandos. Ibidem pariter vidimus, Suarez eminere inter theologos, qui mitius de his vulneribus intellectus senserunt. Ita hic scribit: « Homo in puris naturalibus conditus, naturaliter posset singulas veritates « cognoscere; ergo etiam potest nunc homo lapsus ». * Et paulo inferius reiicit sententiam Caietani, qui censet, ** vulnus « ignorantiae fuisse respectu cognitionis « practicae, non vero speculativae ». *** Recte quidem. Attamen negari nequit, passiones magis obnubilare intellectum in his quae sunt practica, ad virtutem conducentia, quam in his quae sunt mere speculativa.

* Op. cit., l. I, c. 1, n. 6.

** In Q. CIX, a. I.

*** Ibid., n. 20.

lium dicendum erit supernaturale quoad modum quo in facultatem agit, non autem in se, id est quoad obiectum in quod fertur, neque, – nisi relative, – quoad vires quas facultati tribuit. Distinguitur proin sub hoc duplici respectu ab illustratione subiectiva simpliciter supernaturali, in praecedenti num. 3 descripta.

7) Doctrina hoc in articulo vindicanda medium locum tenet inter utrumque excessum. Dum ex una parte Durandus[1] affirmat, hominem lapsum absque gratia omnes veritates, – ordinis utique naturalis, – cognoscere posse; et ex altera parte Henricus[2] contendit, eum ad nihil cognoscendum valere absque gratia. – Sanctus Thomas, aliique cum Scoto,[3] distinctionem inducunt inter veritates facilius cuique obvias, et veritates quae naturae viribus non nisi a paucis cum labore et erroribus permixtae cognosci possunt.

II. **Ad Textum**. Tres obiectiones respondent triplici conclusioni doctrinae *Corporis*. Haec enim doctrina, quemadmodum mox patebit, tribus his propositionibus comprehendi potest: 1) Deus, ut primus actus, est auctor omnium formarum quae sunt in creaturis principium cuiusvis facultatis activae. – 2) Insuper, ut primus movens, movet quamvis creatam facultatem, ut de potentia transeat in actum. – 3) Quotiescumque autem proportio deest inter facultatem et actum, oportet ut Deus speciali formarum completione huic disproportioni suppleat.

Obiectio 1ª urget conclusionem tertiam; obiectio 2ª peccat contra conclusionem primam; obiectio 3ª non attendit conclusionem secundam. – Quaedam sint de singulis.

1ª Obi. Locus in hac obiectione citatus classicus est (cf. dicenda in *Sed contra est*) ad demonstrandam necessitatem motionis divinae supernaturaliter intellectum illuminantis et cor accendentis, in ordine ad operationem salutarem. Nihilominus potest, cum S. Thoma, assertum Pauli et Ambrosii distingui iuxta duplicem ordinem. Minori tamen probabilitate haec interpretatio gaudet.

[1] In Dist. XXVII, q. 1.
[2] Dist. q. 4, n. 2.
[3] Cf. *Frassen*, op. cit. in hunc locum.

2ª Obi. Comparatio heic allata dupliciter peccat: 1) principaliter negligit, ipsum lumen naturale animae inditum, esse iugem illustrationem divinam, iuxta primam conclusionem. 2) Confundit externam illustrationem solis, cum interna illuminatione mentis. Corrigendo comparationem, posset inde necessitas illustrationis specialis ad supernaturale verum cognoscendum urgeri hoc pacto. Ad obiectum nimis distans vel absconditum percipiendum, non sufficit acies boni oculi, sed requiritur insuper adminiculum telescopii vel machinae subtilioribus radiis « Röntgen » perviae. Ergo ad sublimia et abdita ordinis supernaturalis cognoscenda requiritur, praeter vim optimi intellectus, auxilium speciale elevans et illustrans. Claudicat tamen adhuc haec comparatio, tum quia instrumentum oculo externo adhibetur, tum quia ipsum obiectum non nisi relative excedit facultatis creatae potentiam.

En Augustini textus a quo haec obiectio desumitur: « Mentis quasi sui sunt oculi sensus animae; disciplinarum « autem quaeque certissima talia sunt, qualia illa quae sole « illustrantur, ut videri possint, veluti terra est atque ter- « rena omnia: Deus autem est qui illustrat. Ego autem ratio « ita sum in mentibus, ut in oculis est aspectus. Non enim « hoc est habere oculos, quod aspicere; aut item hoc est « aspicere, quod videre. Ergo animae tribus quibusdam rebus « opus est: ut oculos habeat quibus iam bene uti possit, ut « aspiciat, ut videat ». Et pergit pulcherrime haec tria, in Deum applicata, conferens virtutibus fidei, spei et charitatis. [1]

3ª Obi. Et iste Pauli locus affertur ad probandam necessitatem illustrationis supernaturalis, quum, iuxta legem quasi constantem Scripturae, in hoc loco et in similibus sermo sit de cogitatione quae prosit saluti.

Sed contra est. Citatio Augustini affertur ad corroborandam primam ex tribus conclusionibus supra expositis. – Nec desunt argumenta ad singulas conclusiones specialiter vindicandas.

1) Hominem viribus animae naturaliter insitis multa posse naturalia cognoscere sine speciali auxilio divino, demon-

[1] *Soliloq.*, l. I, c. 6, n, 12. - *P. L.*, t. XXXII, col. 875 sq.

stratur per omnia Scripturae testimonia et traditionis documenta quibus ostenditur, rationem humanam sibi relictam posse ad Dei existentiam certo cognitam pervenire. Unde a fortiori multa alia inferiora et immediatae perceptionis cognoscere potest.[1]

Nisi enim natura aliquod lumen ex insita vi servaret, humana non esset. Bene S. Cyrillus Alexandrinus: « Dei Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non docendo, ut Angeli v. gr. vel homines; sed potius ut Deus creando. Unicuique rei in ortum deductae, sapientiae sive cognitionis divinae semen indit, et intelligentiae radicem inserit, atque ita rationale animal efficit, naturae illud suae particeps reddens, et ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores eius animo immittens, eo modo quo ipse novit.... Illuminat igitur Filius creative ut opifex ».[2]

Haec insita lux est principium conscientiae, quae si ex toto abesset, rursus homo non esset homo. « Nullus praetexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitae ducem et demonstratorem. Sufficientem enim habemus magistrum conscientiam, et fieri non potest ut quis illo adiumento privetur. Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum et non faciendorum ». Ita optime S. Ioannes Chrysostomus.[3]

Et S. Augustinus: « Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam non ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur aequo animo furem patitur ».[4]

Minus tamen ad haec valere intellectum in statu lapsae naturae, quam in statu naturae integrae valuisset, patet tum ex dictis superius de vulneribus naturae, inter quae ignorantia seu mentis obnubilatio adnumeratur, tum ex summa convenientia imo quasi necessitate revelationis veritatum aliquarum praecipuarum, licet rationis purae viribus non imperviarum.[5] Huc facit sententia Galleni: « Ars longa, vita bre-

[1] De hoc argumento fuse egimus in nostro tractatu *De Deo Uno*, t. I, P. I, Q. II.
[2] *In Ioann.*
[3] *Hom. 54 in Genes.*
[4] *Confess.*, l. II, c. 4.
[5] Cf. exposita ibidem.

« vis, occasio praeceps, experimentum periculosum, iudicium « difficile ».[1]

Damnanda est proin doctrina Novatorum saec. XVI, qui incapacitatem rationis humanae ex originali culpa ultra limites urgent.

2) Porro quemadmodum vires insitae facultatibus animae sunt a Deo uti a primo actu, quin alio auxilio divino indigeant, nisi conservantis a se condita; ita explicatio facultatum in actus nullo alio auxilio divino opus habet quam moventis, ubicumque proportio adest inter facultates et actus. Haec conclusio haud difficulter per Scripturas demonstratur, tamquam de universali motore dicta, eas interpretando sententias, quibus totalis praedicatur hominis a Deo dependentia, ut aliquid agere valeat.[2] In ordine ad operationem intellectus, quam sequitur operatio voluntatis, efficacissime iste divinus influxus praedicatur per verba Ioannis: « Erat « lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in « hunc mundum »,[3] non solum quatenus lumen intelligentiae accendit in singulorum hominum mente; sed etiam quia hoc lumen iugiter excitat ad intellectionis actus. Hac ratione S. Gregorius Nazianzenus probat: « idem in sensibus solem « esse, quod Deum in intellectibus: ut enim hic mentem, « ita ille oculos illuminat ».[4] Nec aliter loquitur S. Augustinus in comparatione superius allata.

3) Conclusio tertia de necessitate specialis auxilii gratiae, ut intellectus verum ordinis supernaturalis percipiat, multis testimoniis demonstratur. *a*) *In Scripturis* habemus α) sententias exclusivas *negativas:* « Sine me *nihil* potestis « facere ».[5] « Non quod sufficientes simus *cogitare aliquid* a « nobis quasi ex nobis », etc.[6] « Nemo potest dicere Domi- « nus Iesus, nisi in Spiritu Sancto ».[7] « Nam quid oremus, « sicut oportet, nescimus ».[8] « Animalis homo non percipit

[1] *Aphorism.*, 2.
[2] Cf. Obi. 1 et 3.
[3] Ioann., i, 9.
[4] *Orat. 39.*
[5] Ioann., xv, 5.
[6] ii Cor., iii, 5.
[7] i Cor., xii, 3.
[8] Rom., viii, 26.

« ea quae sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non « potest intelligere ... ».[1] « Neque qui plantat est aliqnid, « neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus ».[2] – *b*) Sententias *affirmativas:* « Quis dat talem eos habere mentem, « ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in « omni tempore, ut bene sit eis in filiis eorum in sempiter- « num? ».[3] « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad « me ».[4] « Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia « abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti « ea parvulis ».[5] « Deus, qui dixit de tenebris lumen splen- « descere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem « scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu ».[6] « Quaedam « mulier nomine Lydia, purpuraria... colens Deum, audivit « (Paulum praedicantem): cuius Dominus aperuit cor inten- « dere his, quae dicebantur a Paulo ».[7] – *c*) Sententias *supplicativas.* « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et « custodiam illam in toto corde meo ».[8] « Deus D. N. I. Chri- « sti, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et reve- « lationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, « ut sciatis quae sit spes vocationis eius ».[9]

Hanc Scripturae, imprimis Pauli doctrinam, - quae simul sequentis articuli doctrinam praeoccupat, - pius et doctus Abbas Columba Marmion ita pulchre illustrat: « Voyez jus- « qu'où va St Paul quand il parle de notre faiblesse. *Non quod « sufficientes simus,* etc.; il va jusqu'à dire que nous ne pou- « vons pas même avoir une bonne pensée, une pensée qui « vaille pour le ciel, par nous-mêmes: *quasi ex nobis,* et il était « inspiré par Dieu quand il écrivait ces paroles: nous sommes « incapables de tirer une bonne pensée de nous-mêmes comme « de sa source; tout ce qui est bon, tout ce qu'il y a de bien « en nous, tout ce qui est méritoire pour la vie éternelle

[1] I Cor., II, 14.
[2] I Cor., III, 7. Cf. infra commentaria Augustini.
[3] Deut., V, 29.
[4] Ioann., VI, 45.
[5] Matth., XI, 25.
[6] II Cor., IV, 6.
[7] Act., XVI, 14.
[8] Ps. CXVIII, 34.
[9] Eph., I, 17 sq.

« vient de Dieu par le Christ: *Sufficientia nostra ex Deo est,*[1] « c'est Dieu qui nous donne non seulement d'agir, mais encore « de vouloir surnaturellement: *Deus est qui operatur in nobis « et velle et perficere pro bona voluntate,*[2] par sa bonne « volonté, parce que tel est son bon plaisir. Donc par nous-« mêmes, nous ne pouvons surnaturellement ni vouloir, ni « avoir une bonne pensée, ni agir, ni prier, nous ne pou-«vons rien: *Sine me nihil potestis facere* ».[3]

Confirmatur haec doctrina per oeconomiam Veteris Testamenti, in quo Deus populum a se electum superne illuminabat: « Abraham progenitorem nostrum, ait S. Clemens, « viam veritatis ex ipsa naturae facultate capescentem, cum « ei appareres, tamquam dux deduxisti, eumque quid tandem « esset hoc saeculum docuisti, ac fidem eius antegressa est « cognitio, cognitioni vero consequens fuit fides,[4] fidem autem « insecuta pactio ».[5]

Demonstratur *b*) ex *Ecclesiae orationibus,* seu ex lege supplicandi; quo argumento iam usi sunt Patres concilii Carthaginensis.[6] Etenim innumeri sunt catholicae liturgiae textus, quibus Ecclesia petit tum fidelium mentes superne illustrari, tum infidelibus velamen ab oculis auferri, lumenque veritatis concedi. Satis sit quaedam attulisse exempla: « Mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra ».[7] « Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis « illustra, ut videre possimus quae agenda sunt; et quae « recta sunt agere valeamus ».[8] « Deus, a quo bona cuncta « procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspi-« rante, quae recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus ».[9] Et in initio operis Dei orare iubemur: « Intellectum illu-« mina, affectum inflamma », etc.

[1] II Cor., III, 5.

[2] Phil., II, 13.

[3] *Le Christ vie de l'âme,* III. *Le Christ prix infini de notre sanctification,* p. 87 sq.

[4] Inde in Liturgia vocatur « Pater fidei nostrae »; inde imprimis Paulus Abrahae fidem saepius commendat.

[5] *Constit. Apost.,* l. 7, c. 34.

[6] *Ep. ad Innocentium,* I, n. 4.

[7] Dom. XXIV post Pontec.; cf. Dom. II Adv. – Cf. et pulcherrimas orationes ad Primam.

[8] Fer. IV Quat. temp. infr. Quadrag.

[9] Dom. V post Pasch.

Id sonant invocationes hymni ad Spiritum Sanctum:

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Necnon sequentiae Pentecostes:

Veni, Sancte Spiritus,
Et emitte caelitus
Lucis tuae radium.

Imo praesens veritas nobis inculcatur ubicumque Deus, vel Christus, vel Spiritus Sanctus sub imagine lucis invocantur, iuxta prologum Evangelii Ioannis, et iuxta ipsum verbum Christi: « Ego sum lux mundi ». Non enim, ut in fine agnovit Pelagius, his verbis intelligenda est gratia externa praedicationis et exempli, sed interna mentes illustrans, et iuxta illuminatam mentem ardore corda inflammans. Huc spectant verba S. Petri: « Habemus firmiorem « propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi « lucernae in caliginoso loco, donec dies elucescat, et Lucifer « oriatur in cordibus vestris ».[1] Ita sonat pulcherrimus hymnus ad Laudes fer. II:

Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis,
Diem dies illuminans:

Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti:
Iubarque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

c) Item probatur *auctoritate Conciliorum et Patrum.*

α) Concilium *Carthaginiense,* can. 4, ita habet: « Per ipsam « (gratiam) revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, « ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus »; et item anathematizat negantes: « nobis praestari (per gratiam), « ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus « atque valeamus... cum sit utrumque donum Dei, et scire « quod facere debeamus, et diligere, ut faciamus ». – Et Con-

[1] II Petr., I, 19.

cilium *Arausicanum II,* can. 7, habet:[1] « Si quis per naturae « vigorem quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogi- « tare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evange- « licae praedicationi consentire posse confirmat, absque illu- « minatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus « suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haere- « tico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in evan- « gelio dicentis. "Sine me nihil potestis facere;„ et illud Apo- « stoli: "Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis « quasi ex nobis, sed sufficientia nostro ex Deo est„ ».[2] – Huc quoque faciunt declarationes Concilii *Tridentini,* quibus et necessitas et universalitas gratiae praevenientis urgetur. Sess. VI, can. 2: « Si quis dixerit, ad hoc solum divinam « gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste « vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per libe- « rum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et « difficulter possit, a. s. ». Et can. 3: « Si quis dixerit, sine « praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adiutorio « hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, « sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, a. s. ».

β) Ex *Patribus* sufficiat afferre testimonia Iustini, Augustini et Prosperi. *Iustinus*, in *Dialogo cum Tryphone* inducit senem ad seipsum Iustinum dicentem: « Tu vero ante omnia « precare lucis portas tibi aperiri: neque enim haec (pro- « phetarum oracula) quisquam percipere et intelligere possit, « nisi cui Deus intelligere dederit et Christus eius ».[3] – *Augustinus* necessitatem illustrationis intellectus per gratiam contra Pelagianos strenue vindicavit: « Legant et intelli-

Cf. Constit. *Auctorem fidei,* ad propos. 21.

[2] His ultimis verbis, iuxta sententiam S. Augustini, describitur gratia efficax.

[3] *P. G.,* t. IV, col. 491. – Eodem sensu iam ille eunuchus Philippo diacono responderat: « Et quomodo possum (prophetam intelligere), si non aliquis ostenderit « mihi »? * Qui tamen locus est minus ad rem, quum non explicite praedicet necessitatem illustrationis internae. Hoc quoque sensu S. Benedictus in Prologo ad Regulam suam imprimis iubet discipulum suum loquenti Domino, id est mentem illustranti, auditum praestare: « Et apertis oculis nostris ad deificum lumen attonitis « auribus audiamus, divina quotidie clamans, quid nos admoneat vox dicens: "Hodie, « si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra„ ... "Currite dum lumen « habetis ...„ », etc. **

* Act., VIII, 31.

** Cf. et Clem. Alex, *Stromata,* l. VI.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« gant,[1] intueantur, atque fateantur, non lege atque doctrina « insonante forinsecus, sed interna et occulta, mirabili ac « ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, « non solum veras revelationes, sed bonas etiam volun- « tates ».[2] Et paucis interiectis: « Quomodo dicit liberi arbitrii « elatus assertor: " Quod possumus bene cogitare, Dei est; « quod autem bene cogitamus, nostrum est? ,, ». Cui respondet humilis praedicator gratiae: « Non quia idonei sumus cogi- « tare aliquid a nobis, quasi ex nobismetipsis; sed suffi- « cientia nostra ex Deo est ». Non enim ait: « posse cogi- « tare, sed, cogitare ».[3] Alibi, eloquenter in genere praedicat, nihil salutaris provectus haberi posse, cuius gratia Christi non sit principium; ergo nec salutaris cogitatio: « Nullo « modo, ait, nisi adiuvante gratia Salvatoris nostri crucifixi, « et dono Spiritus eius, vel quoslibet ad plenissimam perfe- « ctionem, vel quemquam ad qualemcumque provectum « verae piaequae iustitiae pervenire, qui negaverint, nescio « utrum recte possint in qualiumcumque Christianorum « numero deputari ».[4]

Necessitatem huius internae illustrationis praeclare deducit e sententia S. Pauli: « Neque qui plantat est aliquid, neque « qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus ».[5] « Adhibetur « enim, inquit, sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio « corporalis, verumtamen *neque qui plantat est aliquid*, etc. « – Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum; « sed ut sentiat et cognoscat verum esse quod dicitur, illo « lumine intus mens eius aspergitur, quod aeternum manet, « quod etiam in tenebris lucet »[6]. Huc facit sententia *Actuum:*

[1] Agit scilicet de instantanea mirabili mutatione irae Assueri in lenitatem (Esth., xv, 11).

[2] In c. 24 libri *De gratia Christi.*

[3] Ibid., c. 25. Cf. immediate sequentia.

[4] *De natura et gratia,* c. 60.

[5] I cor. iii, 7.

[6] Ioann. i, 5. *De pecc. meritis et remiss.*, l. 1, n. 37. Cf. loca simillima. *De gratia Chr.*, c. 13; *De civit. Dei* xv, 6. – Idem docet S. Th.: « Ille vos docebit omnia, quia « quaecumque homo doceat extra, nisi Spiritus S. interius det intelligentiam, frustra « laborat; quia nisi Spiritus cordi adsit audientis, otiosus erit sermo doctoris, inspi- « ratio omnipotentis dat intelligentiam, * et in tantum, quod etiam ipse Filius organo « humanitatis loquens, non valet, nisi ipsemet operetur interius per Spiritum Sum ». **

* Iob. xxxii, 8.

** *In Ioann.*, xiv, lect. 6.

« Crediderunt (ex audientibus Paulum et Barnabam) quot-
« quot erant praeordinati ad vitam aeternam ». [1] Ipse quoque Eliu in exordio sermonis sui contra Iob idem affirmavit dicens, quod « Spiritus est in hominibus, et inspiratio omni-
« potentis dat intelligentiam? ». [2]

Augustini doctrinam carmine *Prosper* illustravit refellens Pelagianum conceptum gratiae ad modum Legis mere externe adhortantis:

« Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
« Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
« Gratia, sed *mutans intus mentem* atque reformans
« Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.
« Non istud monitus legis, non verba prophetae,
« Non praestata sibi praestat natura, *sed unus,*
« *Quod fecit, reficit.* Percurrat Apostolus orbem,
« Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet:
« Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
« Non doctor, neque discipulus, sed *gratia sola*
« *Efficit inque graves adolet plantaria fructus.*
« *Haec semen fidei radicem affigere menti,*
« Eque sinu cordis validum iubet edere germen.
« Haec maturandam segetem servatque fovetque;
« Ne lolium et tribuli, et vanae dominentur avenae ». [3]

His testimoniis, quae facile multiplicari possent, aperte constat, ad percipiendum supernaturale verum requiri auxilium speciale gratiae, scilicet, illustrationem internam, immediatam mentis; quomodo autem haec gratia illustrans operetur in nobis sine nobis, quomodo nobiscum, infra discutietur.

Pulcherrime hanc veritatem, Deum alloquens, proclamat Thomas a Kempis. « Possunt quidem homines verba sonare,
« sed spiritum non conferunt; pulcherrime dicunt, sed te
« tacente, cor non accendunt; litteras tradunt, sed tu sensum
« aperis; mysteria proferunt, sed tu reseras intellectum signa-
« torum; mandata edicunt, sed tu iuvas ad perficiendum;
« viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi
« foris tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas; illi
« exterius rigant, sed tu faecunditatem donas; illi verbis cla-
« mant, sed tu auditui intelligentiam tribuis ». [4]

[1] Act. xiii, 48.
[2] Iob. xxxii, 8.
[3] *De Ingratis*, v. 335 sqq. – *P. L.*, t. li, col. 114.
[4] *Imit. Christi*, l. iii, c. 2.

In Corpore. Processus argumenti lucidus est. Praemisso cognitionis actum esse aliquem motum, qui motus duo supponit, formam scilicet, motus principium, et motum primi moventis, demonstratur, ad intellectionis actum duplex auxilium divinum requiri: primi scilicet actus, formam condentis, et primi moventis, formam in actum educentis.[1] Hucusque habemus primam et secundam conclusionem supra expositam. Tertia conclusio iam inducitur per legem proportionis requisitae inter formam et actum; qua lege firme demonstratur, ad actum supernaturalis cognitionis requiri auxilium speciale ipsam formam elevantis et illustrantis.

Alibi illustrans sententiam: « Sine me nihil potestis « facere », S. Thomas pulchre eamdem doctrinam eleganti dilemmate comprehendit: « Opera enim nostra aut sunt vir« tute naturae, aut ex gratia divina. Si virtute naturae, quum « omnes motus naturae sint a Verbo Dei, nulla natura ad « aliquid faciendum moveri potest sine ipso. Si vero virtute « gratiae, cum ipse sit auctor gratiae, nullum opus merito« rium sine ipso fieri potest ».[2]

Observa summum momentum doctrinae de duplici auxilio formam instruentis, et facultatem moventis; recurret enim per totam tractationem de gratia,[3] et semel bene percepta, subtiliora infra perscrutanda illustrabit.

Insuper animadverte S. Th. in hoc articulo nihil habere de discrimine inter statum integrum et statum lapsum. Quod autem completur in fine articuli sequentis, nos ad penitiorem argumenti analysim, iam in hoc articulo exponendum duximus.

Card. Billot doctrinam huius articuli ita lucide complectitur: « Tam ad veritates supernaturales quam ad veritates « religiosas ordinis etiam naturalis, necessaria dicenda est « divina revelatio, non tamen eodem modo: absolute quidem

[1] Quo sensu haec eductio intelligenda sit, in quarta Parte data opera investigabimus.

[2] *In Ioannem,* VI, lect. I.

[3] Unde quaedam sententiae vel systemata vel deficiunt vel excedunt, secundum quod hoc duplex principium aut non satis prae oculis tenent, aut nimis exclusive intuentur et urgent.

« quoad primas, hypothetice tantum quoad secundas, et solum « ad hoc ut in praesenti generis humani statu possint cognosci « ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo errore « admixto. Sed ad cognitionem quae sit quomodocumque « conducens ad iustificationem et vitam aeternam, interior, « gratiae illustratio semper et eodem titulo absolute requi- « ritur ». [1]

Quaeres I. – Gratiae de qua in hoc articulo actum est, pertinentne omnes ad ordinem supernaturalem? Cum distinctione est huic quaesito respondendum. Quaecumque gratia datur ad cognoscendas veritates ordinis supernaturalis, et ipsa supernaturalis sit oportet, saltem latiori sensu, quatenus ad ordinem supernaturalem pertinet, non autem, per se, quatenus iustificat. Aliae autem illustrantes gratiae, ex natura rei, non debent esse supernaturales. Sufficit enim iuvamen in ordine ad quem ipsa veritas illustranda pertinet. Si tamen haec illustratio materialiter naturalis ordinatur ad altiorem illustrationem supernaturalem, nihil impedit quominus non solum terminative, sed et inchoative, ratione harmoniosae providentiae divinae, iam et ipsa ad altiorem ordinem elevetur.

Quaeres II. – Istae gratiae suntne omnes gratiae Christi? – Possunt quidem esse, intuitu infiniti ambitus operis Christi. Nihilominus, absque ullo detrimento huius operis, possunt uti gratiae Dei, non Christi considerari iuvamina quae remanent in ordine cognitionis naturalis, nec illum habent nexum cum ordine supernaturali de quo superius agebamus. Qui nexus si adsit, quum Christus sit huius ordinis pro genere humano universalis instaurator, iam huiusmodi iuvamina dicenda videntur intra ambitum gratiarum Christi, qui certo complectitur omnes illustrationes quae ad ordinem supernaturalem directe pertinent. [2]

[1] Op. cit., Q. CIX, art. 1, thes. I, p. 57.

[2] Ex dictis patet, non multum differre hac in re sententias a Vasquez et a Suarez propugnatas. Hic affirmat: « Quoties gratia specialis ad veritates naturales « cognoscendas, vel deceptionem in ea materia vitandam, datur, propter Christum « datur, unde non solum est gratia Dei, sed etiam gratia Christi ». * Vasquez **

* Op. cit., loc. cit., n. 15.

** Disp. 188, c. 2.

Corollarium I. – Doctrina in hoc articulo exposita, qua ex una parte impotentia naturae ad omne verum ordinis supernaturalis, et eius magna difficultas ad verum ordinis naturalis demonstratur, ex altera parte Deus ostenditur in intellectum hominis et in eius voluntatem agens, etiam per gratiam latiori sensu intellectam, - haec inquam doctrina facilius explicat sensum quemdam quo homo dirigitur in Deum, quin ipse Deum uti obiectum ab intellectu clare apprehensum, sibi praesentem sistat. Id est quod S. Augustinus saepius insinuat, et quo ontologistae, recentiusque modernistae abuti solent. Hoc sensu intelligendum censeo Thomassinum quando scribit: « Liquet etiam ante et supra vim intelligendi esse in ipso « mentis apice quemdam sensum arcanum, tactumque quo « res sentimus magis quam intelligimus. Hoc est summum « mentis fastigium, et unum mentis, quo ipsum incompre- « hensibile utcumque apprehendimus, sentimus quod sit, nec « intelligimus quid sit, sentimus quid non sit, nec intelligi- « mus quid sit ». [1]

Placet audire Fenelonium et Bossuetium de hoc subtili argumento eleganter et pie disputantes. Ita prior illustrat quam ardua res sit homini solis viribus naturae relictis apprehendere verum. « Il est vrai que les hommes... n'ont « point assez de force pour suivre toute leur raison; aussi « suis-je persuadé que nul homme sans la grâce n'aurait « pas, par ses seules forces naturelles, toute la constance, « toute la règle, toute la modération, toute la défiance de « lui-même qu'il lui faudrait pour la découverte des vérités « mêmes qui n'ont pas besoin de la lumiére supérieure de la « foi, en un mot cette philosophie naturelle qui irait sans « préjugé, sans impatience, sans orgueil jusqu'au bout de la « raison purement humaine ».

Quod Bossuetius forti suo stylo ita exprimebat: « Non, « je ne le puis, chrétiens, je ne puis jamais me fier à la « seule raison humaine. Elle est si variable et si chance-

autem limitat gratiam Christi ad cognoscendam omnem veritatem, quae conducit voluntatem ad virtutem. Latior sane apparet sententia Suarezii. Sed si per veritatem « quae conducit voluntatem ad virtutem », intelligitur ille nexus quem superius descripsimus, discrimen inter utramque sententiam minuitur.

[1] *De Deo*, cap. XIX.

« lante, elle est tant de fois tombée dans l'erreur, que c'est « se commettre à un péril manifeste que de n'avoir point « d'autre guide qu'elle.

« Quand je regarde quelquefois en moi-même cette mer « si vaste et si agitée, si j'ose parler de la sorte, des raisons « et opinions humaines, je ne puis découvrir dans une si vaste « étendue, ni aucun lieu si calme, ni aucune retraite si assurée « qui ne soit illustre par le naufrage de quelque personnage « célebre ».

Et alludens ad magnificam interrogationem Baruch: « Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, « ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae, ubi sit lumen « oculorum et pax. Quis invenit locum eius? et quis intravit « in thesauros eius? », magnus orator exclamat: « O vous, qui « naviguez dans les mers, vous qui trafiquez dans les terres « lointaines, et qui nous en rapportez les marchandises si « précieuses, dites-nous, n'avez-vous point reconnu dans vos « longs et pénibles voyages, n'avez-vous point reconnu où « réside l'intelligence, et dans quelles bienheureuses pro- « vinces la sagesse s'est retirée? ».[1]

Sed de sapientibus illis prophanae philosophiae addictis valet iliud eiusdem Prophetae: « Ibi fuerunt gigantes nominati « illi... ». Sed « Non hos elegit Dominus, neque viam disci- « plinae invenerunt... ». Quod autem illi non valuerunt assequi, superne Deus concessit populo suo electo: « O, Israël, « quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis « eius! ». Haec « domus Dei » est Ecclesia a Christo fundata. Nam Deus Israël « post haec in terris visus est, et cum « hominibus conversatus est ».[2]

Audiamus iam quid ipse dicat: « In ipsa hora exsultavit « Spiritu Sancto et dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli « et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et pruden- « tibus et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic « placuit ante te ».[3] Quod idem Paulus proclamat et iam in

[1] *Second sermon pour le dim. de la Quinquagésime.*

[2] Baruch, iii, 14, 15, 26, 38.

[3] Luc., x, 21. Quis hic non recolat Virginis verba: « Magnificat anima mea Domi- « num, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo... Esurientes implevit bonis « et divites dimisit inanes »? *

* Luc., i. 46, 53.

eventu salutat. « Verbum crucis, pereuntibus quidem stul-
« titia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus
« est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium,
« et prudentiam prudentium reprobabo.[1] Ubi sapiens? ubi
« scriba? ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit
« Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia
« non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo
« per stultitiam praedicationis salvos facere credentes ».[2]

Quid iam demonstrant hoc solemne testimonium Christi, haec ardentia verba Apostoli, nisi illuminationem mentium plus deberi iuvamini gratiae quam conamini naturae? Quae gratia infinitis modis se insinuat, nam divina lux « illuminat
« omnem hominem venientem in hunc mundum ».[3]

Redeamus ad Fenelonium qui hanc necessitatem et subtilem actionem gratiae, duce Augustino, investigat: « Je ne
« compte que sur la grâce pour diriger la raison, même dans
« les bornes étroites de la raison, pour la découverte de la
« religion; mais je crois avec saint Augustin, que Dieu
« donne à chaque homme un premier germe de grâce intime
« et secrète, qui se mêle imperceptiblement avec la raison,
« et qui prépare peu à peu l'homme à passer de la raison à
« la foi. C'est ce que saint Augustin nomme *inchoationes*
« *quaedam fidei, conceptionibus similes* ».[4]

Quas « inchoationes » ita pulchre describit: « C'est un
« commencement très éloigné pour parvenir de proche en
« proche jusqu'à la foi, comme un germe très informe est le
« commencement de l'enfant qui doit naître beaucoup après.
« Dieu mêle le commencement du don surnaturel avec les
« restes de la bonne nature, en sorte que l'homme qui les
« tient réunis ensemble dans son propre fond ne les démêle
« point, et porte au-dedans de soi un mystère de grâce qu'il
« ignore profondément ». Et addit: « La plus sublime sagesse
« du Verbe est déjà dans l'homme, mais elle n'y est encore
« que comme du lait pour nourrir les enfants. Il faut que
« le germe de la grâce commence à éclore pour être distingué

[1] Is., XXIX, 14.
[2] I Cor., I, 18 sqq.
[3] Ioann., I, 9,
[4] *De div. quaest. ad Simplic.*, l. I, q. 2, n. 2.

« de la raison ». Quantopere haec doctrina, solaminis plena, remota sit ab excessu Semipelagianistico, mox apparebit.

Sed et magis illustrat quid haec initialis gratia tum in mente tum in corde inveniat, quid stimulet ut natura, quae vacuitatem suam experitur, Dei gratia impleatur. « Cette « préparation du cœur est d'abord d'autant plus confuse « qu'elle est générale; c'est un sentiment confus de notre « impuissance, un désir de ce qui nous manque, un penchant « à trouver au-dessus de nous ce que nous cherchons au- « dedans de nous-mêmes, une tristesse sur le vide de notre « cœur, une faim et soif de la vérité, une disposition sin- « cère à supporter facilement qu'on se trompe, et à croire « qu'on a besoin de secours pour ne se tromper plus ».[1]

Quemadmodum enim filius prodigus per miseriae experientiam ad memoriam amissarum divitiarum revocatus, exclamavit: « Ibo ad Patrem »,[2] ita anima a Deo ad Deum facta, per propriae insufficientiae sensum ad altiora fidei iuvante gratia perducitur. Ex quo iam patet, hasce subtiles et initiales illustrationes mentis corroborari per stimulos initiales voluntatis, quum profluant a gratia, quae totum movet hominem, ut eum totum ad Deum adducat.

Quam subtiles sint istae « inchoationes », quam abundanti pietate a Deo dentur omnibus hominibus rectis et bonae voluntatis, mysterium est illius, qui proprium Filium pro omnibus dedit,[3] et omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.[4]

Corollarium II. – Ex impotentia philosophorum ethnicorum, etiam summo ingenio praeditorum, ut de divinitate deque veritatibus ad religionem et mores spectantibus et naturali ratione perviis, certam doctrinam proferrent, sequitur, magnum fuisse beneficium a christiana revelatione humano generi allatum. Quod beneficium iam olim contra ethnicos extollere solebant apologistae. Optime Tertullianus:

[1] *Lettres sur la Religion.* – Lettre VI. *Sur les moyens donnés aux hommes pour arriver à la vraie religion.*

[2] Luc., XV, 18.

[3] Rom., VIII, 32.

[4] I Tim., II, 4.

« Inventum enim (scilicet in Scripturis Nov. Test.) solum-
« modo Deum non ut invenerant disputaverunt, ut et de
« qualitate et de natura eius disceptent. Alii incorporalem
« asseverant, alii corporalem qua Platonici, qua et stoici; alii
« ex atomis, alii ex numeris qua Epicurus et Pythagoras ...
« Sic et de ipso mundo, natus innatusve sit, decessurus man-
« surusve sit, variant. Sic et de animae statu, quam alii divi-
« nam et aeternam, alii dissolubilem contendunt, etc. ».[1]
Quod beneficium quanti existimandum sit, ostendit colluvies errorum quae, reiecta revelationis Christianae luce, philosophos neo-ethnicos invadit iterum, tenebrasque densiores prioribus inducit.

De hoc argumento eloquentissime tractat Lacordaire in concionibus anno 1843 habitis: « Des effets de la doctrine « catholique sur l'esprit »; quarum prima agit: « De la cer-
« titude rationnelle produite dans l'esprit par la doctrine « catholique ». Opponens invicem incredulorum dubia et credentium certitudinem, haec inter alia habet: « D'Alem-
« bert, ce grand géomètre, était à son lit de mort. Un jeune « homme s'approche, et lui dit avec un naïveté affectueuse:
« " Monsieur d'Alembert, vous avez toujours été bon pour « moi, laissez-moi vous demander une chose: maintenant,
« tout ce que vous et vos amis avez écrit du Christianisme « vous paraît-il certain? „. D'Alembert, ému d'un mouvement « généreux, répondit: " Ah! certain! " ».

« Voilà, Messieurs, le dernier mot de la science et du « génie à l'égard de la religion, lorsqu'ils s'en sont tenus à « eux-mêmes, et n'ont voulu conclure que par la raison « isolée du témoignage divin. La science creuse la vie, et ne « la comble pas. Oui, princes de la pensée terrestre, vous avez « creusé un puits profond et admirable, mais vous ne l'avez « pas rempli. Entre vous et nous, pour tout achever par « un seul mot, voici la différence: nous croyons, et vous « doutez ».[2]

Unde apparet quam iniusta et ingrata sit rationalistarum calumnia, qui in supernaturalem ordinem mysteriorum

[1] *Apol.*, c. 47. Cf. et LACTANTIUM (*div. instit.*, l. III n. 1); IUSTINUM (*Dial. cum Tryph.*, n. 7), necnon auctorem epist. *ad Diognatum*, n. 8.

[2] *Œuvres*, t. II, p. 269.

insurgunt, quasi in humanam rationem iniuriosum.[1] Frontose contra tales scribit Gioberti: « Vouloir écarter les mystères, « ce n'est pas augmenter la science, mais l'ignorance; et en « échange des mystères particuliers qui éclairent et complé- « tent les intelligibles, on finit par admettre un mystère « universel qui les annule tous. De là dérive ce scepticisme « désespéré, qui n'est pas moins nuisible à la vie active « qu'à la vie spéculative, ou ce dogmatisme faux et puéril « qui rapetisse et affaiblit les intelligences, réduit la philo- « sophie à balbutier avec les enfants, porte préjudice aux « autres branches du savoir, les tyrannise et étouffe toute « grandeur morale et civile... Le catholicisme seul, en main- « tenant le mystère révélé dans son integrité, et en en consa- « crant l'inviolabilité suprême, pourvoit même à la conserva- « tion des mystères naturels, assure aux différentes sciences « leur liberté légitime, les sauve du mesquin, de la petitesse, « de la faiblesse, de la violence, de l'anarchie, de la corruption, « en coopérant à les rendre florissantes et à les enrichir « de nouveaux accroissements ».[2]

Quod Laforêt eloquenter illustrat comparatione instituta inter scripta Platonis et Augustini. Si campum naturalem sive rationalem seu philosophicum respicis: « C'est à la foi « que l'évêque d'Hippone doit son incontestable supériorité « sur le maître de l'Académie dans les grandes questions « de l'ordre rationel et strictement philosophique ». Sed ecce

[1] Huc quoque faciunt calumniae illorum qui, naturalismo imbuti, religionem naturalem prae supernaturali religione extollunt. Ita Iulius Simon scribere non veretur: « La religion naturelle nous fait suivre avec amour et respect le dévelop- « pement des vues de la Providence, sans nous représenter Dieu comme un ouvrier « malhabile et incertain, qui change d'avis et raccommode ».* Et: « La religion « naturelle guide la raison en la respectant, tandis que la religion positive dédaigne « la raison et la remplace ».** Unde de religiosa educatione hoc scribit Renan: « Elle a souvent pour effet de rapetisser les esprits qui s'y emprisonnent. Mais la « plupart de ceux que la religion rapetisse étaient déjà petits avant de s'y livrer ».*** De hoc bello in Christianam religionem indicto Lacordaire pulchra disserit in concione cui titulus: « De la passion des hommes d'Etat et des hommes de génie contre « la doctrine catholique ».****

[2] *Introd. à l'étude de la Philos.*, ch. VIII, t. III, p. 135 sq.; Paris, 1847.

* *La religion naturelle*, p. 418.

** Ibid., p. 899.

*** *Etudes d'hist. relig.*, p. XVII.

**** Confer. de 1843.

haec fides altiorem ingenio campum revelat et dilatat: « Grâ-« ces à ces révélations surnaturelles de la foi fécondées par « une réflexion puissante, saint Augustin se montre autant « au-dessus de Platon, sur le terrain des idées morales et « religieuses, que le ciel est au-dessus de la terre ». [1]

Nec mirum. Lux illa quae superne per gratiam mentes illuminat, totum veritatis etiam naturalis campum subtili quadam irradiatione veluti sua sponte collustrat. Quod in Sanctis speciali privilegio apparet manifestum, uti in beato illo Vianney, qui, etsi a natura ingenio mediocriter acuto dotatus, modo tamen mirabili de rebus etiam naturae loquebatur, [2] ut eloquentissimos quosque confunderet. [3]

Eo enim sapientiores sunt homines qui in rebus religionis reguntur a gratia, quo efficacius in omnibus vitae adiunctis ab eadem gratia iuvantur; quod iuvamen non modo illuminat intellectum, sed, de quo mox, et voluntatem excitat et roborat. Hinc saepissime in rudioribus, ubi de rebus fidei et morum, de prudentia Christiana agitur, magna elucet sapientia, quae et doctissimos non raro confundit.

Corollarium III. – Ex eadem huius articuli doctrina iam nunc colligere licet, quod per sequentes articulos corroborabitur, ex toto aberrare illos philosophos deistas, qui Dei influxum in actiones humanas etiam in ordine naturali

[1] Op. cit., 256 sq. Hinc sapientissima Dei Providentia tot praeclara ingenia revelationi Christianae praemisit, ut acumine et deficientia eloquenter ostenderent, quid relicta viribus suis, humana ratio posset, quid non posset. Huc faciunt conciones Lacordaire Tolosae habitae: V. *De la vie surnaturelle.* – VI. *De l'influence de la vie surnaturelle sur la vie privée et la vie publique,* t. VI, p. 365 sqq., p. 401 sqq. – De habitudine inter scientiam et religionem sive Ecclesiam, eruditus vir James M. Wilson nuperrime notatu digna scripsit in iubilari fasciculo ephemeridum *Nature.* *

[2] Quum die quadam coram philosophiae doctore aliquis dixisset, in pio parocho haberi quidem sanctitatem, sed nonnisi sanctitatem, ille respondit: « Et lumina in eo « sunt, utique lumina magna. Tot ex eius colloquiis scintillae prorumpunt in omnis « generis argumenta de Deo, de mundo, de hominibus, de rebus, de praesenti, de « futuro. O quam limpida, quam pulchra luce utitur qui per Spiritum Sanctum « intuetur. Ad quantam celsitudinem sensus et rationis elevat fides »! (*L'esprit du curé d'Ars,* n. 215 sq.).

[3] Inclytus Lacordaire confessus est, se numquam timidius orationem habuisse, quam in modestissima illa ecclesia, in qua ipsum Beatum mane concionantem audierat.

* *Science and the Church,* 6 nov. 1919, p. 201 sqq.

recusant, quasi ex una parte superfluum, ex altera humanae activitatis destructivum. Audiatur de hoc argumento eleganter, more suo, at leviter disserens Iulius Simon: « Faut-« il dire que Dieu intervient dans nos actes? Non. Il ne « s'agit pas ici d'une difficulté, d'une incompréhensibilité, « mais d'une contradiction. En effet, si Dieu coopère à nos « actes, la liberté humaine et l'efficacité de la volonté « humaine disparaissent. Car où est la force créée qui peut « ajouter quelque chose à la force incréée? Il suffit que Dieu « veuille: par le fait de cette volonté, la chose qu'il veut « existe. Tout au plus pourrait-on dire qu'à côté de cette « force plus que suffisante coexiste une force pleinement inu-« tile, qui a l'illusion d'agir; mais cette hypothèse engendre « deux difficultés: la première, c'est que les actes humains, « si souvent honteux et condamnables, seraient les actes « mêmes de Dieu ». Et alibi: « La coopération de Dieu aux « actes de mon entendement m'anéantit ». Quot asserta, tot absurda. Quid magis monstruosum fingi possit quam Deum omnipotentia gaudentem creandi, at impotentem agendi in ea quae ipse creavit? Quam obsona sit talis assertio, patet ex ipso modo quo homo agit in hominem, tum ut mentem eius per magisterium excolat, tum ut eius voluntatem per adhortationem in bonum dirigat. Num ideo qui audit docentem aut monentem vitali actione et libertate destituitur? Et curnam ipse Iulius Simon, sermonis elegantia quam arguendi nervo peritior, libros conscripsit et sermones habuit, nisi ut in se legentes et audientes influeret?

Vitium princeps huius falsissimi conceptus est in ipso conceptu creationis et entis creati. Optime rationalista scriptor Laurent: « Non, la création n'est pas un acte unique « isolé: le Créateur n'abandonne pas sa créature dès qu'elle « est sortie de ses mains; il la tient attachée à lui, comme « par un prolongement de la création ».

Hinc necessitas absoluta ut creatura iugiter a Deo iuvetur, ut in esse perdurare et agere possit: « L'homme a besoin pour « vivre de l'action incessante de Dieu, comme il faut à la terre « l'action incessante du soleil pour être éclairée et vivifiée ».[1]

[1] Op. cit., p. 454. Errat tamen Laurent quando tenset, in hoc complexu iuvaminum qui supernaturalem ordinem non excedunt, veram theoriam gratiae consi-

Corollarium IV. - Ex praecedentibus corollariis sequitur, hominem eo facilius ad veritatem pervenire, quo humilius et purius ad eam tendit. Descripto ex una parte homine acutissimo, sed sui pleno: « amoureux de son esprit et de « sa sagesse, qui cherche la sagesse et la vertu pour enrichir « son esprit, pour s'orner et s'élever au-dessus des autres »; ex altera vero parte, homine « avec beaucoup moins d'intelli- « gence », sed qui « occupe son esprit de la vérité et non de « son esprit même », Fenelonius concludit: « celui qui paraît « le moins avancé l'est infiniment plus que l'autre. Dieu trouve « dans l'un un fonds qui repousse son secours, et qui est indi- « gne de la vérité; il met en l'autre cette pieuse curiosité, cette « conviction de son impuissance, cette docilité salutaire qui « prépare à la foi ». Et fusius ostendit quantopere recipiendae fidei et amor proprius et superbia obsint. Quae verba integre attulisse non pigeat: « Rendez l'homme simple, docile, « humble, détaché de lui-même, prêt à porter le joug et à « se corriger, tous les doutes disparaîtront, la lumière de Dieu « sera éclatante, la raison sera aidée par la grâce; mais dans « l'état présent la lumière luit dans les ténèbres, et les ténè- « bres ne la comprennent pas. Dieu vient dans sa propre « famille, et les siens ne le reçoivent pas: l'homme ose être « jaloux de Dieu... L'homme ne veut raisonner sur Dieu que « pour se faire juge de la divinité, que pour tirer une vaine « gloire de cette recherche curieuse, que pour s'élever au- « dessus de ce qui doit le rabaisser ». Et claudit hac pulcherrima sententia: « Laissons les vices grossiers; l'orgueil « suffit pour causer l'impiété la plus dangereuse ». [1]

stere: « Nous admettons avec saint Augustin que la création est permanente, que « Dieu est en relation continue avec ses créatures. Les facultés dont Dieu a doué « l'homme ne suffisent pas par elles mêmes pour qu'il remplisse sa destinée; ce sont « des organes qui, pour vivre et agir, ont besoin sans cesse du souffle vivifiant et « inspirateur de Dieu. Nous admettons avec saint Paul et son profond interprète, « que Dieu opère en nous et le pouvoir et le vouloir; que l'homme a besoin du « concours de Dieu, non seulement pour accompir le bien, mais même pour le désirer. « Nous admettons que cette action divine est incessante. Telle est la véritable « doctrine de la grâce ». * E contra si haec ad ordinem naturae limitantur, non implicant nisi gratiam improprie dictam. Ibi incipit campus gratiae presse sumptae, ubi ordo iustitiae, cognitionis et operationis supernaturalis.

[1] Ibid.

* Ibid., p. 456.

Corollarium V. – Demum ex hac eadem doctrina fluit quanti momenti sit, quoad ordinationem animi in Deum et totam vitam spiritualem, docilem aurem praebere internae voci, quae nunquam tacet, si tamen ad silentium redigantur mundi passionumque clamores. Hoc monet Psalmista: « Hodie « si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra ».[1] Ne fiat « vox clamantis in deserto ».[2] Hinc est Benedictus mirabilem prologum in Regulam suam exorditur verbis: « Ausculta, o fili, et inclina aurem cordis tui »! Et paucis interiectis sententiis hortatur ut « attonitis auribus » audiamus quid clamat Scriptura, dum oculos apertos tenemus « in « deificum lumen ». Haec prompta docilitas facit Sanctos, ut in adolescentulo Samuel apparet, dum tragica mors Saulis ostendit, quo ducat despecta vox quae resonabat ad salutem. Nisi voci Christi Saulus, veluti fulmine correptus, respondisset: « Domine, quid me vis facere », persecutor in vas electionis non fuisset mutatus;[3] nisi Augustinus paruisset voci imperanti: « Tolle, lege »! tanto lumine Ecclesia fuisset orbata. Quare proclamari iure potest: neminem adultum esse damnatum, quin loquenti sibi gratiae voci restiterit; neminem coronari beatum, nisi eidem corde docili paruerit.

Pulcherrime hanc vocem Domini hominem multifarie alloquentem describit Augustinus: « Vocat (Deus) undique « ad correptionem; vocat undique ad poenitentiam; vocat « beneficiis creaturae; vocat impartiendo tempus vivendi; « vocat per lectorem, vocat per tractatorem; vocat per « internam cogitationem; vocat per flagellum correptionis; « vocat per misericordiam consolationis ».[4]

Unctuose inde exclamat auctor *Imitationis Christi:* « Au- « diam quid loquatur in me Dominus Deus. Beata anima, « quae Dominum in se loquentem audit; et de ore eius con- « solationis verbum accipit! Beatae aures quae venas divini

[1] Ps. XCIV, 8.

[2] MATTH. III, 3. Triplici sensu haec locutio accipi potest. Si intelligo desertum mundi, spinis et tribulis horridi, insinuo gratiam esse medicinalem, quae ariditatem naturae lapsae in hortum fertilem immutat; si intelligo desertum passionum, insinuo vitiorum obicem esse removendum, ut gratiae spatium detur; si intelligo desertum facultatum, insinuo in vanum vocem gratiae insonare, nisi docili mente auscultetur.

[3] ACT. IX.

[4] In Ps. CII, n. 16.

« susurri suscipiunt, et de mundi susurrationibus nihil adver-
« tunt! Beatae plane aures, quae non vocem foris sonantem,
« sed intus auscultant veritatem docentem! Beati oculi, qui
« exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti! ». [1]

Concludere licet hoc aurea sententia Cassiani: « Hic
« nobis principalis debet esse conatus, haec immobilis desti-
« natio cordis iugiter affectanda, ut divinis rebus ac Deo
« mens semper inhaereat ». [2]

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO POSSIT VELLE ET FACERE BONUM ABSQUE GRATIA. [3]

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quemadmodum in initio praecedentis articuli titulum variis distinctionibus pressius determinavimus, ita quoque hic sedulo, ob controversias ab Aquinatis tempore exortas, faciendum est.

a) Et primo quidem animadvertatur discrimen inter utrumque quaesitum. Ibi agebatur de unico apprehensionis intellectualis actu, ad quem sufficit divina motio operans in nobis sine nobis. Hic agitur tum de motione voluntatis, quam gratia producit sine nobis, tum de operis executione quam operatur nobiscum. – *b*) Praeterea homo, in hoc articulo, haud secus ac in articulo praecedenti, considerari potest vel in statu integro, vel in statu lapso. – *c*) Demum gratia potest intelligi vel habitualis, vel actualis.

2) His positis distinctionibus, iam patent varii responsionum respectus. *a*) Contra Pelagianos demonstratur, ad bonum ordinis supernaturalis, praeter motionem ad omnem creaturae actum requisitam, [4] speciali opus esse auxilio, ad ipsam facultatem seu formam elevante. *b*) – Contra protestantes eorumque sectatores stabilitur, hominem sine gratia sive actuali, sive habituali, posse, etiam in statu lapso, quaedam opera bona agere. – *c*) Conceditur tamen, contra rationa-

[1] L. III, c. 1.
[2] *Collat.* I, n. 8.
[3] Fuse de hoc argumento tractat Card. Satolli (in hunc locum).
[4] Hanc quidem admittebat Pelagius, sed est extra quaestionem.

listas, ipsam hanc possibilitatem per originale peccatum esse imminutam. Argumenta auctoritatis ad corroborandas has tres conclusiones in *Sed contra est* de more producemus.

3) Ex dictis apparet, aliam intelligi gratiae necessitatem, in conclusione prima, aliam in tertia: in prima intelligitur physica; in tertia autem, - quod et secunda conclusio reddit manifestum, - intelligitur moralis. De qua Suarez: «Neces-« sitas gratiae non provenit ex physica et absoluta liberi « arbitrii impotentia, sed ex morali, quae est debilitas intel-« lectus et voluntatis ad constanter operandum, immediate « orta ex voluntatis infirmitate, intellectus ignorantia, quia « appetitus vehementer propendit ad sensibilia, quae sensibus « propinqua et proportionata fortius illum movent, et quia « intellectus tarde, remisse et vix assequitur rationes supe-« riores. Ex his simul sumptis oritur moralis impotentia ». Et optimo illud illustrat exemplo: « In manu est potentia « physica circumscribi circulum, sed numquam[1] circumscri-« bet sine circino ».[2]

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Prima obiectio procedens contra influxum primi moventis, attendit ad primum initium motus, quo deliberatio inducitur. Hic autem plura sedulo consideranda sunt: *a*) Primus voluntatis impulsus, quemadmodum pro cognitione vidimus, potest esse obiectivus vel subiectivus, secundum quod provocatur per apprehensionem obiecti, vel per internam motionem Dei. *b*) Haec rursus motio interna potest esse mediata vel immediata, secundum quod provenit mere ab immediata motione facultatis cognoscitivae, vice sua appetitum provocantis, vel immediate ab ipso Deo in voluntate producitur, praeter immediatam cognitionis motionem. *c*) Quotiescumque agitur de actu supernaturalis ordinis producendo, non sufficit mediata subiectiva motio voluntatis, sed immediata requiritur, quum utraque facultas indigeat ut, ope elevationis supra se, termino seu obiecto proportionetur. *d*) In ipsis actibus naturalibus nequit obiectum ita provocare facultatem appetitivam, quin indigeat primo mo-

[1] Nisi mirabilem possideat oculi praecisionem et manus firmitatem, qualem italicus pictor Giotto habuisse traditur, uti sonat adhuc proverbium inde derivatum.

[2] *Disp. theol.*, t. I, tract. II, lib. II.

tore eamdem ad illud ferente. Vide dicenda in fine circa solutionem difficultatis.

2ª Obi. Secunda obiectio procedit contra influxum primi actus. Hic autem influxus in duobus consistit: in creatione naturae seu formarum, in earumdem conservatione. Quum igitur peccatum recedat ab utroque, et quivis actus bonus utroque indigeat, quid mirum, hominem posse quidem per se solum peccare, non autem posse per se solum agere bonum?

3ª Obi. Haec obiectio urget doctrinam praecedentis articuli contra conclusionem secundam. Unde S. Thomas inde sumit occasionem, non quidem eamdem conclusionem corrigendi, sed doctrinam articuli praecedentis complendi.

Sed contra est. Ne responsio heic data cum articulo 1º et cum *Corpore* pugnet, intellige Augustini dictum de actione supernaturali. Lege infra verba S. Doctoris.

Triplicem conclusionem supra expositam iuvat eodem ordine hic auctoritatibus confirmare.

1) *Necessitas ad opus salutiferum immediatae internae motionis, gratiae scilicet voluntatem elevantis et stimulantis*, demonstratur *a*) ex *Scripturis.*[1] Praeter sententias superius citatas agentes tum de illuminatione intellectus, tum de motione cordis, en quaedam aliae hanc alteram specialius affirmantes. S. Paulus ait: « Gratia estis salvati per fidem, et « hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, « ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in « Christo Iesu, in operibus bonis, quae praeparavit Deus, « ut in illis ambulemus ».[2] Et alibi: « Qui coepit in vobis « opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu ».[3] « Cum « metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est « enim, qui operatur in vobis et velle et perficere ».[4] David orat: « Inclina cor meum in testimonia tua... ».[5] « Cor mun- « dum crea in me Deus... ».[6] « Et dixi: nunc coepi: haec

[1] De necessitate gratiae ad actus salutares bene ex Scripturis disserit cl. Van der Meersch (op. cit., p. 40 sqq.).

[2] Eph., ii.

[3] Phil., i, 6.

[4] Ibid., ii, 12, 13.

[5] Ps. cxviii, 3. P.

[6] Ps. l., 12.

« mutatio dexterae Excelsi ».[1] Et Salomon: « Sit Dominus « Deus noster nobiscum,... inclinet corda nostra ad se ».[2] Unde ipse Deus preces exaudiens ait: « Auferam cor lapi- « deum de carne eorum, et dabo eis cor carneum ».[3] Inde in opere salutis nihil est quod non sit gratiae, iuxta Apostoli verba: « Quis enim prior dedit illi » (v. gr. initialem bonam voluntatem), « et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, « et per ipsum, et in ipso sunt omnia ».[4] « Quis te discer- « nit? Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, « quid gloriaris, quasi non acceperis? ».[5]

b) Ex *lege orandi.*[6] Centeni afferri possent Liturgiae textus quibus haec veritas illustratur. Praeter exempla in praecedenti articulo allata, et infra adducenda, sequentes formulae sufficiant: « Accende lumen sensibus, infunde amo- « rem cordibus ».[7] « Quae te auctore facienda cognovimus, « te operante impleamus ».[8] « Excita quaesumus, Domine, « tuorum fidelium voluntates ».[9] « Omnipotens sempiterne « Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo ».[10] « Vota, « quaesumus Domine, supplicantis populi caelesti pietate pro- « sequere, ut et quae agenda sunt, videant: et ad implenda « quae viderint, convalescant ».[11] « Quibus supplicandi praestas « affectum, tribue defensionis auxilium ».[12] « Da populis tuis « id amare quod praecipis, id desiderare quod promittis ».[13]

[1] Ps. LXXVI, 11.

[2] III Reg., VIII, 57 sq.

[3] Ezech., XI, 19.

[4] Rom., XI, 35 sq.

[5] I Cor., IV, 7.

[6] De formulis orandi in Liturgia, praesertim in Missali Romani contentis pulchre scribit doctus et pius Abbas Ildephonsus Schuster: « Tutta la teologia è con- « densata nelle venerande ed arcaiche formole romane del Divin Sacrificio, e la fede « inoltre mi ricorda, che il Divin Salvatore ha costituito la Chiesa erede della mistica « scienza della preghiera e dell'arte d'aprire e serrare, mediante gl'ineffabili gemiti « del Paraclito, il cuore di Dio. *Omnipotentia supplex* ». *

[7] *Veni, Creator.*

[8] Fer. III hebd. II Quadr.

[9] Dom. XXIV post Pentec.; cf. Dom. IV Advent.

[10] Dom. infr. Oct. Nativ.

[11] Dom. intr. Oct. Epiph.; cf. fer. III hebd. I Quadr. et Dom. VI post Epiph.; fer. IV hebd. II Quadr.

[12] Fer. II hebd. IV Quadr.

[13] Dom. IV post Pasch., etc.

* *Liber Sacramentorum,* vol. I, *Nozioni generali di Liturgia. Prefazione.*

Huc tendunt omnes formulae quibus a gratia initiali vota stimulante eorum efficacia repetitur tota: « Pateant aures « misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium; et « ut petentibus desiderata concedas, fac eos quae tibi sunt « placita postulare ».[1] « Largire nobis, quaesumus Domine, « semper spiritum cogitandi quae recta sunt, propitius et « agendi: ut, qui sine te esse non possumus, secundum te « vivere valeamus ».[2]

c) Ex *auctoritate Ecclesiae* demonstratur eadem veritas, per documenta articulo praecedenti citata. Insuper confer dicenda, ubi agetur de praeparatione ad gratiam.

d) Ex *traditione* Patrum et Doctorum, praeter citata superius testimonia, quaedam adhuc sint. Audi rursus *Augustinum:* « Intelligenda est gratia Dei per Iesum Christum « Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, « et sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo « et amando, sive agendo faciunt bonum: non solum ut mon- « strante ipsa quid faciendum sit, sciant; verum etiam ut « praestante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt. Hanc « quippe inspirationem bonae voluntatis atque operis posce- « bat Apostolus eis quibus dicebat: " Oramus autem ad « Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati apparea- « mus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis „.[3] Quis hoc « audiat, et non evigilet, atque fateatur, a Domino Deo nobis « esse, ut declinemus a malo et faciamus bonum? Quando- « que non ait Apostolus: monemus, docemus, hortamur, incre- « pamus: sed ait: " Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali, « sed quod bonum est, faciatis „. Et tamen etiam loquebatur « eis, et faciebat illa omnia quae commemoravi: monebat, do- « cebat, hortabatur, increpabat; sed sciebat, haec omnia non « valere, quae plantando et rigando faciebat in aperto, nisi « eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in « occulto. Quoniam sicut idem doctor Gentium dicit:[4] " Neque « qui plantat, etc. „ ».[5] - *Fulgentius* ait: «Ibi (in s. Litteris) pro-

[1] Fer. IV hebd. IV Quadr.; Dom. IX post Pentec.; cf. Dom. XIII; fer. II hebd. IV Quadr.; fer. IV hebd. Pasch.

[2] Dom. VIII post Pentec; cf. Dom. XV post Pentec.

[3] II Cor. XIII, 7.

[4] I Cor., III, 7.

[5] *De Corr. et Grat.*, 2.

« fecto invenio et praevenientem gratiam, qua potest elisus « surgere; et concomitantem, qua in via recti possit itineris « currere; et subsequentem, qua valeat ad regni caelestis bea- « titudinem pervenire.[1] » Quem locum infra penitius investigabimus, ubi de divisione gratiarum sermo erit. Et: « In « ipsis aliqua quidem bona, quae ad societatis humanae per- « tinent aequitatem, inveniri possunt; sed quia sine chari- « tate Dei fiunt, prodesse non possunt ».[2] – Eamdem prorsus doctrinam profert *S. Prosper:* « Naturae quippe humanae, « cuius Creator Deus etiam post praevaricationem manet, « substantia, vita, sensus et ratio, caeteraque corporis atque « animi bona, quae etiam malis vitiosisque non desunt, sed « non illis veri boni perceptio est, quae mortalem vitam hone- « stare possunt, aeternam autem conferre non possunt ».[3] Et *S. Bernardus* pariter: « Ipsa gratia liberum excitat arbi- « trium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affe- « ctum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat « defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut « tantum in primo illud praeveniat, in caeteris comitetur: « ad hoc utique praeveniens, ut iam sibi deinceps coopere- « tur ».[4] – Egregie eamdem doctrinam *S. Anselmus* variis in locis evolvit. Lege totam ipsius meditationem in Psalmum L, ad verba: « Cor mundum crea in me, Deus », ubi ita incipit: « O Deus cordis mei, qui intellectum das parvulis, da mihi « intelligere hoc: intus legem peto, ut cor mundum crees in « me, Deus... etc ». Item in mirabili libro de concordia praescientiae et praedestinationis, nec non gratiae Dei cum libero arbitrio, in tertia quaestione de gratiae concordia, scribit: « Nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi voluntatis, « nisi per gratiam. Nemo certe servat rectitudinem hanc acce- « ptam, nisi volendo; velle autem illam aliquis nequit, nisi ha- « bendo; habere vero illam nullatenus valet, nisi per gratiam. « Sicut ergo illam nullus accipit, nisi gratia praeveniente, « ita nullus eam servat, nisi eadem gratia subsequente ».[5]

[1] *Ep. 6 ad Theodor.*, c. 8.
[2] *De Incarn.*, c. 26.
[3] *Ctr. Collat.*, c. 26.
[4] *De Libero arb.*, n. 47.
[5] C. IV. Lege hanc integram tractationem.

Sed quid plura? ex tota controversia catholicorum doctorum cum Pelagio immediatam, internam motionem voluntatis negante, traditio de hoc doctrinae puncto apertissime constat.[1]

2) Iam ad secundam conclusionem illustrandam auctoritatibusque vindicandam accedamus: *Posse scilicet hominem, etiam in statu lapso aliquod bonum facere sine gratia.* Haec conclusio est contra exaggerantes necessitatem gratiae Wiclefum, Hussium, Lutherum, Calvinum, Baium, Iansenium, Quesnellum. Probatur *a*) ex *Scriptura.* Paulus dicit: « Gentes, « quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt « faciunt ».[2] Ex quo loco apparet, non tolli per originalem lapsum ipsam possibilitatem agendi aliquod bonum. Quod ex ipsa historia constare videtur, ubi non raro gentiles apparent bonum aliquod agentes. Sed huic argumento ne nimis instes, cave. Ut enim pro singulis casibus rigorose valeret, demonstrandum esset, hos bonos actus sine gratia fuisse completos.[3]

b) Consonat omnino doctrina *Patrum:* « Omnes homines « eiusdem sunt naturae potentes retinere et operari bonum, « et potentes rursus amittere id et non facere ». Ita *Irenaeus.*[4] Nec aliter *Tertullianus:* « Ante legem Moysis scri« ptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non scri« ptam, quae naturaliter intelligebatur, et a Patribus custo« diebatur. Nam unde Noë iustus inventus, nisi naturalis « illum legis iustitia praecedebat? ».[5] Distincte idem proclamat *S. Basilius:* « Sunt apud nos ipsae virtutes secundum natu« ram; ad quas habendas affinitas animae, non ex humana « doctrina, sed ex ipsa natura nobis inesse videtur ».[6] Hinc et *Gregorius Nazianzenus* virtutes commendat naturales, quibus emicabat emortuus pater, etsi non Christianus.[7] Nec

[1] Cf. S. Bonaventuram, II, Dist. XXVIII, art. 5; Petavium *de Pelag. et Semip. haeresi,* c. 4, n. 4; c. 10, n. 12 et Bossuetium, *Défense de la Tradition,* l. 10, c. 6.

[2] Rom., II, 14.

[3] Quare minus nobis placet modus quo Katschthaler (op. cit., p. 103) hoc argumentum evolvit. Quis enim dixerit publicanum Evangelii non ex gratia humiliter veniam rogasse?

[4] *Adv. Haeres.*, l. 1, c. 72.

[5] *Ctr. Iud.* Sane argumentum non est ex toto convincens. Iustus enim potuit esse Noë ex gratia ipsi a Deo collata.

[6] *In Hexaemer. hom. 9.*

[7] *Orat. 19.*

aliter *Hieronymus:* « Perspicuum sit, natura omnibus Dei « inesse notitiam, et habere in se semina iustitiae, reliqua- « rumque virtutum; unde multi absque fide et evangelio Chri- « sti faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur ».[1] Et ad verba Ezechielis (XXIX, 18-19) idem S. Doctor ait: « Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni ope- « ris, intellige etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non abs- « que mercede Dei iudicio praeteriri ». Quin et S. Ioannes Chrysostomus[2] et S. Ioannes Damascenus[3] affirmant, secundum naturam virtutes esse, vitia autem contra naturam.[4]

c) Demonstratur quoque haec secunda conclusio ex *auctoritate Ecclesiae.* α) Concilium *Constantiense* sess. 15 damnavit doctrinam oppositam Wiclefi et Hussii. « Si homo est « vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est vir- « tuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia, sicut « vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit « universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes « actus hominis virtuosi ». « Ex principio fidei est per se « notum, quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, pec- « cat mortaliter ».[5] - β) Conc. *Tridentinum* liberum arbitrium in statu lapso tum directe tum indirecte vindicat: « Si quis « liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum « et extinctum esse dixerit, aut rem esse sine titulo, imo « titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in « Ecclesiam: a. s. ». Quo ex canone indirecte sequitur, liberum arbitrium in statu lapso ad aliquid bonum valere. Idem principium ratione firmat Anselmus, quando in tractatu *De libero arbitrio* profunde scribit: « Si bene discernas: « quando (homo) non habet praefatam rectitudinem, sine « repugnantia et servus est et liber. Numquam enim est « eius potestatis rectitudinem capere, cum non habet; sed « semper est eius potestatis servare, cum habet. Per hoc quia « redire non potest a peccato, servus est: et per hoc, quia « abstrahi non potest a rectitudine, liber est. Sed a peccato

[1] *In Gal.*, I.
[2] *In I Cor., homil.* 22.
[3] *De Fide*, l. III, c. 14.
[4] Plura cf. apud Frassen (op. cit., art. II, q. 3).
[5] Art. 16.

« et eius servitute, nonnisi per alium potest reverti; a recti-
« tudine vero, nonnisi per se potest averti, et a libertate
« sua nec per se, nec per alium potest privari. Semper enim
« naturaliter liber est ad servandam rectitudinem, si eam
« habet; et iam quando, quam servet, non habet ».[1]

Indirecte id pariter evincitur ex aliis verbis eiusdem Concilii: « Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per
« humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque
« divina per Iesum Christum gratia, posse iustificari coram
« Deo, a. s. ».[2] Ergo dantur talia opera, quae tamen non iustificant.[3]

Sed et directe hanc radicalem ad bonum libertatem idem Trid. Concil. ita vindicat in can. 7: « Si quis dixerit,
« opera omnia quae ante iustificationem fiunt, quacumque
« ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei me-
« reri... a. s. ».

γ) Huc faciunt *damnatae propositiones Baii:* « Liberum
« arbitrium sine adiutorio Dei nonnisi ad peccandum valet ». –
« Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, h. e. quod
« ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit ».[4] - « Omnis
« amor creaturae rationalis aut est vitiosa cupiditas, qua mun-
« dus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa
« charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus
« amatur ». - « In omnibus suis actibus peccator servit domi-
« nanti cupiditati ».[5]

δ) Pariter damnatae propositiones Quesnelli: « Peccator
« non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris ». –
« Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis
« nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se praecipitandum;
« virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali et
« incapax ad omne bonum ». – « Sine gratia nihil amare pos-
« sumus nisi ad nostram condemnationem ». - « Amore Dei

[1] *De lib. arbitrio*, c. 1. Cf. de eodem opere inferius dicenda.

[2] Sess. VI, c. 1.

[3] Ergo pariter videtur insinuari, contra doctrinam Ripalda, non omnes actus bonos fieri iuvante gratia supernaturali (cf. LAMBRECHT, p. 121 sq.).

[4] Agnosce constantem haereticorum perfidiam. Ut catholicam doctrinam ex ipso Ecclesiae iudicio impugnare valeant, damnatas haereses catholica veste induere satagunt.

[5] Pp. 27, 37, 38, 40.

« in corde non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis « regnet cupiditas omnesque actiones eius corrumpat » etc. [1]

ε) Accedit damnatio per Bullam *Auctorem fidei* errorum synodi *Pistoriensis:* « Doctrina synodi de duplici amore « (iuxta systema Iansenii) enuntians, hominem sine gratia « esse sub servitute peccati, ipsamque in eo statu per gene- « ralem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones « inficere et corrumpere: quatenus insinuat, in homine, dum « est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia « illa, qua liberatur a statu peccati et constituitur filius Dei, « sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum « omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; « aut opera omnia, quae ante iustificationem fiant, quacum- « que ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis acti- « bus peccator serviat dominanti cupiditati, (declaratur) falsa, « perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut « haereticum, item in Baio damnatum art. 40 ».

Ex his sequitur, iuxta declarationem concilii Coloniensis, anni 1860, quod: « potest homo lapsus etiam solius natu- « rae viribus quaedam opera moraliter bona, seu honesta « facere ». [2]

Obiectiones nihilominus non spernendae ab adversariis contra hanc doctrinam ex Scripturis, ex Conciliis, ex Patribus producuntur, quibus ex ordine breviter respondendum superest.

1) Ex *Scripturis:* Verba *Geneseos:* « Videns autem Deus, « quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta « cogitatio cordis intenta esset in malum omni tempore » [3] non affirmant impossibilitatem radicalem, sed *factum* ponunt corruptionis *moraliter* universalis. [4] Pariter verba Iesu: « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Si ergo vos

[1] Pp. 38, 39, 40, 45. - *Enchir.* n. 1253, 1254, 1255, 1260.

[2] Part. I, c. 17.

[3] Cap. VI, 5.

[4] Minus adaequate nobis videtur cl. Hurter,* ad vim huius loci infringendam afferre exceptionem Noë, et admonitionis gratias reliquis per illum directas. Nun. Noë sine gratia forte « invenit gratiam coram Deo? » Si illi peccatores non fuerant destituti gratia, nonne inde augetur difficultas potius quam minuatur?

* *Theol. spec. Disput. de grat.*, n. 64.

« Filius liberavit, vere liberi eritis »[1] demonstrant, peccatorem esse servum peccati, a solo Christo liberandum, non autem probant, peccatorem, usquedum a Christo liberetur, non posse facere nisi actus peccati. – Axioma autem Domini « Non potest arbor mala bonos fructus facere »[2] aliter et aliter a theologis explicatur. Si arbor mala significat vel malam doctrinam, vel hominem malum reduplicative uti malus, sensus clarus est.[3] Si arbor mala significat simpliciter peccatorem materialiter, adhuc vario modo potest salvari axioma, dicendo vel Christum non loqui nisi de possibilitate morali, vel fructus ab eo intelligi vere bonos, id est ad vitam aeternam conducentes. Caeterum ipse Christus bonas aliquas actiones ethnicis tribuit, uti sunt: diligentes se diligere, fratres salutare.[4]

Pariter doctrina Pauli in cap. VII epistolae *ad Romanos* nihil amplius probat quam peccatorem, seu hominem, sine gratia vitare non posse legem concupiscentiae; quin tamen inde legitime inferatur, omnes huius hominis actus hac lege maculari.

2) Ex documentis priorum *Conciliorum* obiicitur canon 22 Concilii Arausicani II, qui ita sonat: « Nemo habet de suo « nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo « veritatis aut iustitiae, ab illo fonte est quem debemus sitire « in hac eremo ... ». Sed, praeter inferius dicenda circa Augustini mentem, haec declaratio sumi potest vel *a*) in sensu quod creatura, utpote ex nihilo tracta, ad solum malum per se absolute capax est;[5] vel *b*) in sensu quod sola vera iustitia et veritas est illa quae cum fine supernaturali concordat, ac proin est gratiae partus; vel *c*) in sensu quod de facto ad quemvis actum bonum adest gratia, unde sequitur, actum

[1] Ioann., viii, 34.

[2] Matth., vii, 18.

[3] Ad rem Augustinus: « Non in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in « quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est et bonos fructus facere non « potest ». * Hic textus a contextu avulsus videtur reduplicativam interpretationem vindicare: aliter tamen res apparet ex integro hoc celeberrimum caput tertium attente perlegenti.

[4] Matth., v, 46.

[5] Cf. resp. ad 2 praes. art.

* *Ctr. Iul.*, l. iv, n. 30. – Cf. S. Th., *De pot.*, q. 3, a 6 ad 15.

aut fieri ex gratia, aut esse malum.[1] Sensus *d*) magis nobis arridet, utpote frequentius apud S. Augustinum, et magis consonus canoni 17: « Fortitudinem gentium mundana cupi-« ditas, fortitudinem autem christianorum Dei charitas facit, « quae diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis « arbitrium quod est a nobis, sed per Spiritum Sanctum « qui datus est nobis, nullis meritis gratiam praevenien-« tibus ».

3) Ex *Patribus* demum maxime nobis obiicitur modus loquendi S. Augustini, et aliquorum ex eiusdem discipulis, qui videntur id omnino docere quod Baius et Iansenius docuerunt in damnatis propositionibus: « Omnia infidelium « opera peccata sunt et philosophorum virtutes vitia »;[2] « Necesse est, infidelem in omni opere peccare ».[3] – En aliquas ex Augustino desumptas formulas: « Sine qua (gratia) « nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium « valere ».[4] « Neque liberum arbitrium quidquid, nisi ad pec-« candum valet, si lateat veritatis via ».[5] « Liberum arbi-« trium captivatum nonnisi ad peccatum valet; ad iustitiam « vero nisi divinitus liberatum adiutumque non valet ».[6] « Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adiu-« vetur: desertum vero divino adiutorio, qualibet scientia « legis polleat, nullo modo habebit iustitiae soliditatem, sed « inflationem impiae superbiae et exitiosum tumorem ».[7] Nonne tibi videris ipsissimas Iansenii vel Baii legere propositiones? Et alibi:[8] « Colligitur etiam ipsa bona opera, « quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui « bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus et « bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli; hoc est, « stulta et noxia faciunt voluntate: qualis voluntas, nullo « christiano dubitante, arbor est mala, quae facere non po-

[1] Ita Ripalda disp. 10.

[2] Prop. 25. *Enchir.* n. 905.

[3] Prop. 8 ab Alexandro VIII damnata. - Ibid. n. 1165. - Cf. prop. 42 Quesnelli. - Ibid. n. 1257.

[4] *Epist. 168,* n. 47.

[5] *De Spiritu et Litt.,* c. 3, n. 5.

[6] *Ctr. duas ep. Pelag.,* l. III, c. 8, n. 24.

[7] *Ep. 157,* n. 5.

[8] *Ctr. Iul.,* l. IV, c. 3.

« test nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, « velis nolis, " quod non est ex fide, peccatum est „ ».[1]

Et post Augustinum audi Prosperum: « Omnis infidelium « vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono: « ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veri- « tatis, falsa virtus est in optimis moribus ».[2] « Manifestis- « sime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, « sed omnia opera eorum immunda esse et polluta ».[3] Et auctorem de *Vocat. omn. gent.*, l. I, c. 7: « Sine cultu veri « Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est; nec « placere ullus Deo sine Deo potest ».[4]

Quorum textuum tanta est vis, ut propter illos Gregorius Ariminensis concedat, infidelium, hoc est vera Dei cognitione (quae sine gratia haberi nequit) carentium, omnia opera esse peccata; et schola quaedam Augustiniensium, ducibus Norisio, Berti, etc., defendat, opera infidelium seu gratia carentium posse quidem esse ex fine proximo bona, non autem ex fine remoto, quum amore Dei super omnia careant. – Sanctus autem Bonaventura loquens de opinione Augustini quoad perfectam iustitiam, tanti Doctoris mentem moderatus; ait: « Hoc credendum est sensisse Augusti- « num, licet verba ipsius exterius, propter detestationem « erroris Pelagianorum, aliud sentire videantur. Ut eos redu- « ceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, « plus dicens et minus volens intelligi ».[5] Sed ad rem.

Praeter distinctiones iam superius expositas, intelligentiam Augustini sequentibus considerationibus non parum iuvari censemus.

Certum est, actus non ex opere materiali, sed ex fine formali suam derivare moralem bonitatem. Unde iam patet, multa facta miranda externe intus esse damnanda, de quibus valet illud Domini: « Sepulcra dealbata ». Porro opera vir-

[1] Rom., XIV, 23. Cf. locum similimum: « Quantumlibet opera infidelium praedi- « centur, eiusdem Apostoli sententiam veram novimus et invictam: " Omne quod « non est ex fide, peccatum est ».*

[2] Sent. 106.

[3] *Contr. Collat.*, c. 13, n. 39.

[4] Cf. Hurter, l. c., p. 54 et 47.

[5] *Brevil.*, p. III, c. 5.

* *De gestis Pelag.*, n. 35.

tuosa ethnicorum maxima ex parte talia fuisse, dubium nulli erit consideranti quantum apud illos potuerint tum vanae gloriae studium, tum immoderata cupiditas. Adde, sine gratia (quod mox videbimus) impossibile esse diu a mortalibus abstinere, et animam in statu mortalis peccati positam iam quasi pondere suo ad vitium inclinari. Ex quibus profecto constat, actus virtutum undequaque laudabiles in hominibus malis tam raros esse, ut quasi negari possint. Hanc explicationem ipse Augustinus nobis suggerit, ubi, concesso dari quaedam infidelium facta « quae secundum « iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, « verum etiam merito recteque laudamus », subiicit « quam- « quam, si discutiantur quo fine fiant, *vix* inveniantur, quae « iustitiae debitam laudem defensionemque mereantur ».[1]

Sed esto rarissimos esse huiusmodi actus. Quid tamen si dentur? Suntne undequaque boni? Negat Augustinus. Imo contendit, eosdem carere perfectione eis tantopere debita, ut propter illam carentiam, non solum Deo placere nequeant, sed ipsi debeant displicere, iramque eius provocare. Haec est ipsissima doctrina quam in celebri cap. 3, libri IV *contra Iulianum* fuse et eloquenter evolvit, ex quo sequentia proferre, etsi longiora, non piget: « Chri- « stus gratis mortuus est si homines sine fide Christi, ad « fidem *veram*, ad virtutem *veram*, ad iustitiam *veram*, ad « sapientiam *veram*, quacumque re alia, quacumque ratione « perveniunt. Prorsus sicut de lege verissime ait Apostolus: « "Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est ",:[2] « ita verissime dicitur: Si per naturam voluntatemque iu- « stitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si per doctrinas « hominum qualiscumque iustitia, ergo Christus gratis mor- « tuus est. Per quod enim est vera iustitia, per hoc etiam « regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus,

[1] *De spir. et litt.*, c. 27. Non absimili modo, licet mitius, Chrysostomus loquitur. Dictum a se: « Quod gentes bene vivant, nondum mihi constat », quum quibusdum parum fuisset probatum, ita explicat: « Verum ne cuiquam contentiosi videa- « mur, concedamus, apud gentiles esse qui recte vivant, neque hoc orationi nostrae « adversatur. Sermo enim erat de eo, quod ut plurimum, non de eo quod raro con- « tingit ».*

[2] Gal., II, 21.

* *In Ioann. hom. 28* (al. 27).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« si ad eius regnum verus non admittitur iustus; cum et « ipsum eius regnum iustitia sit, quemadmodum scriptum « est: " Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, et « pax, et gaudium ".[1] Porro si veram iustitiam non habent « impii; profecto nec alias virtutes comites eius et socias, « si quas habent, veras habent, quia cum non ad suum « referuntur auctorem dona Dei, hoc ipsi mali, his utentes « efficiuntur iniusti: ac per hoc nec continentia sive pudi- « citia vera virtus est impiorum ». Et paulo infra: « Veras « virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, « id est, hoc naturae nostrae consentaneum est ad salutem « et veram felicitatem » (n. 18). Et paucis interiectis: « Si ad « consequendam veram beatitudinem, quam nobis immorta- « lem fides, quae in Christo est, vera promittit, nihil prosunt « homini virtutes, nullo modo verae possunt esse virtutes » (n. 19). Dilemmate mentem suam mox clarius aperit: « Isti « qui naturali lege sunt iusti, *aut placent Deo et ex fide pla-* « *cent;* quia sine fide impossibile est placere: et ex qua fide « placent, nisi *ex fide Christi?* quoniam sicut legitur in Acti- « bus Apostolorum: " In illo Deus definivit fidem omnibus, « suscitans eum a mortuis ";[2] ideoque dicuntur sine lege « naturaliter quae legis sunt facere, quia ex Gentibus vene- « runt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data « est; et propterea naturaliter, quia ut crederent, ipsa in eis « est per Dei gratiam correcta natura; nec per eos potes pro- « bare quod vis, etiam infideles veras posse habere virtutes: « sunt quippe isti fideles. Aut *si fidem non habent Christi,* « *profecti nec iusti sunt,* nec Deo placent, cui sine fide pla- « cere impossibile est. Sed ad hoc eos in die iudicii cogita- « tiones suae defendent, ut tolerabilius puniantur, quia natu- « raliter quae leges sunt utcumque fecerunt, scriptum haben- « tes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent, « quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines « sine fide, non ad eum finem opera retulerunt, ad quem « referre debuerunt » (n. 25).

Sistamus iam, et concordiam inter Augustini mentem et catholicam doctrinam manifestam reddamus.

[1] Rom., xiv, 17.
[2] *Act. XVII,* 31.

Primo quidem respondere possumus, aliam esse quaestionem de actibus ethnice bonis, aliam de virtutibus. Virtus quippe supra actum ponit habitum; qui longe difficilius in ethnico admittendus est, quum non possit sine gratia nisi per breve spatium mortalia vitare.

Sed esto in tali dari virtutes. Quaerit iam Augustinus utrum *verae* virtutes sine gratia esse possint. Iam vero triplicem gradum in virtute distinguit. *a*) In primo gradu virtus non est nisi apparens, quum interno pravo fine corrumpatur. Hanc nullo modo veram esse, nimis aperte constat. *b*) In secundo gradu externae virtuti respondet quidem sincera mens; sed ex ignorantia illius finis quo vult Deus omnes actus hominis informari, non placet Deo; quare, iuxta Augustinum nequit vocari virtus vera, quum verae virtutis sit Deo placere atque hominem perducere in finem. *c*) In tertio gradu externa virtus animatur Christi implicita vel explicita fide, imo fide per caritatem operante, et haec sola est virtus vera.

Hucusque vix ulla adest difficultas. Quid iam de virtute secundi gradus? Estne solummodo deficiens a vera virtute, per negationem perfectionis superioris; an insuper tantopere differens, per privationem debitae perfectionis, ut iam potius vocari possit peccatum? Affirmat hoc alterum Augustinus, cuius doctrina duobus Scripturae textibus continetur: « Sine « fide impossibile est placere Deo »;[1] « Omne quod non est « ex fide, peccatum est ».[2] Vi primi textus demonstrat, virtutes secundi gradus non esse virtutes veras; altero probat, virtutes secundi gradus tantopere a veris virtutibus deficere, ut potius sint adnumerandae peccatis. Quae doctrina paucis illustranda et vindicanda remanet.

Et primo quidem intuitu non uni videbitur nimis rigorosa. Fluit tamen, in mente Augustini, ad modum corollarii ex doctrina de iustitia et de peccato originali. Argumentum ad hoc reducitur. Quemadmodum peccatum originale non consistit in mera negatione, sed in privatione iustitiae debitae, in culpabili disproportione cum fine supernaturali

[1] Hebr., xi, 6.
[2] Rom., xiv, 23.

quem Deus homini destinaverat, qui finis, ex eadem destinatione est unicus homine dignus; ita quoque in actibus mere naturalibus, licet ethnice bonis, bonitate utique mere naturali, absentia maioris excellentiae non est mera negatio, in qua nihil peccati esset; sed est vera privatio alicuius perfectionis inesse debitae; ac proin, propter connexionem cum originali peccato, a quo derivatur, non solum tales actus non merentur Dei complacentiam, sed insuper, tamquam iuges manifestationes naturae culpabiliter lapsae, displicentiam eius provocant. Hoc ipso sensu orat Ecclesia: « Protector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est vali- « dum, nihil sanctum ». [1] « Omnipotens et misericors Deus, » de cuius munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et lau- « dabiliter serviatur ». [2] « Dirigat corda nostra, quaesumus « Domine, tuae miserationis operatio, quia tibi sine te pla- « cere non possumus ». [3]

De his actibus ethnice naturaliter bonis, sed omni gratiae elevatione destitutis, id aliquomodo valet quod Augustinum de reatu concupiscentiae docere, in praecedenti volumine vidimus. [4]

Proin in istis actibus duplex respectus est considerandus: *a*) respectus immediatus ad facultatem a qua procedunt: et sub hoc respectu, si tamen sint secundi gradus et non primi, habent aliquam moralem bonitatem; *b*) respectus mediatus ad statum lapsae naturae, propter quem privantur debita elevatione et excellentia: et sub hoc respectu colligantur cum peccato originali, cuius culpabilem imperfectionem participant.

Discrepat proin valde doctrina Augustini a doctrina Iansenii [5] et aliorum, qui primum illum respectum reiiciunt.

[1] Dom. I post Pentec.

[2] Dom. XII post Pentec.

[3] Dom. XVIII post Pentec.

[4] *De hominis elevatione et lapsu*, pp. 629 sqq; 691 sq.

[5] Iansenius ita urget mentem S. Augustini: « Non agnoscit sanctissimus Doctor « (S. A.) in universis operibus suis nisi duos amores, Creatoris et creaturae, ex « quorum alterutro necesse est, ut quaecumque actio voluntatis oriatur; ille caritas « est, iste cupiditas; quarum illa de caelo est, Deo plantante, ista ex mundo, dia- « bolo seminante ».*

* *De grat. Chr.*, l. V, c. 6.

Proprium, imo, nostro iudicio, insigne meritum est Augustini, quod tantopere hunc alterum respectum urgeat. Quod requirebatur, non solum ut commentum Pelagianum de quodam medio statu efficacius exploderet; sed etiam ut profundiora mysterii originalis culpae consequenter scrutaretur.[1]

Ceterum non omni fundamento caret animadversio S. Bonaventurae iam superius, allata: « Ut eos (Pelagianos) redu« ceret ad medium, (Augustinus) abundantius declinavit ad « extremum, plus dicens et minus volens intelligi ».[2]

Et haec de genuina mente Augustini pro praeserti nostro fine satis.

Ex demonstratis in hac conclusione sequuntur tria corollaria: *a*) caritatem non requiri ad quemvis actum ethice bonum; *b*) imo nec ipsam fidem ad talem actum requiri; *c*) hominem a gratia delapsum non indigere gratia ad quemvis actum ethice bonum.

a) Priori corollario obiicitur, praeter locum Matth., VII, 18, supra explicatum, effatum Augustini: « Regnat carnalis cupi« ditas, ubi non est Dei caritas ».[3] Sed perperam. Aliud enim est, *habitualiter* regnare carnalem cupiditatem; aliud, eam eo usque regnare, ut quemvis actum ethice bonum impossibilem reddat. Libera tamen quaestio remanet, an ex oeconomia supernaturali, in qua genus humanum ab initio fuit conditum, tales actus boni dentur, quin gratia eisdem concurrat. Cui subtiliori quaestioni, numquam certo solvendae, non desunt qui cum Ripalda negative respondeat,[4] possibilitatem utique concedentes, factum autem excludentes.

[1] Explicatio nostra sat convenit cum interpretatione cl. Hurter.* Aliquantulum tamen ulterius progreditur; unde, nisi fallimur, facilius explicat quomodo Augustinus actus secundi gradus non modo steriles, sed et malo infectos declaret. Etenim ad probandam thesim cl. auctoris, non sufficit, Augustinum haec opera interdum vocare *sterilia, inania, praeter viam;* oporteret ut numquam ulterius progrederetur; atqui, inspectis S. Doctoris scriptis, hoc vix teneri potest. Cf. cap. 3, l. cit.

[2] *Brevil.*, p. III, c. 5. – Bene monet cl. Van Noort: « Ut mens Augustini depre« hendatur, non insistendum est paucis quibusdam textibus per se consideratis, sed « integra eius doctrina perlustranda est » (op. cit., p. 20). Cf. J. Ernst, *Werke und Tugenden der Ungläubigen nach Augustinus.*

[3] *Enchir.*, n. 117.

[4] In hanc sententiam se proclivem ostendit Kleutgen (*Theol. der Vorz.*, t. II, n. 158).

* Op. cit., p. 59 sq.

b) Alteri corollario, quod egregie ex Matth., V, 46, Rom., I, 20 et II, 14 demonstratur,[1] et ab ipso Augustino diserte affirmatur,[2] maxime obiicitur effatum Pauli: « Omne quod « non est ex fide, peccatum est ». Sed in hoc loco Paulus non agit de fide theoretica, sed de fide practica, sine qua nullum dari actum bonum, constat.[3] Dato autem et non concesso quod fides heic intenta sit ipsa fides theoretica, effatum adhuc explicaretur iuxta superius dicta de Augustiano dilemmate.[4]

c) Tertium corollarium, hominem scilicet a gratia delapsum non indigere gratia ad quemvis actum ethice bonum, sat clare demonstratur. Vel hic homo adhuc servat fidem, vel ipsam fidem amisit. Si fidem servat, lumen fidei indirecte voluntati bonae prodest, eique faciliorem reddit actum ethice bonum. Si nec fidem servat, signaculo saltem baptismatis ornatur, quod certe viribus naturae non nocet, imo aliquam specialem providentiam secum fert, quae negative iuvat bono usui facultatis. Unum quod hoc corollarium oppugnantibus posset concedi, est periculum maius ne interdum, in poenam ingratitudinis, homo a gratia dilapsus in maiores tentationes inferri sinatur, ac propter derelictae iustitiae cognitae malitiam intentio recta ei evadat difficilior. Sed neque inde possibilitas cuiusvis actus boni ex toto tollitur.

[1] Cf. Hurter, loc. cit., p. 45. Locus Ezech., xxix, 171: « Dedit ei (Nabuchodo- « nosor) terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi » demonstrat quidem rigorose, nullum bonum opus relinqui irremuneratum;* non autem directe probat, bona opera sine fide dari.

[2] « Sicut non impediunt a vita aeterna iustum quaedam venialia, sine quibus « haec vita non ducitur; sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona « opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur ».** Quod principium directius proclamat Hieronymus: « Natura omnibus inest Dei notitia, « nec quisquam sine Christo nascitur, et non habet semina in se sapientiae et iusti- « tiae, reliquarumque virtutum: unde multi absque fide et Evangelio Christi vel « sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum « porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant ».***

[3] Rom., xiv, 23. Lege de huius loci interpretatione dissertationem Scheeben, l. vi, § 297. Cf. locum analogum i Cor., viii, 7.

[4] Idem dicatur de locis Tit., i, 15 et Hebr., xi, 6.

* Cf. Hier. in hunc locum.

** *De spir. et litt.*, c. 27, n. 48. - *P. L.*, t. xliv, col. 229 sq.

*** *Ep. ad Gal.*, c. 1. - *P. L.*, t. xxvi, col. 326; cf. Greg. Naz., Orat. 18, n. 6. - *P. G.*, t. xxxv, col. 991.

3) Tertia demum conclusio probatione vix indiget: *vires naturae minus valere ad bonum naturale in statu lapso, quam in statu integro.* Constat enim fuseque alibi ostendimus, per peccati originalis vulnera hominem ad sensibilia agi et a spirituali bono detrahi. Hinc psalmista in concupiscentia invenit argumentum ad veniam: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum ».[1] « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus ». Hinc sperat: « Quoniam ipse (Deus) cognovit figmentum nostrum ».[2] Inde ipse Christus dixit: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma ».[3]

Ex hac debilitate maior oritur indigentia gratiae, et fluit ratio distinctionis inter gratiam elevantem et medicinalem.

Optime id illustrat auctor libri *De vocatione gentium:* « Humana natura in prima hominis praevaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter praecepta et auxilia Dei, semper in deteriorem est procliva voluntatem, cui committi non est aliud quam demitti. Haec itaque voluntas vaga, incerta, mutabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditatibus caeca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriae quam virtutum avidior, famae quam conscientiae diligentior, nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem, quae tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni ».[4]

In Corpore. Doctrina huius *Corporis* sequenti schemate comprehenditur:

			auxilio: elevante	medicinali	movente
Auxilio divino indiget homo ad agendum bonum:	I) *Supernaturale*		»		»
	II) *Naturale:*	1) in statu *integro:*			»
		2) in statu *lapso:*		»	»

Resp. ad 1m. Observa sedulo, ex hac responsione non sequi, ipsam electionem esse citra motionem divinam. Quod de gratia affirmatum, directe impugnaret doctrinam Augu-

[1] Ps. L, 8.
[2] Ps. CII, 14.
[3] MATTH., XXVI, 41.
[4] L. I, c, 6.

stini et ipsius S. Thomae. Sed voluntas sine voluntate initialiter movetur, ad electionem vero cum ipsa voluntate perducitur. Quare primae motionis voluntas domina non est, electionis autem vere domina vocatur.[1]

Resp. ad 2m. Egregie eamdem doctrinam S. Anselmus exprimit in *Commentario psalmi Miserere:* « Heu mihi, « Domine Deus meus, sine te, per quem omnia facta sunt, « a me factum est istud nihil, et pro nihilo perii, et ad nihil « redactus sum et nescivi ».[2] Et Augustinus: « Ad peccan- « dum non adiuvamur a Deo: iusta autem agere vel iusti- « tiae praeceptum omni ex parte implere non possumus, « nisi adiuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non « adiuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus aversusve « discedat; ut autem videat adiuvatur ab ea, neque hoc « omnino, nisi illa adiuverit, potest; ita Deus, qui lux est « hominis interioris, adiuvat nostrae mentis obtutum, ut non « secundum nostram, sed secundum eius iustitiam boni ali- « quid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est; « et tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiae « carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adiu- « vat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adiu- « vat: quod certe oculis corporis lux ista non praestat. Cum « ergo nobis iubet dicens: " Convertimini ad me, et con- « vertar ad vos „;[3] nosque illi dicimus: " Converte nos, « Deus, sanitatum nostrarum „;[4] et « Deus virtutum, con- « verte nos „;[5] quid aliud dicimus, quam: Da quod iubes?[6]

Feliciter hanc doctrinam cl. Pègues ita comprehendit in suo catechismo thomistico. Quaestioni: « L'homme ne peut-il « donc jamais de lui-même faire aucun bien ou éviter aucun « mal? », ita respondet: « Oui, l'homme peut, de lui-même, « c'est-à-dire, avec les principes de sa nature que Dieu lui « a donnés, et les autres secours naturels qu'il trouve autour « de lui, accomplir certain bien et éviter certain mal, même

[1] Cf. infra dicenda ubi de libero arbitrio sub motione gratiae.
[2] N. 25.
[3] Zach., I, 3.
[4] Ps. LXXXIV, 5.
[5] Ps. LXXIX, 8.
[6] *De pecc. et remiss.*, l. II, c. 5.

« dans l'ordre moral ou de la vertu; mais, si Dieu ne vient « pas, par sa grâce, guérir la nature humaine blessée par « le péché, l'homme ne pourra pas accomplir, même dans « l'ordre de la vertu naturelle, tout le bien et éviter tout « le mal; et dans l'ordre de la vertu surnaturelle ou de la « vie morale en vue du ciel à conquérir, l'homme, par sa « seule nature, sans la grâce, ne peut absolument rien ». [1]

Quaeres. – Auxilium gratiae quod ad hoc requiritur ut in praesenti statu homo possit omnia praecepta legis implere, estne intrinsece supernaturale?

Per se non est; sufficit naturale auxilium per quod illa naturalis deficientia corrigatur, quae ex nostra conditione lapsa profluit. Recte Suarez ait « non esse necessaria interna « auxilia proprie supernaturalia in sua entitate, ... sed suffi- « cere motiones ordinis naturalis. Quia hic effectus non « requirit principia supernaturalia, quae per se et physice « efficiant actus necessarios ad servandam legem naturae, « sed solum requirit ut moraliter moveant, et ut mentem « illuminent, ac suavem reddant operationem virtutis. Haec « autem omnia per dictas motiones fieri possunt ». [2] Si tamen Deus statuat ex sola voluntate hos effectus nonnisi per auxilia intrinsece supernaturalia esse producendos vel obtinendos, iam sine talibus auxiliis non obtinetur, non quidem ex rei natura, sed ex tali divina voluntate. [3]

Corollarium I. – Ex analysi divinae illustrationis et excitationis ope gratiae apparet, gratiam non esse aliquid tantopere ab actibus vitalibus intellectus et voluntatis distinctum, ut exhiberi possit tamquam mera dispositio seu qualitas mortua. Qui proin falsus conceptus Lemos et Alvarez reiiciendus est. Ex opposito reiiciendus est duplex excessus Quesnelli et Arnaldi. Prior enim asserens: « gratiam nihil « esse quam omnipotentem Dei voluntatem », [4] sustulit huma-

[1] *La Somme Théologique de Saint Thomas d'Aquin en forme de catéchisme pour tous les fidèles*, p. II, XX, p. 154.

[2] *De grat.*, l. I, c. 27. Concordat Card. MAZZELLA, *De grat.*, n. 283 sq.

[3] Cf. ibidem n. 15.

[4] Prop. 11. - *Enchir.*, n. 1226.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nae voluntati suam actionem vitalem sub gratia. Quem excessum Clemens XI in bulla *Unigenitus* proscripsit. Alter Arnaldi affirmantis: « Gratiam esse ipsum actum creaturae « deliberatum », tollit spatium ipsius deliberationis sub gratia, ac proin implicite negat gratiam sufficientem. »

Corollarium II. - Doctrina in utroque hoc articulo exposita illustrat quidem quantopere homo sit in gemino ordine naturae et gratiae dependens ab influxu Dei creantis, elevantis et moventis. Nullomodo autem inde sequitur talis dependentia, quae supponat creaturam in misera conditione conditam. Nam quidquid ex necessaria conditione ipsius creaturae uti talis fluit, potius eiusdem perfectionem quam imperfectionem involvit: perfectionem, quia potuisset nec existere; non autem imperfectionem, quia impossibile est creaturam sive quoad esse, sive quoad agere esse independentem a motione Creatoris. Quidquid autem fluit ex elevatione ad ordinem supernaturalem, proclamat quidem huius doni excellentiam, non autem elevatae naturae indignitatem, quum haec excellentia omnem naturae cuiuscumque vim exsuperet. Unde potius in homine ponit dignitatem, quum nonnisi in superioribus naturis rationalibus et intellectualibus exstet ad hanc excellentiam illa radicalis proportio, quae potentia obedientialis solet appellari.

Pulcherrime id evolvit S. Thomas: « Ratio huius effica- « ciae est quia " sine me nihil potestis facere ,,. In quo et « corda instruit hominum, et ora obstruit superborum et « praecipue Pelagianorum, qui dicunt, bona opera virtutum « et legis sine Dei adiutorio ex seipsis facere posse: ubi « dum liberum arbitrium asserere volunt, illud magis prae- « cipitant. Ecce enim Dominus hic dicit, quod sine ipso non « solum magna, sed nec minima, imo nihil facere possu- « mus. Nec mirum, quia nec Deus sine ipso aliquid facit ut « supra dicitur: " sine ipso factum est nihil ,,.[1] Opera enim « nostra, aut sunt virtute naturae, aut sunt ex gratia divina. « Si virtute naturae, cum omnes motus naturae sint ab ipso « Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri

[1] Ioann., I, 3.

« potest sine ipso. Si vero virtute gratiae, cum ipse sit « auctor gratiae (quia gratia et veritas per Iesum Christum « facta est, ut dicitur I, 17): manifestum est, quod nullum « opus meritorium sine ipso fieri potest. Unde dicitur: [1] « " non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis « quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est ,, ». [2]

Unus adspectus restat, qui deficientiam in homine supponit, et est ille ob quem gratia dicitur medicinalis; sive radicaliter, quia omnis gratia est Christi redimentis, sive specifice, quia multae gratiae sunt insuper Christi vulnera originalis culpae sanantis.

Sed haec deficientia nostra abunde per influxum ipsius Christi compensatur. Quod laudatus Abbas Marmion ita bene illustrat: [3] « Sommes-nous pour cela à plaindre? Nul- « lement. St Paul après avoir détaillé notre faiblesse, ajoute: « *Omnia possum in eo qui me confortat.* [4] " Je puis tout ,, , « *Omnia,* non pas par moi-même, mais " en celui qui me « fortifie ,, , afin que toute gloire soit rendue au Christ, qui « nous a tout mérité, et en qui nous avons tout... En lui, « par lui, je puis tout, parce que son triomphe est de ren- « dre fort ce qui est faible: *sufficit tibi gratia mea, nam « virtus in infirmitate perficitur;* [5] Dieu veut par là que la « toute puissance remonte à lui par le Christ, dont la grâce « triomphe de nos faiblesses, *in laudem gloriae gratiae suae* ». [6]

Placet pariter audire Card. Mercier, eamdem doctrinam nitide evolventem: « L'activité naturelle de l'homme est-elle « donc annihilée?

« Non. La grâce n'annihile rien: elle ne détruit point, « elle édifie et surélève.

« Mais cette activité naturelle, fût-elle intacte, Dieu ne « la tient point pour suffisante, pour la raison qu'il a daigné « mettre à la disposition de notre libre arbitre une destinée « infiniment plus haute, plus glorieuse pour lui, plus sainte « pour nous.

[1] II Cor., III, 5.
[2] In Ioann., XV, l. 1.
[3] Op. cit., p. 88.
[4] Phil., IV, 13.
[5] II Cor., XII, 9.
[6] Ephes., I, 6.

« Au surplus, elle n'est pas intacte, mais à beaucoup « d'égards, défectueuse: pauvreté intellectuelle, faiblesse de « volonté, impétuosité des passions, telles sont quelques-unes « des tares qui paralysent l'essor normal de la nature en nos « âmes, même baptisées, de sorte que la théologie catholi- « que résume en ces deux propositions l'état de l'humanité « à la suite de la déchéance originelle:

« La foi et la vie surnaturelles, fruit de la rédemption « du Christ, sont absolument nécessaires au salut.

« La foi et la vie surnaturelles sont moralement néces- « saires à l'humanité, afin qu'elle connaisse avec sureté, en « temps utile, les vérités morales et religieuses intrinsèque- « ment accessibles à la raison naturelle, et afin qu'elle pra- « tique effectivement les vertus qui, envisagées en elles- « mêmes, ne dépasseraient pas ses énergies natives ». [1]

Corollarium III. – Ex eadem doctrina manifestum redditur ex una parte, quantum iuvamen tum singulis hominibus, tum reipublicae conferat religio supernaturalis eiusque custos Ecclesia; ex altera, quam subversivum sit tum privatorum tum publicorum morum bellum eidem religioni ac Ecclesiae indictum. Optime El. Méric: « L'ordre surna- « turel est distinct de l'ordre naturel; mais en fait, et dans « l'état naturel de l'humanité, ils seront toujours étroite- « ment unis: l'ordre naturel demeure subordonné à l'ordre « surnaturel. Une société profondément religieuse sera faci- « lement honnête, et celui qui pratique les vertus du chré- « tien observe facilement les devoirs du citoyen. Une société « irréligieuse, qui fait profession de couper toute commu- « nication entre la vie présente et la vie future, et qui « inscrit la négation de l'immortalité personnelle en tête de « ses dogmes, ne respectera pas les préceptes de la loi natu- « relle, elle n'observera pas les devoirs du citoyen. C'est « le christianisme qui est le berceau des hommes de carac- « tère, l'irréligion n'en produira jamais ». [2] Et sane tanta est corruptio quam peccatum inducit, ut homo, a Deo avulsus, proprio veluti pondere in malum gravitet. Quod eloquenter

[1] Op. cit., p. 38.
[2] *Energie et liberté. Introduction*, p. 33.

ita expressit Bossuetius: « L'homme était devenu pécheur « en se cherchant soi-même, il est devenu malheureux en « se trouvant. Il ne lui est plus demeuré que ce qu'il peut « avoir sans Dieu, c'est-à-dire l'erreur, le mensonge, l'illu- « sion, le péché, le désordre et ses passions, sa propre ré- « volte contre la raison, la tromperie de son espérance, les « horreurs de son désespoir affreux, des colères, des jalou- « sies, des aigreurs envenimées contre ceux qui le troublent « dans le bien particulier, qu'il a préféré au bien général... « Voilà ce que produit l'amour de nous-mêmes; voilà com- « ment il fait d'abord notre péché et ensuite notre supplice ».

Qui duo amores veluti duas constituunt civitates, pulcherrimo contrastu ab Augustino depictas: « Fecerunt ita- « que civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui « usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque « ad contemptum sui. Illa in seipsa, haec in Deo gloriatur. « Illa enim quaerit ab hominibus gloriam: huic autem Deus, « conscientiae testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua « exaltat caput suum; haec dicit Deo suo: gloria mea, et « exaltans caput meum ».[1]

Quum itaque homo per amorem proprium corruptus quoad omnia latera suae complexae naturae vulneretur, ita ut, veluti aegrotus longo morbo decumbens, nonnisi plagis inniti possit, nil mirum, interdum et in orationibus Liturgiae, hominem ex toto malum praedicari, licet valeat ad aliquos actus moraliter bonos. Ita intelligenda sunt verba Sequentiae *Veni, Sancte Spiritus:*

Sine tuo Numine
Nihil est in homine
Nihil est innoxium.

Quare nonnisi abusive has et similes orationes adducebant novatores, ut ostenderent, hominem absque gratia nullius prorsus actus boni esse capacem, omnesque eius actus esse peccata.

Corollarium IV. – Ob nexum intimum inter verum et bonum, pariter illustratur per praesentem doctrinam, omne systema philosophicum quod ad morum depravationem con-

[1] *Civ. Dei,* l. XIV, c. 28.

ducit, eo ipso non solum esse nocivum, sed radicitus falsum. Bene P. Morawski, S. I., in opella cui titulus: *Soirées au lac de Genève* (*Wieczory nad Lemanem*): « La pierre de « touche de toute philosophie - non seulement quant à son « utilité, mais quant à sa vérité - est l'enseignement moral « qui en découle logiquement. Tout système qui conduit « à la négation de la moralité doit être rejeté; non par cela « seulement qu'il est malfaisant, mais parce qu'il est faux. « Il est absurde, en effet, qu'il y ait contradiction entre le « vrai et le bon; car le devoir moral qui s'affirme dans la « conscience, est un axiome inébranlable, au même titre « que les lois de la pensée sur lesquelles la raison bâtit ses « sciences. Si l'on se place à ce point de vue, peut-on, en « vérité, tenir une autre philosophie que celle qui recon- « naît un Dieu personnel, la volonté libre, la responsabilité « de l'homme, la différence entre le bien et le mal, fondée « sur un principe absolu ? ».[1] Inde, ut alios taceam, Nietzsche, qui haec omnia audacter negabat, non fuit modo satanicus religionis osor, sed et in gentem suam, quin et in humanum genus universum, conspirator execrandus.[2]

Corollarium V. - Ex hoc quod absque auxilio gratiae presse sumptae homo, etiam in hac conditione lapsa, potest aliquos actus ponere moraliter bonos, sequitur pariter, eum posse acquirere aliqua merita naturalia, quibus providentia divina, semper aequissima, aliquam mercedem condignam retribuat, in ordine utique naturali. Quod ita expressit Card. Satolli: « Homo sine virtute gratiae supernaturalis « potest mereri aliquod bonum connaturale, tum respectu « societatis humanae, tum respectu providentiae divinae ». Quam vera sit haec providentiae lex, historia docet, praesertim populi Israëlitici in V. Testamento, imo, teste Augustino, ipsius populi Romani.[3]

[1] *Deuxième soirée.*

[2] Cf. de morali systemate Nietzsche optimam opellam cl. Ios. Bittremieux, *Nietzsche's Krachtzedenleer.*

[3] Vi eiusdem oeconomiae Providentia maiori interdum prosperitate materiali donat populos, etsi a vera fide extorres, ob quasdam virtutes publice servatas; v. gr. reverentiam dominicae requiei debitam, dum durius tractare videtur populos nomine catholicos, sed socialis huius legis sacrae minus sollicitos.

Corollarium VI. – Collige ex dictis, qualis gratia fuisset necessaria in statu naturae purae. - *a*) Intelligendo gratiam in sensu largiori, de motione divina divinoque concursu, quo creatura indiget ut agere valeat, status naturae purae hac gratia indiguisset, et quidem necessitate physica. - *b*) Intelligendo gratiam in sensu stricto elevantis auxilii supernaturalis, in statu naturae purae, ex ipsa huius status conditione mere naturali, nulla huiusmodi gratiae necessitas adfuisset. – *c*) Intelligendo gratiam in sensu auxilii adiuvantis naturalium virium debilitatem, in hoc statu haec gratia fuisset moraliter necessaria, non quidem eadem necessitate qua status lapsus indiget gratia medicinali, propter minorem difficultatem et minores insidias daemonum; sed tamen vera necessitate ad perseverandum in bono arduo, quum in hoc statu ob luctam inter carnem et spiritum, quae non abfuisset ex toto, virtus, plerumque in his quae concupiscentiam involvunt, fuisset difficilis ac Dei proin iuvamine sustentanda. Quodsi quaeras, utrum in hoc statu haec gratia fuisset medicinalis, respondeo distinguendo. Quum status naturae integrae esset per se sanus, – secus Deus non potuisset hominem in hoc statu creare, – iuvamen in hoc statu necessarium non fuisset formaliter medicinale,[1] sed adiuvans; post lapsum in hoc statu commissum, quum proprium sit peccati ut naturam debilitet, et morali morbo inficiat, iam hinc gratia in hoc statu peccatori concessa posset et formaliter vocari medicinalis.

Corollarium VII. – Quum autem a Deo ad statum supernaturalem ordinetur, oportet ut homo ad eum pertineat et secundum eum agat, ut Deo placere possit. Quod his verbis per dilemma egregie illustrat Card. Mercier: « Quel est donc, à « tout prendre, la condition de l'homme dans l'ère chrétienne?

« L'humanité à été rétablie, par le Christ Rédempteur, « dans l'état surnaturel, auquel nos premiers parents furent « élevés dès leur création. Et, de même qu'il n'y avait pour « nos premiers parents qu'une destinée possible,[2] celle que

[1] Hoc non videtur satis attendisse illmus LAMBRECHT, op. cit., p. 87, qui adiutoria illa absque discrimine medicinalia vocat.

[2] In sensu scilicet composito, data hac supernaturali oeconomia.

« la libéralité divine leur avait offerte en les appelant à « partager et sa béatitude et sa gloire, de même il n'y a « pour nous tous qu'une destinée, celle de l'ordre surnatu- « rel. Cet ordre est donc *absolument* obligatoire. Manquer « sa fin surnaturelle, c'est manquer sa fin. L'homme se sauve « dans et par l'ordre surnaturel, ou il se perd. Telle est « l'inéluctable alternative ».[1] Et paucis interiectis concludit: « ... Il n'y a donc que cette vie de la foi et de la grâce qui « plaise à Dieu, et mène l'homme au terme de sa destinée ».[2]

Unde rursus apparet, quam recte ad hanc supernaturalis ordinis mensuram Augustinus moralitatem plenam actuum humanorum dimitiatur.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO POSSIT DILIGERE DEUM SUPER OMNIA EX SOLIS NATURALIBUS SINE GRATIA.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Vidimus in art. praec. naturam humanam in statu integro, sine speciali divino auxilio, praeter auxilium moventis ad actum, esse omnis boni naturalis capacem; non autem hanc capacitatem in statu lapso superesse, nisi ad quaedam bona. Iam investigandum est quousque valeat haec capacitas; et quidem dupliciter: *a*) quantum ad dignitatem seu intensitatem actus, *b*) quantum ad actuum amplitudinem seu extensionem.

Quoad actus dignitatem seu intensitatem in praesenti articulo quaeritur de actu summo, qui est amor Dei super omnia; quoad amplitudinem seu extensionem quaeretur in articulo sequenti de capacitate omnia praecepta servandi.

2) Ad lucide et caute priori quaesito respondendum, praemittendae sunt quaedam distinctiones magni momenti.

a) Alius amor Dei *naturalis,* alius Dei amor ad ordinem *supernaturalem* elevatus; prior est quidem bonus et Deo placens; at nonnisi alter hominem inter et Deum pónit amicitiae commercium. Rursus prior per se removet a peccato, non autem iustificat, nisi remote et indirecte quatenus exclu-

[1] Op. cit., p. 37.
[2] P. 38.

dit affectum ad peccatum: alter vero involvit iustificantem charitatem.[1]

b) In hoc amore Dei naturali duplex datur gradus: alter, inferior, est amoris *concupiscentiae*, quo Deum amamus ut ab eo beemur; alter, superior, est *complacentiae*, quo Deum amamus propter ipsum, quia summe amabilis est.

c) Insuper hic amor complacentiae duplicem habet adspectum: *affectivum* scilicet, qui respicit ipsum amoris actualis affectum, et *effectivum*, qui deducit amorem affectivum in actum, servando quae Deus nos agere iubet. Audiatur S. Franciscus Salesius: « Nous avons deux principaux « exercices de notre amour envers Dieu: l'un affectif, l'au- « tre effectif... Par celui-là nous affectionnons Dieu et ce « qu'il affectionne; par celui-ci nous servons Dieu et faisons « ce qu'il nous ordonne... L'un nous fait plaire en Dieu, et « l'autre nous fait plaire à Dieu »[2]

[1] Gravis error fuit Baii distinctionem inter hunc utrumque amorem negasse, uti constat ex 34 eius propositione damnata: « Distinctio illa duplicis amoris, natu- « ralis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur « ut beatificator, vana et commentitia, et ad illudendum Sacris Litteris et plurimis « veterum testimoniis excogitata ». * Hunc errorem a suo magistro accepit Iansenius, qui haec scripsit: « Hic autem connaturalis creaturae rationalis et ulterius finis non « est, nec esse potest alius quam unus et verus Deus, ut vero amore diligendus... Scio « equidem confestim hic Scholasticorum cogitationibus occursuram solemnem illam « distinctionem suam de amore Dei naturali et supernaturali. Deberi quidem crea- « turae rationali naturalem amorem principii ac finis sui, quo super omnia diliget « eum, eumque diligendo naturalia eius praecepta custodiat; nullo vero modo deberi « amorem illum qui naturae vires superet, et creaturam ad statum supernaturalem « supponat. Scio haec, sed scio etiam, in universis operibus Augustini vel cuius- « quam antiqui Patris ... iu ullius Concilii canone vel doctrina, in ullius sacri libri « pagina, nullum huius distinctionis esse vestigium, sed philosophiae humanae viri- « bus esse excogitatam. Satagendum est ut ostendamus ... amorem illum Creatoris, « sine quo creatura rationalis institui nequit, non posse in creatura fieri sine vera « et proprie dicta gratia ». **

[2] *Traité de l'amour de Dieu*, l. VI, ch. I. Haec distinctio habet suam repercussionem in timore Dei: alius enim amor Dei ex timore, et alius timor Dei ex amore. Unde idem S. Franciscus Salesius eleganter dicebat: « Il faut craindre Dieu « par amour, et non pas l'aimer par crainte ». *** In huiusmodi oppositionibus excellebat S. Doctor, uti est, praeter notissimam illam: « Les saints tristes sont de tris- « tes saints », haec altera, qua amorem sui fortiter convellit: « Aimer d'être haï, et « haïr d'être aimé ». ****

* *Enchir.*, n. 1034.

** *De statu naturae purae*, l. III.

*** *Esprit de St François de Sales*, part. III, ch. 12.

**** Ibid., part. IX, ch. 3.

d) Accedit distinctio magni momenti: aliae sunt vires naturae integrae, aliae sunt vires naturae lapsae.

e) Demum distinguendum est inter gratiam stricte dictam, elevantem scilicet, et gratiam medicinalem seu sanantem.

3) His praemissis distinctionibus, iam iuxta eas ad solvendum quaesitum accedamus.

a) Et primo quidem manifestum est, nullam dari proportionem inter naturam, nec integram, et amorem Dei supernaturalem. Quare actus Dei amoris supernaturalis non potest ab homine produci absque gratia. Contrarium affirmare, esset ipsum ordinem supernaturalem implicite negare. Optime Ferrariensis: « Per propria naturalia principia non potest homo « elicere operationem qua perducitur ad finem facultatem na- « turalium principiorum transcendentem. Si enim per natu- « ralia principia talem operationem elicere posset, iam finis « facultatem naturalium principiorum non trascenderet ». [1]

b) In statu naturae integrae homo potuisset diligere Deum super omnia, et quidem amore complacentiae tum affectivo tum effectivo. Secus non fuisset in rectitudine conditus, et integri hominis deficientia in ipsum creatorem redundaret, quod repugnat.

c) Non tam facile solvitur quaesitum pro homine lapso. Unde per gradus est heic procedendum.

α) In statu lapso homo non potest amare Deum super omnia amore effectivo: secus in eodem posset sine gratia implere omnia praecepta, quod in seq. art. excludemus.

β) Non videtur excludendum ut homo in statu lapso possit amare Deum super omnia amore concupiscentiae affectivo, quum iste amor non sit nisi improprie dictus, et non satis appareat cur homo non possit in hoc statu tantopere amare propriam felicitatem, ut affective adhaereat Deo, qui solus hanc ei potest procurare. Et haec est forsan mens auctorum qui in hac quaestione primo intuitu videntur contradicere Sancto Thomae. [2]

[1] In *Summam contra Gentiles,* l. III, c. 147.

[2] Cl. VAN DER MEERSCH * in mitiorem sententiam trahere conatur Angelicum, ostendendo S. Doctorem intendisse amorem Dei non modo affectivum, sed effectivum. Sed textus Aquinatis huic interpretationi nobis parum favere videtur.

* Op. cit., p. 83 sq.

γ) Non videtur admittendum, hominem lapsum posse absque gratia, saltem medicinali, amare Deum super omnia amore affectivo complacentiae. Quum enim in hoc amoris actu consistat summa capacitas naturae integrae, si haec in statu lapso remaneret, vix huius status conditio peior appareret.

4) Utrum autem ad hoc requiratur gratia stricte dicta, vix affirmare auderem: potius in negandum inclino. Fatendum tamen est, hoc argumentum non carere difficultate, quod apparet ex ardore quo fuit hinc inde agitata. Notissima arsit olim disputatio inter Alvarez et Lemos, de capacitate diligendi Deum actu absoluto mere naturali in statu naturae lapsae viribus solius naturae. Sub Clemente VIII in duabus congregationibus res discussa fuit;[1] sed vix soluta, quum non satis distinctum fuerit inter gratiam stricte dictam et gratiam sanantem.

5) Mirum proin nulli videatur, si pro utraque parte stent theologi magni nominis. In mitiorem enim partem adduntur - ut alios taceam - Caietanus, Soto, Molina, Pesch; in rigidiorem Suarez, Bellarminus, Sylvius. Qui tamen concedit posse hominem in statu naturae lapsae, absque gratia, diligere Deum aliquo modo.[2] En quibus verbis Card. Satolli mentem suam formulat: « Potest homo naturae viribus dili- « gere Deum super omnia; non quidem amore efficaci et « effectivo, et in quibuslibet occasionibus, sed affectivo et « per aliquod breve temporis intervallum, omnium gravium « perturbationum motu vacuum ».[3] Quid autem si lapsae nostrae naturae conditio in hoc partim consistat, ut huiusmodi perfecta pacis intervalla nesciat? Quo sensu Augustinus dixit: « Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi « peccati granditate amisimus ».[4]

II. **Ad Textum.** - *1ª et 2ª Obi.* Istae duae difficultates procedunt ex confusione inter naturalem Dei amorem super omnia et theologicam virtutem, omnium reginam, charita-

[1] Congr. VII et XI, diebus 19 aug. et 9 dec. 1602.
[2] In hunc locum, concl. 5ª.
[3] Op. cit., art. II, q. 5, concl. 2, p. 128 sq.
[4] *Epist. 217 ad Vitalem.*

tem. Utique in uno conveniunt ambo, nimirum quod Deus diligitur super omnia. Sed maximum oritur discrimen, si iam non relative vel negative, sed absolute et positive ipsa formalitas utriusque dilectionis consideratur. In dilectione naturali Deus amatur ut primum principium et finis ultimus naturae, verbo ut Creator a creatura. In charitate autem amatur ut principium communicationis sui ipsius et finis divinae participatae felicitatis, verbo ut Pater a filiis adoptivis. Quae dilectio filialis iam secum fert saporem et affectum naturali dilectioni impervia.

3ª Obi. Procedit a perperam intellecto axiomate philosophico. Proportio requisita inter facultatem et obiectum non fertur in obiectum uti in se est, sed in obiectum uti a facultate percipitur. Secus, urgendo obiectionem, sequeretur, oculum nihil percipere posse quod obiective esset oculo maius!

Sed contra est. Noli credere, ex modo quo hypothesim in initio huius argumenti inducit, S. Thomam ei favere. Imo contrarium ex aliis locis constat. Argumentum autem heic adductum totam suam vim derivat a principio in articulo sequenti allato, scilicet quod « alioquin homo non potuisset « in illo statu non peccare ».

Non autem urgeri potest argumentum ex praecepto diligendi Deum, qualiter iam in antiqua lege populo tradebatur; nam, etiamsi illa lex non esset lex gratiae, nihilominus per gratiam iuvabatur. Secus hoc praeceptum alteram partem doctrinae *Corporis* infirmaret, quum latum sit populo iam in statu naturae lapsae degenti.

Huc facit sequens oratio Ecclesiae: « Deus, qui diligen- « tibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris « tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia dili- « gentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, « consequamur ».[1]

In Corpore. In initio huius argumentationis S. Thomas remittit ad art. 5, Q. LX, primae Partis, ubi idem quaesitum solvit quoad naturalem dilectionem Angelorum. Reiicit autem ibi doctrinam eorum qui affirmant, Angelos naturali dilectione, simpliciter loquendo, magis diligere seipsos quam

[1] Dom. v post Pent.

Deum; aliqualiter tamen magis Deum diligere quam seipsos, in quantum amore concupiscentiae magis sibi optant bonum divinum quam suum proprium, et amore amicitiae maius bonum Deo, scilicet esse Deum, quam sibi, scilicet esse Angelos, optant. Porro hanc propositionem S. Thomas eodem modo ibi refellit, quo hic argumentum demonstrat: directe quidem, ex gradatione quae invenitur in inclinatione totius creaturae; indirecte, ex consequenti pro natura angelica. Sed hoc alterum aliquo modo aliter exponit, vel potius nova consideratione complet. « Alioquin, ait, si naturaliter » (Angelus et etiam homo, nam argumentum extendit ad hominem) « plus seipsum diligeret quam Deum, sequeretur, « quod naturalis dilectio esset perversa, et quod non perfi- « ceretur per charitatem, sed destrueretur ».

Insuper adverte quomodo in *Sed contra est* huius art. S. Thomas arguat ex lege morali diligendi Deum super omnia: quod argumentum ad Angelos applicatum valet absolute, pro homine autem non valet nisi in statu integro.

Duo iam in hoc *Corpore* demonstrantur: 1) dilectionem Dei super omnia connaturalem esse naturae humanae integrae: 2) naturam autem lapsam non amplius posse solis suis viribus ad illam assurgere.

1) Prima demonstratio ad hoc reducitur. Quemadmodum naturali inclinatione omnes inferiores creaturae iuxta suum ordinem bonum proprium, per se ad bonum summum ordinatum, diligunt; ita rationalis creaturae est proprium bonum diligere, illudque cum caeteris bonis creatis ad summum bonum ordinare, quod est Deum uti finem super omnia amare. Vis autem huius argumenti in hoc consistit. Quod inferiores creaturae, bonum suum privatum prosequentes, illud nonnisi virtualiter seu materialiter ad Deum ordinant, provenit in eis ex defectu virtutis rationalis. Oportet proin ut proprium sit rationalis creaturae illam relationem proprii boni, aliorumque bonorum ad Deum, uti finem delectum, formaliter et explicite exprimere.

2) Secunda demonstratio potest ita illustrari. Ad hoc ut homo super omnia Deum amet, oportet ut privatum bonum non tamquam finem suum prosequatur. Iam vero in hoc consistit debilitas per originalem culpam inducta et per

concupiscentiam nutrita, quod homo, a divino fine aversus, in privato suo bono, et quidem sensibili, finem collocet.

Indirecte idem corroboratur hoc pacto. Actus diligendi Deum super omnia est actus supremus naturae rationalis; ergo vel natura lapsa eisdem gaudet viribus quibus gaudebat integra, vel iam ad hunc actum impar est dicenda.

Contra secundam huius *Corporis* conclusionem duplex moveri potest difficultas. *a*) Si natura lapsa non valet diligere Deum super omnia, quomodo salvari potest iustitia Dei eamdem dilectionem imperantis?

Resp. α) Haec impossibilitas est culpabilis, tamquam ab originali culpa derivata, ac proin non excusat hominem. β) Ad compensandas naturae vires adest medicinalis gratia. γ) Haec impossibilitas demum non est physica, sed moralis. Cf. dicenda in art. sequenti, praesertim in resp. ad 2m.

b) Si in natura lapsa homo non potest amare Deum super omnia, quomodo potest dici alicuius actus ethice boni capax, quum moralis bonitas actus a recto fine, sive a recta ordinatione ad finem dependeat? Quare vel concede possibilitatem dilectionis Dei super omnia, etiam in statu lapso, vel nega in eodem statu possibilitatem cuiusvis actus boni.

Haec difficultas movet theologos scholae Augustinianae uti Norisium, Berti, etc., ut asserant, citra auxilium gratiae, in statu lapso, hominem posse quidem bonum agere ex fine proximo, non autem ex fine ultimo. De qua sententia cl. Hurter videtur nimis rigorose iudicare, quum illam quasi cum sententiis damnatis Baii et Quesnelli confundit.[1]

Conciliatio in hoc consistit. Ad bonum aliquod ethicum non requiritur ut finis ultimus semper explicite intendatur, sed sufficit ut non excludatur, dummodo finis proxime intentus sit bonus, et per se ad finem ultimum ordinabilis. Iuxta axioma « nemo malus nisi probetur », dicendum est pariter, nullum actum ex fine proximo bonum, fieri ex fine ultimo malum, nisi probetur. Unde etiamsi homo solis corruptae naturae viribus non possit in finem ultimum se totum ordinare; nihilominus, quum finis proximus per se huic fini ordinetur, quotiescumque hunc finem proximum sine aver-

[1] Op. cit., p. 51, not. 3.

sione a fine ultimo apprehendit, actum ethice bonum ponit. Haec autem bonitas quomodo se habeat ad finem supernaturalem et ad excellentiam supernaturalem actibus humanis ex ordinatione primordiali inesse debitam, sat fuse supra vidimus.

Corroboratur aliquo modo doctrina huius articuli, ac certe solutio alterius difficultatis, ex verbis quibus Bulla *Auctorem fidei* damnat instauratam a Pistoriensibus Iansenii doctrinam de duplici charitate: « Doctrina Synodi de duplici « amore ... qua parte inter dominantem cupiditatem et chari- « tatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura « ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore « beatitudinis naturalique propensione ad bonum remanse- « runt vel extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei,[1] « perinde, ac si inter dilectionem divinam, quae nos perdu- « cit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae « damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae non « reprehenditur:[2] (declaratur) falsa, alias damnata ».[3]

Corollarium. – Ex dictis in expositione huius articuli patet, nullam esse contradictionem inter doctrinam in eo expositam et quasdam Patrum locutiones, quae primo intuitu eidem contraire videntur. Quod apparebit, si sequentia sedulo prae oculis tenentur.

1) Non semper, ubi de facultate homini a Deo concessa, considerant quaestionem sub aspectu quo hic ponitur. Talis est affirmatio S. Fulgentii: « Deus diligendi ac cognoscendi « se nonnisi Angelis et hominibus dedit facultatem. Quibus « propter arbitrii libertatem, quae maxime debuit intelle- « ctuali creaturae conferri, ita cognoscendi ac diligendi se « facultatem voluntatemque donavit, ut eam unusquisque et « habere posset et perdere ».[4]

2) Aliud est praedicare possibilitatem ut homo suis viribus relictus cognoscat, Deum esse summopere diligendum et in eo diligendo consistere hominis beatitudinem; aliud, possibilitatem ut absque ullo gratiae iuvamine hoc in praesenti statu agere valeat. Huc facit sententia Augustini de

[1] Aug., *De spir. et litt.*, c. 28.
[2] Aug., *Serm. 349.*
[3] *Ad prop. 24.*
[4] *De fide*, c. 3.

Platone dicta: « Si ergo Plato Dei huius imitatorem, cogni-
« torem, amatorem dixit esse sapientem, cuius participa-
« tione beatus sit, quid opus est excutere caeteros? quorum
« nulli nobis quam iste propius accesserunt ». [1] Necnon verba S. Ambrosii de verbi Pauli ad Romanos: « Potuerunt id per
« legem naturae apprehendere, fabrica mundi testificante,
« auctorem solum Deum diligendum, quod Moyses litteris
« tradidit ». [2]

3) Demum nihil contra hanc doctrinam faciunt asserta quibus amor Dei uti summe consentaneus naturae humanae exhibetur. Est enim natura humana originali labe sauciata. Talia sunt, ex. gr., verba S. Anselmi: « Nihil aptius quam
« rationalem creaturam ad hoc esse factam ut summam
« essentiam super omnia bona amet, sicut ipsa est summum
« bonum, imo ut nihil amet nisi illam aut propter illam ». [3]

ARTICULUS IV.

UTRUM HOMO SINE GRATIA PER SUA NATURALIA LEGIS PRAECEPTA IMPLERE POSSIT. [4]

I. De ipsa Quaestione. – 1) Ad certam huius quaesiti intellectionem determinandi sunt primo verba ipsius tituli. *a*) *Sine gratia,* intellige non movente, sed vel elevante vel medicinali. *b*) *Naturalia,* distinguuntur contra supernaturalia; sed et ipsa naturalia sunt vel in statu integro, vel in statu lapso. *c*) Demum praeceptum *impleri* dupliciter dici potest: vel quoad *substantiam,* vel quoad *modum;* ad primum sufficit moralis bonitas actus; ad alterum requiritur insuper formalitas salutaris ratione elevationis ad finem supernaturalem. Quam distinctionem ipsa Ecclesia vindicavit in damnatione prop. 61 Baii: « Illa doctorum distinctio,
« divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quan-
« tum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero
« quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum

[1] *De Civ. Dei,* l. VII, c. 5.
[2] In verba ROM., I.
[3] *Monol.,* c. 68.
[4] De hoc argumento acute disserit BOSSUETIUS in *Avertissements sur les réflexions morales,* § VIII.

« quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum, « commentitia est et explodenda ».

2) His positis, iam patet responsio triplici conclusione constans: *a*) Homo in statu naturae integrae poterat quoad substantiam omnia mandata legis sine speciali gratia implere. *b*) In statu vero naturae lapsae homo non potest omnia legis implere mandata quoad substantiam, sine gratiae medicinalis auxilio. *c*) At quoad modum, nec in natura lapsa, nec in ipsa natura integra, nullum, ne minimum quidem mandatum implere potest sine gratia, non solum medicinali, sed elevante.

3) Conclusiones prima et tertia nulla illustratione indigent. Ad secundam melius intelligendam duo observa: *a*) In illa conclusione conceditur potentia naturae lapsae ad aliqua mandata servanda, secus enim peccatum originale naturam non solum vulnerasse, sed et destruxisse dicendum esset, nec ulla superesset lapsae naturae capacitas alicuius actus ethice boni. *b*) Limitatio autem intelligenda est tum de spatio temporis, tum de gravioribus mandatis, ita ut sensus sit: natura lapsa non potest suis viribus omnia legis mandata per longum spatium, praesertim graviora servare. Unde iam inter hunc articulum et articulum octavum eiusdem Quaestionis nexus apparet intimus. Haec conclusio valide confirmatur per ipsam humani generis historiam: « Perabsurdum est, ait Card. Satolli, ponere quod homo pos- « sit id quod numquam contigerit ».[1]

4) Media igitur hic rursus doctrina stabilienda est, inter Molinam, qui nimis tribuit naturae, utpote capaci implendi omnia praecepta; et Gregorium Ariminensem nulla praecepta a natura lapsa servari posse asserentem; a quo excessu non satis cavent nonnulli theologi scholae Augustinianae.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Probabiliorem huius loci S. Pauli sensum dat ipse Augustinus,[2] ut scilicet intelligatur de vera possibilitate naturalibus viribus aliqua saltem legis praecepta servandi. Imo totum Pauli argumentum huic explicationi innititur.

[1] Op. cit. hoc loco p. 31.

[2] *Ctr. Iulian.*, l. IV, c. 3. Cf. superius in art. 2.

2ª Obi. Dupliciter peccat. *a*) Non considerat, impossibilitatem a culpabili causa derivatam iuste imputari; *b*) abstrahit ab auxilio gratiae. Unde Concilium Trid. habet: « Si quis « dixerit, Dei praecepta homini *etiam iustificato et sub gra-* « *tia constituto* esse ad observandum impossibilia, A. S. ».[1] Et in cap. 11: « Nemo autem, quantumvis iustificatus, libe- « rum se esse ab observatione mandatorum putare debet; « nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohi- « bita voce uti, Dei praecepta homini iustificato ad obser- « dum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, « sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod « non possis, et adiuvat ut possis ».

3ª Obi. Confundit dilectionem Dei super omnia integrae naturae connaturalem, cum supernaturali charitate.

Sed contra est. Impossibilitas servandi omnia legis mandata egregie commendatur in epistola ad Romanos: « Velle « adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio ... Quis me « liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum « Christum D. N. ».[2] Eamdem veritatem iam in libro *Sapientiae* expressam invenis: « Et ut scivi, quoniam aliter non possem « esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientia, « scire, cuius esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum ».[3] Nec Scriptura modo, sed et ethnici idem proclamabant. Notissima illa Ovidii, delicatae sane conscientiae vix nominandi, confessio:

> *Sed trahit invitum nova vis, aliudque cupido,*
> *Mens aliud suadet. Video meliora proboque,*
> *Deteriora sequor.*

Contra Pelagianos potestatem naturae extollentes praeclare Augustinus duplicem statum humanae naturae distinguit: « Quis enim eum (hominem) nescit sanum et inculpabi- « lem factum et libero arbitrio atque ad iuste vivendum « potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem « semivivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus sau- « cius confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitiae « culmen ascendere, sicut potuit inde descendere: quia etiam

[1] *Sess.* VI, can. 18.
[2] ROM., VII, 18 sqq.
[3] SAP., VIII, 21.

« si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus im-
« possibilia iubet; sed iubendo admonet et facere quod pos-
« sis et petere quod non possis. Iam nunc videamus unde
« possit, unde non possit: ... Medicina poterit, quod vitio non
« potest ».[1]

Idem Innocentius I confitetur: « Negantes ergo auxilium
« Dei, inquiunt (Pelagiani), hominem sibi posse sufficere, nec
« gratia hunc egere divina: qua privatus necesse est dia-
« boli laqueis irretitus occumbat, dum omnia vitae perfi-
« cienda mandata sola tantummodo libertate contendat ».[2]
Quae Ecclesiae doctrina ex una parte Pelagianismum damnat, ex altera parte Lutheranismum et Ianseniamismum convellit, quemadmodum ex declarationibus Concilii Tridentini[3] cum systemate novatorum collatis constat. Cf. complenda in art. 8.

Hanc doctrinam Ecclesia praedicat in suis orationibus. Tria exempla adduxisse sufficiant: « Deus, in te sperantium
« fortitudo, adesto supplicationibus nostris, et quia sine te
« nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae
« tuae, ut in exsequendis mandatis tuis et voluntate tibi et
« actione placeamus ».[4] « Quia sine te labitur humana mor-
« talitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis et ad
« salutaria dirigatur ».[5] « Deus, qui nos in tantis periculos
« constitutos, pro humana scis fragilitate non posse consi-
« stere ... ».[6]

In Corpore. En schema argumenti:

			auxilio:		
			elevante	medicinali	movente
Homo indiget ad implenda *omnia legis mandata:*	I) quoad *modum*		»		»
	II) quoad *substantiam:*	*a*) in statu *integro:*			
		b) in statu *lapso:*		»	»

[1] *De nat. et grat.*, c. 43. Cf. Conc. Trid., sess. VII, c. 10, ubi ad verba pars huius textus Augustini citatur.

[2] *Ep. ad Conc. Milev.*

[3] *Sess.* VI, cap. 11, can. 18.

[4] Domin. SS. Trinit.

[5] Dom. XIV post Pent.

[6] Dom. IV post Epiph. Cf. fer. II Mai. Hebd.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli cum praecedentibus collati fluit, a gratia eo magis exspectandam esse perfectionem moralem, quod nisi supernaturalis Deo vere placens virtus non sit. Fortiter, sed recte Cardinalis Mercier: « Ne dirait-on pas, à entendre nos moralistes, qu'elle « (notre morale) est le fruit de notre effort personnel? Ne « savez-vous donc pas, qu'il n'y a de vraie vertu que la « charité, et que la charité, ainsi que la foi et l'espérance « sont des dons de Dieu? La plus large part de l'apos- « tolat de Saint Augustin n'eut-elle pas pour objet de com- « battre l'hérésie naturaliste en morale, le pélagianisme? « Relisez donc les écrits du grand Docteur, les Canons du « IIe Concile d'Orange, où est condensée la moëlle de son « enseignement, afin de vous pénétrer de la nécessité de « faire dépendre de la Foi, de l'état de grâce sanctifiante, « des grâces actuelles prévenante et coopérante, du don « gratuit de persévérance, les initiatives et tous les efforts « d'une vie vertueuse. Ne rabaissez plus votre zèle au niveau « d'une morale de conception humaine. La vertu est d'ori- « gine divine. Elle est le fruit de cette vie divine qui des- « cend en nous par le Christ et répand dans nos artères « surnaturelles, avec le Saint-Esprit, qui fait de notre âme « son sanctuaire, la charité et tout le cortège de vertus « infuses et de dons que la charité tient sous sa dépen- « dance ».[1]

Hoc ipso sensu S. Irenaeus,[2] exponens verba S. Pauli: « Ut integer spiritus vester et anima et corpus... servetur: »[3] dicit hominem perfectum tribus constare: « corpore, anima « et Spiritu Sancto inhabitante per charitatem. Ut enim si « desit ei corpus, vel anima, erit imperfectus in genere na- « turae: ita si desit charitas, erit imperfectus in genere mo- « rum ».[4]

Doctrinam horum trium articulorum 2, 3 et 4, ita comprehendit Card. Billot: « Etsi homo in praesenti statu natu- « rae corruptae, possit aliqua naturalia opera moraliter bona

[1] Op. cit., p. 304 sq.
[2] Libr. v, ante medium.
[3] I Thess., v, 23.
[4] Cf. Bellarminum, t. I, 5 *Contr. gener. De membris Ecclesiae militantis*, l. II, c. 2.

« per propriam virtutem peragere; ad diligendum tamen « Deum super omnia dilectione effectiva, et ad servandum « omnia legis praecepta, etiam quoad nudam substantiam « operum, est ei necessaria gratia; non quidem propter phy- « sicam improportionem facultatum secundum se, sed pro- « pter statum infirmitatis, cui non aliter quam per medici- « nalem supernaturalis gratiae Christi influxum, in ea in « qua nunc versamur oeconomia, remedium adhibetur ». [1]

Corollarium II. - Quum Deus sibi reservet secretum gratiarum quibus gentilium corda ante Christi adventum movebat et iugiter movet, nihil obest quominus plura opera bona in eis admittamus, relicta hypothesi quod gratia eis ad haec iuvamen praestet. Bene hoc sensu Scotus: « Gentiles « potuerunt iuste vivere servando legem naturae; et tum « ipsi facti sunt sibi ipsis lex: id est per legem naturae scri- « ptam in cordibus eorum, interius direxerunt se recte vi- « vendo, sicut Iudaei per legem scriptam: sed isti non bene « vixerunt sine gratia, quia gratia potuit esse in eis, suppo- « sita hypothesi, absque observatione legis mosaicae ». [2]

Quaeres. - Estne maior praedicanda gratiae necessitas ad servanda praecepta per legem gratiae superaddita, quam ad servanda praecepta simplicis legis naturalis? [3]

Qui tenent, actus supernaturales, qua tales, specificari ab obiecto, affirmative simpliciter huic quaesito respondere debent. Quum autem hanc sententiam non amplectamur, potius respondemus negative simpliciter. Potest tamen aliqualiter maior gratia requiri ad maiori insufficientiae supplendum, tum quatenus praecepta per legem gratiae superaddita sunt maioris difficultatis, tum quatenus haec praecepta non, sicut legis naturalis, solo naturali lumine cognoscuntur.

[1] Op. cit., thes. II, p. 64.
[2] II Dist. XXVIII, num. 8.
[2] Cf. Card. BILLOT, op. cit., p. 69 sqq.

ARTICULUS V.

UTRUM HOMO POSSIT MERERI VITAM AETERNAM SINE GRATIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque magis in genere actum est de capacitate intellectus et voluntatis in ordine ad verum et bonum. Nunc magis in specie quaeritur de proportione inter facultates gratia destitutas et ea quae sunt ordinis supernaturalis. Iam vero in iis quae supernaturalis ordinis sunt, duo praesertim distingue: *a*) ipsum *finem*, seu *vitam aeternam*, et *b*) *medium* ad hunc finem, seu *gratiam*. In praesenti articulo agitur de proportione inter activitatem facultatum sine gratia et *finem*; in sequentibus tribus articulis agetur de proportione inter earumdem facultatum activitatem et *gratiam*, scilicet α) *acquirendam* (art. 6), β) *recuperandam* (art. 7), γ) *conservandam* (art. 8). Quam logicus et pulcher sit hic ordo incedendi ex se apparet, et decursu tractationis magis patebit.

2) Ad praesentis quaesiti solutionem observa ea quae superius dicta sunt de sensu minus proprio quo originalis iustitia, utpote condita cum natura, interdum a Patribus natura vocatur, praesertim ab Augustino, qui consequenter operationem meritoriam per vires eiusdem iustitiae interdum vocat naturalem.

3) Rursus observa, disproportionem initialem inter activitatem naturalem et finem supernaturalem nullomodo impedire quin, posita elevatione, istae facultates revera in finem supra naturam sese active extendant. Proin homo finem aeternae vitae consequitur volendo, sed non mere volendo factus est habilis, ut eam consequi volendo possit.

4) Pariter merita, vel merces meritis debita, duplicem habent respectum: alterum ad facultatum activitatem ante elevationem earumdem, alterum ad eamdem activitatem post elevationem. Sub hoc altero respectu sunt quidem vere merita et merces; sub priore autem non sunt nisi gratia. Unde, quemadmodum Augustinus non semel advertit, quando Deus merita nostra coronat, dona sua, id est, gratiam suam coronat. Cf. textum afferendum p. 170 sq.

Ad Textum. - *1ª Obi.* Non considerat dicta n. 3.

2ª Obi. Negligit duplicem respectum expositum n. 4.[1]

3ª Obi. Confundit duplicem sensum distinctum n. 2.

Sed contra est. Doctrina huius articuli demonstratur per omnes prope textus tum Scripturae tum traditionis, quibus in prima sectione praecedentis voluminis demonstravimus originalem elevationem hominis ad finem supernaturalem, et, in art. 1 et 2 huius Quaestionis necessitatem gratiae elevantis ad cognoscendum verum et ad amplectendum bonum supernaturale. Cf. dicenda in art. sequentibus.

Corroboratur per can. 1, sess. VI, Conc. Trid.: « Si quis « dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae « naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina « per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, « A. S. ». Iam vero, si nemo potest sine gratia iustificari, quomodo sine gratia posset vitam aeternam consequi?[2]

In Corpore. Mediata vis argumenti est in facto elevationis hominis ad finem supernaturalem.[3] Immediata autem vis est in proportione requisita inter actus ad finem conducentes et ipsum finem. Ubi observa, potuisse Deum, quemadmodum gratuito elevat hominem ad finem supernaturalem, remittere illam elevationem usque ad ipsius finis assecutionem. In hac hypothesi homo naturalibus viribus in praesenti vita recte utens, post mortem supernaturale praemium obtinuisset; nec gratia stricto sensu, nisi in altera vita locum habuisset. Sed ista hypothesis est prorsus excludenda.[4] Etenim *a*) vita aeterna exhibetur in Scripturis tamquam mer-

[1] Merita nostra esse Dei dona, ita pulchre exponit S. Bernardus: « De aeterna « vita scimus, quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram glo- « riam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut « propterea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi « eam daret. Nam, ut taceam quod merita omnia dona Dei sunt, et ita homo magis « propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini; quid sunt merita omnia ad « tantam gloriam? » 1 *Serm. de Annunt.*, n. 2. - *P. L.*, t. CLXXXIII, col. 383. Quibus verbis et necessitas gratiae ad acquirendam merito vitam aeternam, non parum urgetur.

[2] Cf. can. 2 et 3 supra citatos, et cap. I de impotentia hominis lapsi ad salutem sine reparatione per gratiam Christi; cf. etiam dicta in volumine praecedente, ubi de baptismo etiam pro infantibus necessario ad salutem.

[3] Cf. dicta in prima Parte voluminis praecedentes.

[4] Cf. complenda de hac hypothesi, p. 161 sqq.

ces meritis debita; *b*) veram elevationem in praesenti iam vita dari in ordine ad merita, in centenis Scripturae locis apparet; *c*) imo ex ipso dogmate de originali peccato haec hypothesis exploditur, quippe in qua originale peccatum totaque oeconomia inde derivata repugnarent.

Corollarium I. - Ex doctrina praesentis articuli sequitur, reiiciendum esse prorsus commentum Pelagianum de medio quodam statu inter exclusionem a regno et regni caelestis adoptionem. Distinguebat enim Pelagius inter *regnum caelorum,* ad quod utique baptismum requiri concedebat, et *salutem,* seu *vitam aeternam,* quam infantes sine baptismo decedentes adipisci somniabat. Quem errorem, verbis Pauli « *Gratia Dei vita aeterna* »[1] diserte oppositum, Augustinus saepe debellavit. Duo testimonia heic attulisse sufficiat: « Opti-
« me Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salu-
« tem, et sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam vitam
« vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, et apostolica
« traditione, qua Ecclesiae Christi insitum tenent, praeter
« baptismum et participationem mensae dominicae, *non solum*
« *ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam aeternam*
« *posse quemquam hominem pervenire?* Hoc enim et Scri-
« ptura testatur, secundum ea quae supra diximus. Nam quid
« aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi
« quod dictum est: " *Salvos* nos fecit per lavacrum genera-
« tionis ,,;[2] et quod Petrus ait: " Sic et vos simili forma
« baptisma *salvos* fecit ,,[3]. Quid aliud etiam, qui sacramen-
« tum mensae dominicae vitam vocant, nisi quod dictum est:
« " Ego sum panis *vivus,* qui de caelo descendi ,,, et " Panis
« quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita ,,, et " Si
« non manducaveritis carnem Filii hominis et sanguinem
« biberitis, non habebitis *vitam* in vobis? ,,.[4] Si ergo, ut tot
« et tanta divina testimonia concinunt, nec *salus,* nec *vita*
« *aeterna* sine baptismo et corpore et sanguine Domini cui-
« quam speranda est, *frustra sine his promittitur parvulis.*

[1] Rom., vi, 23.
[2] Tit., iii, 5.
[3] i Petr., iii, 21.
[4] Ioann., vi, 51, 52, 54.

« Porro si a salute ac vita aeterna hominem nisi peccata non « separant, per haec sacramenta nonnisi peccati reatus in par- « vulis solvitur ».[1] Et in eodem libro paulo inferius[2] scribit: « Ipse Dominus, volens auferre de cordibus male credentium « *istam nescio quam medietatem,* quam conantur quidam « parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocen- « tiae sint *in vita aeterna*, sed, quia non sunt baptizati, non « sint cum Christo *in regno eius*, definitivam protulit ad « haec ora obstruenda sententiam, ubi ait: " Qui mecum « non est, adversum me est „ ».[3] Quod idem dilemma alibi Augustinus duobus verbis tam eloquenter exprimit: « Aut « vitis, aut ignis ».[4]

Corollarium II. - Ex eadem doctrina fluit alterum corollarium summi momenti: *Gratia requisita ad vitam aeternam merendam est* INTRINSECE SUPERNATURALIS. Quod corollarium breviter illustrandum est.

1) Sensus propositionis definitur: *a*) Gratia requisita ad merendam vitam aeternam alia est habitualis, alia actualis; actualis autem est alia gratiae habituali acquirendae destinata, alia sub habituali gratia ad opus meritorium agendum collata.

b) Respectus alicuius actus ad supernaturale potest variis concipi gradibus, iuxta quos[5] actus esset vel 1) naturalis quidem, sed a Deo tamquam meritorius acceptatus; 2) supernaturalis in fieri (quemadmodum visus miraculose acceptus), sed non in facto esse; 3) naturalis in re, sed supernaturalis quoad modum; 4) naturalis quoad substantiam, sed supernaturalis, quia meritorius ex gratia; 5) supernaturalis ex subiecto gratiam habente; 6) intrinsece quoad substantiam supernaturalis. Qui ultimus modus hic intelligitur et defenditur.

2) Iam vero *argumento generali,* desumpto ex *Corpore* huius articuli, collata doctrina art. 9, thesis nostra probatur.

[1] *De pecc. mer. et remiss.*, l. I, c. 24. – *P. L.*, t. XLIV, col. 128 sq.
[2] C. 28. – Ibid., col. 140 sq.
[3] MATTH., XII, 30.
[4] *In Ioann.*, tract. LXXXI, n. 3. - *P. L.*, t. XXXV, col. 1842.
[5] Cf. egregium opus cl. PALMIERI, *De gratia,* thesis XXIV.

Certissime enim constat, finem vitae aeternae esse intrinsece supernaturalem. Etenim consistit in divinae consortio naturae, in immediata unione cum Deo per beatificum visionis lumen. Atqui in *Corpore* articuli vidimus, statum viatoris debere conditioni comprehensoris proportionari. Ergo vel illa lex proportionis nulla est et ponitur gratis, vel gratia per quam ista proportio obtinetur est intrinsece supernaturalis. Unde in Concilio Vaticano praeparatus erat canon de gratia Redemptoris (V): « Si quis negaverit per Christum « Redemptorem instauratum esse ordinem supernaturalis « gratiae, A. S. ».[1]

3) Directius iam thesis probatur tum de habituali, tum de actuali gratia:

a) De gratia *habituali*. Etenim in Scripturis haec gratia vocatur potestas filios Dei fieri, inhabitatio Spiritus, charitas Dei diffusa in cordibus, unctio Spiritus, nova creatura, regeneratio, adoptio filiorum Dei, vinculum quo membra capiti Christo in unum corpus coniunguntur, etc. Iam vero hae et similes expressiones aliquid essentialiter, intrinsece supernaturale dicunt ac supponunt, auxilium scilicet quo homo vere, intime supra seipsum elevatur, Deoque coniungitur. Atqui hoc mere salvatur si gratia habitualis supernaturalem habeat vim et excellentiam qualem defendimus: ergo.[2] De qua praecellenti gratia S. Ioannes ait: « Videte qualem « charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et « simus ».[3] De qua charitate pulcherrime affirmat S. Leo Magnus: « Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet Patrem ».[4]

b) Pariter demonstratur de gratia *actuali*, sive coniuncta charitati, sive in ordine ad charitatem collata.

α) Coniuncta enim charitati gratia actualis ideo ad opera meritoria requiritur, quia facultates indigent ad actum a

[1] Cf. HURTER, op. cit., p. 29.

[2] Cf. doctrinam Conc. Trid., sess. VI, *De iustificatione*.

[3] I IOANN., III, 1. Hanc autem adoptivam dignitatem ad nos per Christum verum Dei Filium derivari, S. Paulus hisce verbis proclamat: « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. *

[4] *Serm. VI de Nativ.*, c. VI. - *P. L.*, t. LIV, col. 214.

* EPHES., I, 5. Cf. de hoc principali argumento pulchram expositionem Abbatis MARMION, *Notre prédestination en Jésus-Christ* (op. cit., p. 3 sqq.).

Deo moveri, et insuper in eodem bono, praesertim instante periculo servari. Iam vero quemadmodum haec conservatio, haec motio in ordine naturali est naturalis, ita in ordine supernaturali pertinere debet ad ordinem ipsius charitatis quam evolvit. Haec autem est intrinsece supernaturalis, uti modo demonstratum est. Ergo et gratia actualis intrinsece supernaturalis sit oportet. – Porro β) si talis est gratia actualis charitati coniuncta, talis quoque dicenda erit gratia actualis ad charitatem disponens. Etenim si charitas in statu viatoris debet ex lege proportionis participare dignitatem finis, seu vitae aeternae; eadem proportionis lex requirit ut gratia ad charitatem disponens participet ordinem eiusdem charitatis. Quum ergo haec sit intrinsice supernaturalis, oportet ut gratia ad illam disponens et ipsa sit intrinsece supernaturalis.[1]

c) Insuper thesis nostra evincitur demonstrando aliarum sententiarum debilitatem atque deficientiam. Quas eodem ordine quo supra 1) *b*) prolatae sunt, iam singulas brevissime corripere non pigeat. Deficit prima, quae actum tenet naturalem, sed a Deo uti meritorium acceptatum. Nam sapit Pelagianismum, quia praedicat meritum sine titulo intrinseco in operante, et Lutheranismum, quia collocat iustificationem et praemium in externa acceptatione divina. – Secunda tenens actum supernaturalem in fieri, non in facto esse, procedit ex falsa comparatione. Sub miraculosa actione Dei creatura se habet mere passive; hic se habet vitaliter, imo libere. Ergo vel illa actio ponitur frustra, si actus dicitur naturalis in facto esse; vel iure ponitur, et actus erit ipse in se supernaturalis, quatenus motio supernaturalis elevat facultates ad supernaturali virtute operandum. – Deficit et tertia, nam vel illa distinctio inter gratiam naturalem in re, supernaturalem quoad modum est inutilis, eo unice spectans ut affirmetur, gratiam non esse in homine substantialiter, sed solum ad modum accidentis; vel est omnino reiicienda. Quisnam enim est iste modus accidentalis distinctus ab ipso actu in se? Potestne dari in concreto aliquis actus qui non

[1] Evidens est hic agi solummodo de gratia stricti nominis, immediata, interna, non de gratia latiori sensu dicta. Cf. dicenda in quaestione de divisione gratiarum, et iam superius de hoc discrimine variis locis exposita.

habeat aliquem modum? Praeter inseparabilem modum qualemcumque actui naturae respondentem, si aliquam intensitatem, durationem, etc., cogitas, talis modus non requiritur in actu supernaturali, et potest per ipsam vim facultatis, saltem physice produci. - Deficit et quarta sententia. Ex quanam gratia erit meritorius actus naturalis quoad substantiam? Ex habituali? Tunc negligit rationes quas modo 3) *b*) α) de actuali gratia sub charitate adduximus. Ex actuali? Tunc, - quod et de ipsa habituali valet, - quaeritur praecise, undenam haec gratia opus meritorium reddere possit; et, nisi in errorem sententiae primae incidatur, ratio invenitur in ipsa intrinseca dignitate supernaturali quam gratia actui confert. - Quinta sententia, quae actum tenet supernaturalem ex dignitate subiecti, gratiam habentis, redit obiective in partem sententiae praecedentis. Quid iam de gratiam non habentibus? Quid de gratia actuali gratiam habitualem habentibus concessa? Restat igitur sententia quam defendimus.

d) Quae sententia paucis ita illustratur. Quemadmodum finis hominis est intrinsece supernaturalis et in termino sese iugi actu vitali intrinsece supernaturali, visione divina, explicat; ita quoque ista elevatio in stadio praesentis vitae anticipatur, tum quoad statum ope gratiae habitualis, tum quoad vitalem operationem in hoc statu vel in ordine ad hunc statum ope gratiae actualis productam. Ad hoc sufficit in homine potentia obedientialis sub potenti actione divina. Quae potentia obedientalis quum ex una parte requiratur ut effectus infallibiliter certus, quippe revelatus, obtineri possit, et ex altera nullo rationis argumento certo oppugnari possit, admittenda est a quovis, quem praeiudicia contra religionem christianam concepta non a recto prudentiae tramite dimovent. - Nec contra hanc nostram doctrinam obiici potest impossibilitas discernendi actus supernaturales a naturalibus. Etenim tunc solum in sententia nostra discernibiles eos esse oporteret, si formalitatem supernaturalem in aliqua re externa discernibili collocaremus. Quod, quam falso diceretur, apparet. Nec obstat utrumque actum naturalem et supernaturalem posse habere idem obiectum materiale, et imo idem obiectum, saltem proximum, formale, quum discri-

men consistat in principio activo, actum eliciente; quod principium intrinsecum se habet ad modum causae efficientis. Porro observa, rationem cogentem huius internae qualitatis supernaturalis non desumi a necessitate qualicumque, sed a tali necessitate quae proveniat ex dignitate in ipso actu et in ipso statu agentis requisita.

e) Confirmatur haec nostra doctrina ex historia controversiae Pelagianae et Baianae. Quod Pelagius constanter negabat, erat interna per gratiam elevatio. « Istam quippe « gratiam, qua iustificamur, ait Augustinus, id est qua cari- « tas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum San- « ctum, qui datus est nobis, in Pelagii et Caelestii scriptis, « quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmo- « dum confitenda est, confiteri ». [1] Et: « Hoc est occultum et « horrendum virus haeresis vestrae, ut velitis gratiam Chri- « sti in exemplo eius esse, non in dono eius; dicentes quia « per eius imitationem fiunt iusti, non per subministrationem « Spiritus Sancti ». [2] Hoc est ipsissimum donum, de quo in citato schemate Conc. Vatic., c. 5, praedicatur: « Haec ipsa « opera bona, quae gratia praeveniente, comitante et subse- « quente fiunt, vitae aeternae meritum non habent sine illo « sanctitatis dono, quo iusti cum Christo tamquam mem- « bra cum capite coniuncti et tamquam filii Dei per gratiam « cum Filio Dei naturali consociati sunt ». – Sed et controversia Baiana idem docet. Damnata enim est prop. 13, qua Baius asserit, rationem meriti operibus non a Spiritu Sancto, sed a confirmatione eorumdem cum lege divina inesse.

Ex hucusque dictis collige, quantopere incompleta sit denfiitio quam gratiae tradit Quesnellus: « Dei gratia nihil « aliud est quam eius omnipotens voluntas: haec est idea, « quam Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis ». [3] Non absimili vitio Arnauld vocat gratiam: ipsum actum creaturae deliberatum. Prima definitio non considerat nisi

[1] *De grat. Christi,* c. 30.

[2] *Op. imp. ctr. Iul.*, l. II, c. 146.

[3] Prop. 19. Utique Patres, tum Latini, tum Graeci insistunt in motionem divinam, in voluntatem divinam, quae per gratiam exprimitur (ita gratia ab eis vocatur τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, ἡ τοῦ θεοῦ ῥοπή, ἡ θεία νίκησις, ἡ τοῦ Λόγου χεὶρ. Cf. Katschtaler, p. 60); sed nullo modo istae locutiones excludunt modum quo vitaliter et libere gratia movet facultates supernaturali qualitate et virtute adauctas.

terminum a quo, altera nonnisi terminum ad quem. Porro inter utrumque praecise est illud donum internum, intrinsece supernaturale, quo animae confertur facultas merendi et supernaturaliter agendi. - Collige pariter, quam imperfecte recentiores Hermes, Hirscher, Günther, de quibus superius egimus, gratiam ad auxilium quoddam medicinale contrahant.

Si iam quaeris *de gradu certitudinis* sententiae quam modo exposuimus, distinguendum videtur, iuxta quadruplicem gratiam cui applicatur.

a) Gratiam *habitualem gratum facientem* esse intrinsice supernaturalem, implicite de fide putamus; quum necessario sequatur ex doctrina de hoc dono definita et expresse in Scripturis contenta. - *b*) Eodem quasi titulo implicite de fide videtur, gratiam actualem charitati praeeuntem, ad eamque *perfecte* praeparantem, intrinsice supernaturalem esse, id est, quando eius terminus est ipsa gratiae infusio per charitatis actum.

Minus certo constat, sed nihilominus uti communissima sententia eadem conclusio tenenda est: *c*) tum de gratia actuali in habitualem gratiam habentibus *ad opus meritorium requisita*; *d*) tum de gratia actuali *imperfecte* ad charitatem praeparante. Ratio autem pro utraque est valde distincta et maior nobis videtur adesse certitudo pro illa quam pro ista. Caeterum confer dicenda in articulo IV, Q. CXIV, cum praesenti intime connexo.

Quaeres. - Quousque urgenda sit haec lex proportionis inter media quibus homo heic disponitur in finem supernalem, et finem eumdem peracta hac mortali vita attingendum.

Antequam huic quaesito respondeamus, duae distinctiones praemittendae sunt.

a) Alia potentia Dei absoluta, quae non alium habet limitem nisi ea quae intrinsece repugnant; alia potentia Dei ordinata, non eo dumtaxat sensu, quatenus exsequitur ea quae sapientia dirigit et voluntas decernit; sed quatenus intenditur relate ad omnes perfectiones divinas.

b) Aliud est prorsus, hominem, si naturalibus viribus recte vixerit, a Deo, peracta hac vita, in finem beatitudinis

supernaturalis transferri; aliud, hominem hunc finem naturae viribus absque gratia mereri.

His praemissis respondemus.

1) Non absolute repugnat ut homo, absque auxilio gratiae in hac vita recepto, beatitudinem supernaturalem ex divina bonitate accipiat. Sed hoc videtur potentiae divinae ordinatae minus consonum. Repugnat autem absolute hominem absque gratiae auxilio hanc beatitudinem accipere in meritum. Bene de hoc scribit Ferrariensis: « Non idcirco « ponimus hominem indigere divino auxilio ad consequen- « dam beatitudinem, quasi Deus non possit de potestate « absoluta dare beatitudinem non habenti tale auxilium, aut « non possit hominem sine tali gratia ordinare et receptare « in beatitudinem: hoc enim divinae potentiae non repugnat; « sed quia sine tali auxilio, quae est gratia, homo non potest « consequi beatitudinem, tamquam formaliter et intrinsece « dignus beatitudine, et tamquam opera, sine tali auxilio, sint « formaliter vitae aeternae meritoria ». Etenim, ut addit, « si « Deus talia opera acceptet, non erit nisi ob dignitatem « quamdam extrinsecam ex acceptatione divina ».

Ratio autem ob quam, absque auxilio gratiae, meritum repugnat, est ipsa supernaturalis finis excellentia, ad quam creatae naturae vires nullam habent proportionem. Egregie id illustrat S. Bonaventura in mirabili opera cui titulus *Breviloquium:* « Cum primum principium productivum pro sua « summa benevolentia fecerit spiritum rationalem capacem « beatitudinis aeternae; et reparativum principium capaci- « tatem illam infirmatam per peccatum reparaverit ad salu- « tem; et beatitudo aeterna consistat in habendo summum « bonum, et hoc est Deus, et bonum excellens impropor- « tionabiliter omnem humani obsequii dignitatem; nullus « omnino ad illud summum bonum dignus est pervenire, « cum sit omnino supra omnes limites naturae, nisi a Deo « condescendente sibi, elevetur supra se. Deus autem non « condescendit per sui essentiam incommutabilem, sed per « suam influentiam ab ipso manantem; nec spiritus eleva- « tur supra se per situm localem, sed per habitum dei- « formem. Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus « fiat aeternae beatitudinis, quod particeps fiat influentiae

« deiformis ». Et paucis interiectis excellentiam huius doni deiformis ita celebrat: « Quoniam nullus Deum habet, quin « ab ipso specialiter habeatur; nullus habet et habetur a Deo, « quin ipsum praecipue et incomparabiliter diligat et dili- « gatur ab eo, sicut sponsa a sponso; nullus sic diligitur, « quin ad aeternam beatitudinis haereditatem adoptetur pro « filio: hinc est, quod gratia gratum faciens facit animam « templum Dei, sponsam Christi et filiam Patris aeterni. Et « quia hoc non potest esse nisi ex summa dignatione et con- « descensione Dei; ideo illud non potest esse per habitum « aliquem naturaliter insertum, sed solum per bonum divini- « tus gratis infusum, quod expresse apparet, si quis ponde- « ret quantum est esse Dei templum, Dei filium, Deo nihi- « lominus indissolubiliter et quasi matrimonialiter per amoris « et gratiae vinculum copulatum ».[1]

ARTICULUS VI.

UTRUM HOMO POSSIT SEIPSUM AD GRATIAM PRAEPARARE PER SEIPSUM ABSQUE EXTERIORI AUXILIO GRATIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** – Ex doctrina praecedentis articuli sequitur contra Pelagianos absoluta necessitas gratiae in ordine ad supernaturalem finem. Quum igitur tantopere gratia necessaria sit, magni interest scire quomodo acquiratur: utrum scilicet homo possit propriis viribus primum ad eam gressum movere, an initialis ad eam motus debeat iam esse a gratia. Patet, hic agi de primo Semipelagianorum errore, quo *initium fidei* a necessitate gratiae internae eximebant. Quum autem summi momenti sit determinare quo sensu et qua ratione Semipelagiani hunc errorem sustinuerint, quaedam de hoc argumento praemittenda visa sunt.

Dissertatiuncula de mente Semipelagianorum.

1) *Semipelagianorum*[2] praeoccupatio fundamentalis fuit pontem sternere inter naturam lapsam, cuius miseriam ultro agnoscebant, et gratiam Christi, cuius tum gratuitatem tum

[1] Pars v, cap. 1. – Cf. egregiam disputationem Suarez (op. cit., l. II).

[2] Consule de vero Semipelagianorum systemate litteras Prosperi et Hilarii ad Augustinum, cum responsionibus Augustini, scilicet libris *De praedestinatione San-*

necessitatem contra Pelagium alta voce vindicabant. Iam vero, dum pons nullus alius est quam benignitas Salvatoris, Deique misericordia, illi in natura lapsa aliqualem capacitatem veluti superstitem excogitarunt, non quidem merendi gratiam, sed eam desiderio pio efficaciter efflagitandi. Hoc est illud quod vocant fidei penes naturae vires initium.[1]

2) Haec autem fides non est fides, quam theologicam virtutem nuncupamus, sed pius ex initiali, latenti fide, credulitatis affectus, seu credendi voluntas; quae voluntas duos gradus habet: primum, qui residet in initiali pia voluntate, alterum, qui consistit in pio studio consequendi huius piae voluntatis obiectum. Iuxta hos duos gradus interpretabantur illud Pauli: « Non volentis » (en primum gradum), « neque currentis » (en alterum), « sed miserentis est Dei »[2] (en veram gratiae collationem). Imo utrumque gradum reperiri contendebant in verbis Domini: « Vigilate » (en primum) « et orate » (en alterum).[3] Eodem modo ad suum placitum trahebant alterum Pauli effatum: « Velle adiacet mihi » (en initium fidei ex naturae lapsae viribus), « perficere autem bonum non « invenio »[4] (en gratuitam gratiae collationem).

3) Porro quoad evolutionem huius initialis pii affectus antequam ad suam cum gratia perfectionem perveniret, alii aliis mitius iudicabant. Prudentiores enim iam spatium gra-

ctorum, in quo magis initium fidei ex gratia, et *De dono perseverantiae,* in quo specialem perseverandi gratiam vindicat; necnon librum Fulgentii * cui titulus: *De veritate praedestinationis et gratiae ad Ioannem et Venerium.* ** Insuper consule *Collationes Cassiani,* l. XIII. De evolutione mentis Augustini, lege FAURE, in *Enchirid.,* c, 32. Cf. et doctissimam expositionem Petavii.

[1] Ipsum Augustinum antequam episcopus crearetur, hunc errorem tenuisse, tum ex scriptis ab eo hoc tempore exaratis (*Propos. ex epist. ad Rom.,* expos. n, 60-62), tum ex posterioribus eiusdem retractationibus constat (l. I, c. 23). Unde historicam veritatem offendit Iansenius qnando dicit, Augustinum ab initio suae conversionis huic errori fuisse adversum, quum ipse fateatur, se per colloquium cum « spiritua- « libus viris » ad sanius iudicium fuisse perductum. Cur autem Iansenius ita egerit, ex quarta ex damnatis eius propositionibus apparet.

[2] ROM., IX, 16.

[3] MATTH., XXVI, 41.

[4] ROM., VII, 18.

* Sex insuper libros contra Faustum Fulgentius scripsit, sed ad nos usque non pervenerunt.

** Utrum iste Ioannes sit ille scytha monachus, Maxentius quoque nuncupatus, inter eruditos disputatur.

tiae concedebant inter initialem affectum, seu fidei initium, et fidei augmentum. Quod initium fidei medium fuisse iuxta illos videtur inter velle credere, seu pium credulitatis affectum, et fidei augmentum. Initium autem fidei ita vocabatur, vel quia non continebat nisi implicitam christianae veritatis professionem, vel quia nondum habebat plenam virtutem, quae ad morum conversionem iuxta normas Evangelii requiritur.

4) Quidquid sit de istis differentiis, omnes Semipelagiani illis actibus initialibus, quos in naturae viribus collocabant, ea adhibebant principia, quae Pelagiani quoad gratiam ad omnes actus extendebant. Quare vix veritatem offendes, si discrimen inter utramque haeresim materiale potius quam formale vocaveris. Etenim de illis actibus ad gratiam disponentibus praedicabant: *a*) illos tam bene in potentia esse voluntatis quam actus malos; *b*) proin Deum ad illos non posse intrinsece movere efficaciter, neque eos praedestinare; [1] *c*) actionem internam Dei ad illos promovendos esse reiiciendam non solum uti inutilem aut non necessarium, sed imo uti impossibilem: Deum enim posse « reluctanti studium « virtutis » immittere, absurdum putabant; *d*) gratiam proin, quae ex Scripturis ad hos actus extendenda apparet, contendebant non esse nisi gratiam in uno ex sensibus quos gratiae concedebant Pelagiani. [2]

5) Dum autem Semipelagiani discrimen inter opus fide et opus charitate informatum ita urgebant, ut primum naturae possibile, alterum per gratiam complendum assererent, charitatem seu gratiam, vellent nollent, de sua celsitudine detraxerunt. Licet enim ab invicem distinctae, ad eumdem

[1] Cf. Prosp., *Ep. ad Aug.*, n. 4: « Consequens putant ut, quia praevaricator ideo « dicitur non obedisse quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, « quia voluit; et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, « parique momento animum se ad vitia et ad virtutes movere, quem bona appetentem « gratia Dei faveat, mala sectantem damnatio iusta suscipiat ». Idem, *Carm. de ingr.*, vv. 686 seqq.

... Ut tam ex iudicio (arbitrio) constet cuiusque quod intrat,
Quam quod non intrat; ceu par in utrumque facultas
Suppetat, et tam sit proprium bona quam mala velle.

[2] Ita servabant locutiones Scripturae: « Compelle intrare » et « tractionem Dei ». Cf. Cassian., op. cit., l. 3, c. 4.

nihilominus ordinem fides et charitas pertinere dicendae sunt. Nec mirum proin quod gratia Semipelagiana, seu, uti aiebant, « gratia salvans », « gratia operandi », supernaturalem suam dignitatem quasi omiserit, utpote redacta ad munus reparandi quod peccato fuerat vitiatum, evocandique virtutum semina quae post lapsum, abscondita licet et prope emortua, radicitus adhuc in natura supererant. Lege comparationes a Cassiano afferri solitas, et videbis intimum nexum qui Semipelagiano errori conceptum moderniorum quorumdam theologorum coniungit.

6) Consequens autem huius systematis, - quemadmodum egregie ostendit Scheeben, [1] - est, ordinem qui inter voluntatem humanam et gratiam exsistit, fuisse a Semipelagianis etiam sub charitate perturbatum. Catholica quippe doctrina docet, gratiam praevenire voluntatem, eamque in opus bonum movere; Semipelagiani e contra concipiunt voluntatem uti incipientem, gratiamque, tamquam pedissequam, voluntatem perficientem. Quare non ex toto, sed unico gradu solum a Pelagianis recedebant. Pelagiani enim dicebant, gratiam Dei, si quam admittebant, secundum naturae merita ex iustitia dari; Semipelagiani verba « ex iustitia » mutabant in verba « ex pietate »; dum doctrina catholica tenet, gratiam, etiam ad quodvis salutare initium, dari ex gratuita Dei electione et misericordia.

7) Ratio autem cur ita Semipelagiani senserint, triplex fuisse videtur: abhorrebant *a*) ab initiali discretione, ne Deum acceptionis personarum insimulare; *b*) ab interna ipsius voluntatis per gratiam motione, ne liberum arbitrium infirmare; demum *c*) a perseverantiae speciali dono, ne totum systema suum de virtute pii conatus voluntatis pervertere cogerentur.

Quorum errorum aliquomodo fundamenta fuerunt falsa et vere Pelagiana axiomata: radicitus humanam voluntatem tantopere valere ad bonum quam ad malum; nec voluntati in meritum tribui posse quod per gratiam producitur, nisi quatenus gratia perficit opus libere et absque gratiae motu

[1] Op. cit., l. VI, § 290 *Die Semipelagianische Lehre*, quam dissertationem in multis quae hic habentur secuti sumus.

a voluntate incoeptum. Etenim gratiam, qualem vindicabat Augustinus, talem sibi figurabant, quae infallibili efficacia effectum secum trahens, fatalem induceret necessitatem.[1] A quo ut declinarent, praevenienti voluntati nimias partes tribuerunt.

8) Hinc apparet, in hoc systemate Deum non esse in propria vocis significatione auctorem salutis, quin potius hominem seipsum ad salutem discernere; nec locum amplius esse praedestinationis mysterio, quum praedestinatio ad salutem nihil addat eventui quam aeternam praescentiam, ac proin a praevisione de damnandis essentialiter non distinguatur. Imo tantopere piae voluntatis dispositionem, gratiam quasi appellantem, collationi gratiae praerequiri Semipelagiani putabant, ut nec infantibus ante usum rationis iustificationem per baptismum dari concederent, nisi ex bona eorum voluntate, absolute, si essent ad rationis usum perventuri, secus nonnisi conditionate praevisa. Ubi rursus vides intimum nexum inter hunc antiquum errorem et doctrinam moderniorum theologorum de quibus eodem loco diximus.

9) Porro maximi interest ut clare determinetur, quousque Semipelagiani ab initio fidei ad gratiam disponente excluderent gratiam. Ab hoc enim pendet recta intellectio tum, partim saltem, damnationis huius erroris, tum evolutionis dogmatis in scholarum doctrina.

Etenim si, quemadmodum sonat quarta propositio damnata Iansenii, Semipelagiani admittebant « praevenientis gratiae « interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium « fidei », proscriptio eorum doctrinae aliud respicere debebat, quod pronum erat invenire in hoc « quod, iuxta eumdem « Iansenium, vellent eam gratiam talem esse cui posset « humana voluntas resistere et obtemperare ». Quae interpretatio, uti iacet, post iudicium Innocentii X, iam a quovis catholico est habenda « falsa » et « haeretica ». Non ideo

[1] Ex hac imaginatione apparet, errare Iansenium et aliquos Thomistas, quando contendunt, Semipelagianos aliquam utique praevenientem gratiam admisisse, sed cui voluntas libere resistere posset. E contra, quum gratiam illam praevenientem non intelligerent possibilem nisi Iansenianam, libertatem quippe tollentem, talemque prorsus recusarent, nullam dari praevenientem gratiam docere maluerunt.

tamen de hoc argumento controversiae sopitae sunt. Macedo enim, Franciscanus Scotista singularitatum amator, defendit, aliquos saltem Semipelagianos gratiam hanc praevenientem necessariam admisisse. Huic iudicio, sat conformi ipsi Iansenio,[1] subscripserunt nimis facile Thomistae magni nominis, uti Salmanticenses et Gonet; qui tamen ultimus, quum Natalis Alexander, licet Thomista, contrarium probasset, errorem suum agnovit, seseque, laudabili sane exemplo, in sequenti *Clypei* editione et in *Manuali Thomistico* non retractavit modo, sed et confutavit.[2] Mitius Goudin et Billuart opinati sunt, Semipelagianos gratiam praevenientem non admisisse nisi illuminationem intellectus; voluntati autem, iuxta eos, gratiam quidem praevenienter offerri, at, non nisi consequenter ad consensum voluntatis, de facto ad opus bonum exsequendum conferri. Petavius autem distinctionem inter gratiam intellectus et voluntatis non tribuit Semipelagianis pro fidei initio, pro quo nullam eos exegisse gratiam docet, sed pro operibus bonis, ad quae priorem tantum eos exegisse putat; durius quidem, sed forte logice, systema Semipelagianum interpretatus.[3]

Summum in hac quaestione concedendum nobis esse videtur, aliquos Semipelagianos sat confuse, imo contradictorie esse locutos. Caeterum tam subtilis erat error, ut interdum eamdem sententiam in sensum catholicum et haereticum potuerint interpretari. Ita explicatur quomodo, tempore controversiae de praedestinatione (saec. IX), in actibus Ecclesiae Lugdunensis receptus sit, ut orthodoxus, quidam locus de *Ecclesiasticis dogmatibus,* libro probabilissime a Gennadio Massiliensi conscripto, sed a scholasticis inter Augustini opera habito.

[1] *De haeres. Pelag.,* l. 8, c. 6.

[2] Hoc non impedivit fanaticum Serry, quin Gonetum pro Ianseniana sua sententia afferret, citata editione praecedente, nullaque retractationis habita cura. Insuper idem tribuit Lemos sententiam oppositam sententiae quam hic in *Panoplia* (loc. cit., p. 1. tr. 5, c. 13) defendit.

[3] *Hist. contr. de auxil.,* l. 5, 6, c. 3. - Hinc vides, qua aequivocatione Wirceburgenses et Berti putaverint, Petavium concessisse primam partem sententiae Goudin et Billuart. (E contra isti mitius iudicarunt de Semipelagianismo, ille durius). Quam sententiam Berti certe non sine aliqua temeritate « indubitatam » appellavit (l. 15, c. 5). Cf. SCHEEBEN, op. cit., n. 228.

10) Igiturne, quaeret aliquis, in nullo conveniunt Semipelagiani cum Molinistis? Certum est, nonnullas Thomistas tum de Molinistis durius, tum de Semipelagianis mitius iudicasse, ut ita utrosque quasi convenire appareret. Sed, missis istis parum sane laudandis excessibus, nonne theologo a studio partium alieno quasi obvium est, in aliquibus punctis utrosque, si non ex toto conveniant, saltem parum ab invicem differre? Conveniunt certe in reiicienda gratia Iansenianа, quae fatalismum inducit. Imo conveniunt in reiicienda tali motione gratiae, quae directe in ipsam electionem influat; quatenus utrique actionem liberi arbitrii sub gratia magis a gratia distinguunt quam S. Augustinus et S. Thomas. Iam vero hoc discrimen inter illos et hos Doctores totam quaestionem de gratia pervadit, seseque manifestat tum in gratuitate iustificationis primae, tum in cooperatione voluntatis sub motione gratiae, tum in perseverantia et praedestinatione. Vix unquam contigit nobis celebres Prosperi et Hilarii ad Augustinum epistolas legere, quin in querelis Semipelagianorum quaedam prope Molinistice sapere visa sint; nunquam vicissim responsiones Augustini pervolvere contigit, quin hos libros a Molinista conscribi posse, miraculum haberemus. Discrimen, imo ingens, inter Molinismum et Augustinianismum vel genuinum Thomismum qui negat, nobis historicae et hermeneuticae veritatis iura pervertere videtur. Hoc autem discrimen limites catholicae doctrinae *non excedere, alte fatendum est.*

11) Non enim omnia et singula, quae in controversia cum Semipelagianis « in laudem gloriae gratiae »[1] Augustinus scripsit, dicenda sunt auctoritate publica Ecclesiae probata, nec uti talia tenenda. *Indiculus capitulorum,* sub nomine *Caelestini I* confectus,[2] ita concludit: « *Profundio-* « *res vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum,*

[1] Ephes., i, 6.

[2] Probabile valde videtur, hunc *Indiculum* a Prospero, post mortem Caelestini, in unione cum Sixto vel Leone I fuisse compositum, additumque epistolae Caelestini ad Gallos, ut ita, quin Sancta Sedes directe interveniret, Semipelagiani ad quietem redigerentur. Titulus *Praeteritorum Sed. Ap. episcoporum auctoritates de gratia Dei,* suadet « expressa capitula, quae in ecclesiasticis scriniis continentur », ad quae papa Hormisdas Possessorem remittit in quaestione Fausti Rhegiensis, nihil aliud quam ipsum *Indiculum capitulorum* indicare. Cf. Schreben, op. cit., § 290, n. 231 sqq.

« quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut « non audemus contemnere, ita *non necesse habemus ad-* « *struere*, quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac « dignitati nihil penitus subtrahendum est, *satis sufficere* « credimus, quidquid secundum praedictas *regulas Aposto-* « *licae Sedis* nos scripta docuerunt, ut prorsus non opine- « mur catholicum, quod praefixis sententiis apparuerit con- « trarium ».

Quo ex loco habemus, profundiores quidem subtiliores-que Augustini disputationes de gratia non ab Ecclesiae authentico iudicio fuisse propositas uti catholicae doctrinae normam ab omnibus sequendam; ita tamen ut declaretur, « operi « ac dignitati gratiae nihil penitus substrahendum esse ». Producant igitur priorem partem huius textus fautores sententiae quae plus tribuit libero arbitrio, dummodo alteram partem non omittant; nec vicissim propugnatores sententiae quae plus tribuit gratiae, huic alteri tantopere insistant, ut priorem partem praetergrediantur, aut a vero et obvio sensu detorqueant.

12) Porro *regulae Apostolicae Sedis*, de quibus in eodem textu fit mentio, ad tria doctrinae capita reducuntur. *a*) Primum affirmat, initium cuiusvis affectus vel studii salutaris esse a Deo: « His ergo ecclesiasticis regulis, et ex divina « sumptis auctoritate documentis ita, adiuvante Domino, « confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque « operum et omnium studiorum omniumque virtutum qui- « bus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur « auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia homi- « nis merita praeveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle « incipiamus et facere ». - *b*) Secundum proclamat, contra illos qui catholicam doctrinam calumniabantur, sub hac Dei gratia ad quodcumque salutare bonum praeveniente ac movente, libertatem non solum veram servari, sed et liberari: « Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum « arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo « rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. « Tanta enim est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit « esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his quae lar- « gitus est, aeterna praemia sit donaturus. Agit quippe in

« nobis, ut quod vult et velimus et agamus, nec otiosa in « nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda dona- « vit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei ». - *c*) Tertium proclamat, perseverantiam in bona voluntate esse speciale Dei donum: « Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remis- « sione languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat « omnes languores nostros et redimit de interitu vitam no- « stram, et cui quotidie dicimus: ne inducas nos in tenta- « tionem, sed libera nos a malo ».[1]

Iam vero inter catholicas scholas de his tribus convenitur, ita ut de primo vix sit aliqua inter varia systemata nec quoad modum discrepantia; de tertio tamen, ac praesertim de secundo, concordia sit quoad rem, controversia autem quoad modum.

13) Tantopere autem doctrina Semipelagianorum de initio fidei a *Gelasio* habita est uti iam ab Ecclesia damnata, ut illam Pelagianis ipsis adscribat: « Illud autem Pelagia- « norum peculiare virus est olimque detritum, quo putant « gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri. « Quis autem audeat dicere Christianus, *aliquid* se habere « boni sine gratia, quando magister gentium clamat, *cuncta* « breviter in se dona concludens: " Gratia Dei sum id quod « sum, et gratia eius in me vacua non fuit ,, ; ut ostenderet, « quia donum gratiae *non ipse praecesserit, sed fuerit sub-* « *secutus,* atque monstraret cooperatorem se esse gratiae « subsequendo: " sed plus omnibus, inquit, illis laboravi ,,. Ac « rursus veritus, ne de se praesumere videretur, adiunxit: « " non ego, sed gratia Dei mecum ,,. Non dixit: ego et gratia « Dei mecum, *sed praeposuit gratiam praecedentem,* sese- « que subiunxit. Quid autem haberi posset sine gratia, *quum* « *sit fides ipsa per gratiam,* eodem Apostolo nos docente: « " Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem ,,, nec « aliud est misericordia divina quam gratia ».[2]

[1] In epilogo *Indiculi.*

[2] *Ep. 6 ad Episc. Pic.* (THIEL., p. 332). Idem Gelasius (494) opuscula Cassiani et Fausti Pelagiensis declaravit « apocrypha », quae non recipit Ecclesia; iudicium directe oppositum iudicio quod Hormisdas de operibus S. Augustini, in epistola ad Possessorem, tulit, ubi ait, in variis libris S. Augustini, *praesertim in duobus ultimis* (resp. ad quaestiones Prosperi et Hilarii) facile quemque agnoscere posse, quamnam doctrinam de libero arbitrio et gratia Dei teneat Ecclesia Romana.

14) Iam ad doctrinam *Concilii Arausicani II.*[1] Fundamentum decretorum huius Concilii, teste eorumdem prologo, sunt capitula « quae ab antiquis Patribus de sanctarum Scri- « pturarum voluminibus in hac praecipue causa collecta « sunt ». Haec autem capitula, 25 numero, in duas partes dividuntur. Octo priora ex ordine iuxta Scripturas doctrinam catholicam Semipelagiano errori opponunt. Reliqua decem et septem, sine apparenti ordine eidem errori selectas ex Patribus, maxime ex Augustino, propositiones congerunt. Octo capitula primam partem constituentia respondent octo canonibus Concilii Carthagin., quibuscum pari passu quinque priora incedunt. Praemisso (1, 2) dogmate laesae libertatis per originalem culpam et mortis animae inde pro omnibus hominibus secutae, ostenditur (3, 4, 5) gratiam non ex humana, sed ex supernaturali iam per gratiam inspirata petitione eam habendi concedi; quin et desiderium, cui petitio haec innitur, non a Deo exspectari, sed « per Spiritus « Sancti infusionem et operationem » produci; imo initialem fidem, sine qua nec desiderium nec petitio concipi possunt, iam esse fructum initialis gratiae: « sicut augmentum, ita « etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum per inspi- « rationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram « ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem »; secus enim omnes possent homines ut fideles « quodammodo » haberi. - Hanc totam doctrinam,[2] cap. 6 quasi synthetice ita exponit: « Si quis sine gratia Dei credentibus, volenti- « bus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, « studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus, nobis « misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut cre- « damus et velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere « valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus « in nobis fieri confitetur; et aut humilitati aut obedientiae « humanae subiungit gratiae adiutorium, nec, ut obedientes

[1] Huic concilio (529) praefuit Caesarius Arelatensis, auctor libri *De gratia et libero arbitrio,* olim celeberrimi, sed postea deperditi.

[2] Haec capitula, à Felice V transmissa, forte sunt ipsissima decreta Concilii, quibus Patres solum addiderunt epilogum his verbis incipientem: « Et sic secundum « subscriptas sanctarum Scripturarum sententias vel antiquorum Patrum definitio- « nes praedicare debemus et credere ». Cf. infra.

« et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, « resistit Apostolo dicenti: " Quid habes quod non accepi- « sti? „ et " Gratia Dei sum id quod sum „ ». [1] Sequens cap. 7 iam superius [2] quoad partem citatum, hic rursus sed integrum afferre iuvat. Insistit enim in modum quo haec gratia praeveniens in facultates nostras operatur, ita magis evolvens doctrinam quae iam in fine cap. 6 indicabatur. « Si « quis per naturae vigorem bonum aliquod quod ad salu- « tem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eli- « gere, sive salutari id est evangelicae praedicationi con- « sentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione « Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in credendo « et consentiendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intel- « ligens vocem Dei in Evangelio dicentis: " Sine me nihil « potestis facere „, et illud Apostoli: " Non quod idonei simus « cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia « nostra ex Deo est „ ». - Cap. 8 directe dirigitur contra Cassianum, qui necessitatem misericordiae Dei praevenientis, ad illos limitabat, quos personalis culpa a Deo avertisset. « Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, « quod in omnibus, qui de praevaricatione primi hominis « nati sunt, esse vitiatum constat, ad gratiam baptismi venire « posse contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non « omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis « asserit infirmatum, aut certe ita laesum putat, ut tamen « quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis « aeternae per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit « contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed « neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater « attraxerit, sicut et Petro dixit: " Beatus es Simon Bar-Iona, « quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus « qui in caelis est „; et Apostolus: " Nemo potest dicere « Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu Sancto „ ».

Ex secunda parte placet citare cap. 20, quia pulcherrime profundam doctrinam contrahit: « Multa Deus in homine

[1] Remittimus ad locum proprium considerationes circa utilitatem quam ex his Concilii Arausicani sententiis desumere potest theologus addictus sententiae Augustini de influxu gratiae in ipsam praevenientis gratiae acceptationem.

[2] In illustratione art. 1, *Sed contra est*, p. 96.

« facit bona, quae non facit homo » (scil. bona gratiae praevenientis in nobis sine nobis operantis); « nulla vero facit homo bona, quae non praestat Deus ut faciat homo » (scil. per gratiam cooperantem, – vel ad exclusionem operis vere boni sine gratia) ».

In epilogo autem Concilium totam doctrinam ita definit, ut illam simul a prava interpretatione defendat, praedestinationis mysterium ab impia detorsione vindicando. « Ac « sic secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum sen- « tentias vel antiquorum Patrum definitiones hoc Deo pro- « pitiante et praedicare debemus et credere, quod per pec- « catum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit « liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum « sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter « Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum et miseri- « cordia divina praevenerit. Hoc etiam secundum fidem catho- « licam credimus quod, accepta per baptismum gratia, omnes « baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salu- « tem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare vo- « luerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina pote- « state praedestinatos esse, non solum non credimus; sed « etiam, si qui sint qui tantum malum credere voluerint, « cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc autem « salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere « bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam « adiuvamur; sed ipse nobis, nullis praecedentibus bonis me- « ritis, et fidem et amorem suum prius inspirat, ut et bapti- « smi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum « cum ipsius adiutorio ea quae sibi sunt placita, adimplere « possimus ».

Cuius epilogi nexus ut facilius penetretur,[1] prae oculis habendum est, Concilii Arausicani scopum fuisse restituendam Ecclesiis Galliarum pacem. Quare procedit cum gradatione; in initio sternit fundamentum, post controversias Pelagianas dupliciter inconcussum, dogma scilicet peccati originalis, secum trahens dogma misericordiae divinae hominem lapsum necessario praevenientis. Quo in dogmate impli-

[1] Dubitamus utrum hoc loco Scheeben intentum omnino praestiterit (op. cit., n. 240).

cite continetur quaedam discretio initialis. Ne autem haec discretio ultra limites urgeatur, Concilium immediate duo adiungit: *a*) hominem, facta hac initiali discretione, iam de caetero posse, positis ponendis, tum a parte gratiae, tum a a parte fidelis laboris, opera salutis implere; *b*) nullum, nec inter non discretos initialiter, ad malum praedestinari. Verbo: dari praedestinationem ad salutem, - quod ex discretione initiali iam constat; non autem ad damnationem, - quemadmodum adversarii Augustini ex ipsius doctrina sequi calumniabantur. Remota igitur hac falsa imaginatione, Concilium, quod hucusque implicite et quasi negative tradidit, iam explicite proponit: initium scilicet semper esse a gratia, tum ad incipiendum, tum ad consummandum.[1] Fatendum tamen, Concilium minus expresse de perseverantia loqui quam de initio.

Quo clarius autem constet, qua mente summa Ecclesiae auctoritas acta Synodi Arausicani rata habuerit, audi verba *Bonifacii II* eadem confirmantis: « Fraternitatem tuam cum « quibusdam sacerdotibus Galliarum iuxta fidem gaudemus « sensisse catholicam: in his, scilicet, in quibus definierunt, « *fidem* qua in Christo credimus, gratia divinitatis praeve- « niente conferri, adiicientes etiam, *nihil esse secundum Deum* « *boni,* quod sine Dei quis gratia aut *velle,* aut *incipere,* aut « *operari,* aut *perficere* possit, dicente ipso Salvatore nostro: « " Sine me nihil potestis facere „. Certum est enim atque « catholicum, quia in *omnibus bonis,* quorum caput est *fides,* « nolentes nos adhuc misericordia divina *praeveniat ut veli-* « *mus, insit nobis cum volumus, sequatur autem ut in fide* « *duremus* ».

Inspectis igitur actibus Concilii Arausicani necnon approbatione eiusdem, apparet, tum Patres, tum Romanos Pontifices, in via *Indiculi* perstantes, « profundiora » et « diffi- « ciliora » non directe tetigisse, quo magis de certioribus concordiam et pacem firmarent. Ita factum est, ut de Sanctorum praedestinatione prope nihil in his actibus occurrat, imo excessus ab adversariis doctrinae Augustinianae tributi

[1] Cf. doctrinam Concilii Arausicani cum duodecim propositionibus, quas Augustinus Vatali Carthaginiensi, Semipelagiano confesso, tamquam catholicam certo doctrinam opponit (*Epist. 217,* al. 107, an. 427). Cf. et n. 51 et 65.

explicite damnentur;[1] ita quoque, quum apertius constet, initium fidei speciale esse donum gratiae quam perseverantiam, haec nonnisi implicite, illud autem maxime explicite in actibus Arausicani Concilii propugnatur.

Ideone credendum est, hoc Concilium et Bonifacium Augustini sententiam minus probasse? - Absit! Imo directe ex fundamentis communibus Sancto Doctori ac Patribus, ex eadem argumentationis via, ex allatis Scripturarum sententiis, contrarium solide evincitur.

Sed et indirecte idem probatur tum ex testimonio papae Hormisdae, Augustini, praesertim quam in ultimis duobus libris exponit doctrinam vindicantis; tum ex libro *De vocatione omnium gentium*, cuius auctor anonymus, si non est ipse Leo I, saltem in Romana Ecclesia magni habebatur, quum a Gelasio papa « quidam Ecclesiae magister » nominetur. Caeterum non solus Augustinus, sed cum ipso Prosper[2] et Fulgentius,[3] eamdem doctrinam, quasi nomine ipsius Ecclesiae, contra gratiae detractores propugnarunt.

His de Semipelagianismo praemissis, iam ipsum Angelici articulum illustremus.

II. **Ad Textum**. - *1ª Obi.* Observa expressionem, - quae etiam in titulo occurrit, - « absque *exteriori* auxilio gratiae », dum in *Corpore* habemus: « auxilium gratuitum Dei *interius* « animam moventis ». Contradictio non est nisi apparens. Etenim idem auxilium potest vocari exterius vel interius, secundum quod consideratur cum respectu ad Deum, uti distinctum ab ipsis facultatibus animae, vel ad obiecta externa in easdem facultates agentia. Priori modo sumitur in obiectione; altero modo in articuli *Corpore*. Quoad doctrinam in solutione obiectionis contentam cf. dicenda post *Corporis* expositionem.

[1] Haec damnatio respiciebat quoque Lucidum praedestinatianum, contra quem Faustus librum *De gratia et libero arbitrio* conscripsit.

[2] *Responsiones ad excerpta Genuensium*. - *Responsiones ad cap. obiect. Gallorum et Vincentianorum*. - *Contra Collatorem*.

[3] *Libr. I ad Monimum* contra falso explicatam doctrinam praedestinationis S. Augustini. - *Libr. III de praedest. et grat.* - *Epist. ad Petrum de Incarn. et grat.* - *Contra Faustum*. - Probabil. « *Epist. Synod.* » episcopor. African. exul. contra Faustum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2ª Obi. Distinguendus est sedulo sensus axiomatis: « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam ».[1] Si 1) intelligis: facienti quod in se est, sed praeveniente gratia *actuali* et cooperante eadem, Deus non denegat gratiam *habitualem;* verum dicis, iuxta doctrinam huius articuli, cum moderamine articuli tertii Q. CXII, intimo nexu cum praesenti coniuncti. Si 2) intelligis: facienti quod in se est, viribus mere naturalibus, Deus non denegat gratiam, sive actualem ad gratiam habitualem ordinatam, sive immediate ipsam gratiam habitualem, ex nexu scilicet proportionis inter talem conatum et gratiam recipiendam, falsum dicis et Semipelagianum; si autem mere 3) hunc nexum affirmas tamquam consequens voluntatis salvificae universalis, *a*) rursus falsum dicis, qua parte immediate concipis habitualem gratiam conferri sine praevia praeparatione, - quod nonnisi rarissime contingit; - *b*) tolerabile quid dicis, modo cum recto moderamine intendatur, qua parte affirmas, tali conatui ex bonitate Dei adnecti initialem motum actualis gratiae ad habitualem gratiam disponentis. - Porro si intelligis: facienti quod in se est, *cum gratia habituali,* Deus non denegat gratiam, rursus varii sensus huic formulae subaudiri possunt. Si 4) intendis: facienti quod in se est, sine novo adiutorio gratiae actualis, Deus non denegat gratiae augmentum vel gratiam finalem, falsum profers, quia negas necessitatem gratiae actualis ad opera meritoria sub gratia habituali agenda. Si 5) intendis: facienti quod in se est, modo quo supra 4, Deus non denegat gratiam, quando scilicet requiritur gratiae actualis adiutorium ad maiores tentationes superandas, profers aliquid veri, sed incompletum: nam necessitatem gratiae actualis sub habituali gratia ad aliquam necessitatem moralem, medicinalem, limitas. - Si 6) intendis: facienti quod in se est, cum auxilio utique gratiae actualis, Deus non denegat gratiae habitualis augmentum, verissimum quid dicis: affirmas quippe augmentum gratiae habitualis cadere sub merito operum quae ex gratia et charitate aguntur. - Si demum 7) intendis: facienti quod in se est, -

[1] De hoc axiomate lege Card. SATOLLI, loc. cit., p. 46 sq.; PALMIERI, op. cit., p. 302; VAN NOORT, op. cit., p. 74 sqq. Cf. mox dicenda de connexo affatu: « Qui « facit quod in se est, sufficienter se disponit ad gratiam ». Q. CXII, art. 3.

eodem modo quo supra 6), – Deus non denegat gratiam, qua semper in gratia stare possit, verum vel falsum dicis, secundum quod loqueris vel *a*) de pie impetranda, vel *b*) de merenda sive de necessario consequenda ipsa perseverantia.

Ex dictis vides, quam caute axioma hoc proferendum sit, quum praesertim sensus magis obvius sit secundus, quem Semipelagianismum sapere diximus. Unde iuxta illum respondet S. Thomas, excludens sensum secundum et ponens primum.

Pariter collige, quo sano sensu intelligenda sit sequens sententia Isidori Pelusiotae: « Qui virtuti dat operam, aequum « est eum divinam spem invocare. At qui nullam virtuti dat « operam, etsi eam implorat, propitium numen non habet. « Qui enim omnia quae in se sita sunt, adimplet, Deus etiam « benigne ei annuit ».[1] Quod et de aliis similibus valet.

3ª Obi. Nihil aliud est quam instantia, quemadmodum ipsa 2ª obi. movebatur ad infirmandam responsionem ad obi. 1ªm. Negatur autem instantia, distinctione facta inter gratiam habitualem, de qua valet, sed quae est extra rem, et gratiam actualem, de qua non solum gratis, sed insuper cum absurdo consequente ponitur.

4ª Obi. Est altera instantia, ex parte elementi quod homo praestare debet, dum prior procedebat secundum elementum quod praestat Deus. Solvitur autem proclamando principium summi momenti: gratiam scilicet, etsi dupliciter praevenientem, tum uti moventem, tum uti attrahentem (observa, eadem semper principia apud Angelicum recurrere), nullomodo tollere liberum arbitrium.

Sed contra est. Praeter locum hic a Sancto Doctore allegatum, citari possunt omnes illae Scripturae expressiones in quibus ipsum initium tribuitur Dei gratiae, vel proclamatur, nihil sine gratia fieri posse. V. gr. « Quis *prior* « *dedit illi,* et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum « et in ipso sunt *omnia* ».[2] « *Nemo* potest venire ad me, nisi « Pater, qui misit me, *traxerit* eum ».[3] « *Nemo* potest venire

[1] L. v., epist. 459.
[2] Rom., xi, 35 sq.
[3] Ioann., vi, 44.

« ad me, nisi fuerit ei *datum* a Patre meo ».[1] Maxime textus: « *Quis te discernit?* Quid habes, quod non accepisti? Si autem « accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? »,[2] quo directe fundamentum Semipelagianorum impugnatur; cuiusque textus tanta est vis, ut ipse Augustinus fateatur, se per illum ab errore suo iuvenili ad maturiorem catholicae veritatis intelligentiam profecisse. « Quo praecipue testimonio, « ait, etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, « putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum « Dei, sed a nobis esse in nobis et per illam nos impetrare « Dei dona, quibus temperanter et iuste et pie vivamus in « hoc saeculo... Quem meum errorem nonnulla opuscula « mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta ».[3] Unde, iterata expositione et retractatione sui prioris sententiae, prosequitur: « Videtis certe quid tunc de fide atque ope- « ribus sentiebam, quamvis de commendanda gratia Dei « laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse « nunc video, – illos quippe, de quibus Prosper et Hilarius; « quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis cura- « verunt proficere mecum ».[4]

Adde his Scripturae locis et sequentes sententias: « Vobis « donatum est pro Christo, *non solum* ut in eum *credatis,* « sed ut etiam pro illo patiamini ».[5] « Non quod sufficientes « simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed suffi- « cientia nostra ex Deo est ».[6] « Misericordiam consecu- « tus a Domino ut sim *fidelis* ».[7] « Gratia estis salvati *per* « *fidem,* et hoc non ex vobis, Dei enim donum est ».[8] « Reli- « quiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Si « autem gratia, iam non ex operibus ».[9] Unde credentes in verbum Christi et Apostolorum exhibentur tamquam ad credendum discreti: « Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et

[1] Ibid., 65.
[2] I Cor., iv, 7.
[3] *De praed. SS.*, cap. 3, n. 7.
[4] Cap. 4, n. 8.
[5] Philipp., i, 29.
[6] II Cor., iii, 5.
[7] I Cor., vii, 25.
[8] Ephes., ii, 8.
[9] Rom., xi, 5, 6.

« terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, « et revelasti ea parvulis ».[1] « Crediderunt quotquot erant « praeordinati ad vitam aeternam ».[2] Quod ipse Christus iam expresserat profunda illa sententia: « Omne quod dat mihi « Pater, ad me veniet ».[3] Mysterium altissimum his aliisque huiusmodi sententiis inclusum,[4] iam invenis in Vetere Testamento proclamatum: « Faciam ut in praeceptis meis ambu- « letis, et iudicia mea custodiatis, et operemini ».[5] Idemque eloquenter expressit antiquae doctrinae interpres Cyprianus: « In nullo gloriandum, quando nostrum nihil ».[6] Confirmatur haec doctrina per modum quo S. Paulus gratias agit pro fidei et charitatis donis quae videt refulgere in Ephesiis et Thessalonicensibus;[7] unde sequitur, uti optime monet Augustinus, initium fidei esse Dei donum. Etenim, nisi essent Dei donum, verba Apostoli essent « adulatio vel irrisio « potius quam gratiarum actio ».[8]

Posita autem hac veritate, iam sequitur, Deum exorandum esse ut fidei initium nondum credentibus largiatur. Confirmatur proin dogma catholicum per omnia testimonia quibus haec oratio commendatur: « Deus, tu conversus, vivi- « ficabis nos ».[9] « Fiat voluntas tua, adveniat regnum « tuum, etc. ».[10] « Fratres, voluntas quidem cordis mei, et « obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem ».[11]

Contra tot tamque ponderosas Scripturarum sententias, a priori apparet, nihil posse valide ex ipsis Scripturis opponi. Et sane efficacia caret omnino Pauli locutio obiici solita: « Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio ».[12] In hac enim sententia, uti optime monet Cardinalis Billot,[13]

[1] Matth., xi, 25.

[2] Act., xiii, 48; Iac., ii, 5; Ephes., i, 3-12; Rom., xi, 7; Matth., xiii, 11; Act., xvi, 14, etc.

[3] Ioann., vi, 37.

[4] Cf. Ioann., xvii, 12.

[5] Ezech., xxxvi 27.

[6] *Ad Quir.*, l. iii, c. 4.

[7] Ephes., i, 15; ii Thess., i, 1.

[8] *De praed. SS.*, c. 19.

[9] Ps. lxxxv, 6.

[10] Cf. Cypr., *De oratione Domin.*

[11] Rom., x, 1. Cf. August., *De praedest. SS.*, c. 8, n. 15.

[12] Rom., vii, 18.

[13] Op. cit., p. 94 sq.

Apostolus unice loquitur de impotentia nostri liberi arbitrii, quod bonas quidem habet velleitates, at non valet ad bonum effectum conducere ea quae facienda esse sentit, aut imo facere vellet. De nostra autem quaestione in hoc loco non agitur.[1]

Orationes Ecclesiae, id confirmant. In die Parasceves ita rogat pro paganis et Iudaeis, ut optime ostendat, a gratiae illuminatione eorum conversionem esse sperandam. In Dominica III post Pascha orat: « Deus, qui errantibus, ut in « viam possint redire iustitiae, veritatis tuae lumen osten- « dis ». Hinc apostolici zeli optima iuvamina sunt preces animarum Deo carissimarum, uti v. gr. de Sancta Teresia historia docet.

Stat ergo firmum, non solum initium fidei esse ex gratia, sed insuper hanc gratiam iuxta discretionem et electionem dari. « Fides igitur, ait Augustinus, et inchoata et perfecta, « donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam « non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissi- « mis sacris Litteris repugnare ».[2]

Cui vero haec discretionis lex videtur durior, audiat Augustinum prosequentem: « Cur autem non omnibus detur, « fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse « in condemnationem, sine dubitatione iustissimam: ita ut « nulla Dei esset iusta reprehensio, etiamsi nullus inde libera- « retur.[3] Unde constat, magnam esse gratiam quod plurimi « liberantur, et quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, « agnoscunt; ut qui gloriatur, non in suis meritis, quae paria « videt esse in damnatis, sed in Domino glorietur ».

Consequens ultimum est, huius discretionis criterium in inscrutabili iudicio Dei, non in quovis ipsius discreti titulo esse collocandum. « Cur autem, pergit Augustinus, istum

[1] Cf. Corollarium III.

[2] *De praedest. SS.,* c. 8, n. 16.

[3] Adverte rursus quanti momenti sit in praesenti argumento iuxta Augustinum dogma fundamentale peccati originalis. De quo infra sermo recurret. Recolat interim lector quae in nostro praecedenti volumine de hac universali damnatione scripsimus. Mirum proin non est, antiquos et recentiores Augustini adversarios insudasse et insudare, ut ostendant, Hipponensem Doctorem in utroque argumento tum de gratia tum de peccato originali innovasse. A qua accusatione eum victoriosissime vindicat Bossuetius.*

* Op. cit., II Part., passim.

« potius quam illum liberet, " inscrutabilia sunt iudicia eius « et investigabiles viae eius „.[1] Melius enim et hic audimus, « aut dicimus: " O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? „ [2] « quam dicere audemus, quasi noverimus, quod occultum « esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit ».

Contra hanc doctrinam, quasi scandali lapidem, offendunt quotquot rationalismi vitio plus minusve sunt affecti. Post Semipelagianos, in eumdem errorem incidit medio aevo Abaelardus,[3] tempore novatorum Melanchton et Remonstrantes, nostraque aetate ipse Hermes.

Semipelagianum porro errorem prae oculis habuit Concilium Tridentinum in canone 3 Sessionis VI:[4] « Si quis « dixerit *sine praeveniente* Spiritus Sancti inspiratione atque « eius adiutorio hominem *credere, sperare,* diligere aut poe- « nitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia con- « feratur: a. s. ». Et manifestius adhuc in cap. 5: « Declarat « praeterea (S. Syn.) ipsius iustificationis *exordium* in adultis « a Dei per Christum Iesum *praeveniente gratia* sumendum « esse; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existen- « tibus meritis vocantur, ut qui per peccatum a Deo aversi « erant, per eius excitantem aque adiuvantem gratiam ad « convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem « gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita, « ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illumi- « nationem, neque homo ipse nihil omnino agat, ... *neque « tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo « libera sua voluntate possit* ».[5]

Quousque autem et quomodo haec gratuita discretio divina initialiter discretum comitetur usque ad finem, iuxta illud auctoris libri *De vocatione omnium gentium:*[6] « Homi- « nis bonum meritum ab initio fidei usque ad perseveran- « tiam donum atque opus esse divinum », in sequentibus articulis penitus investigabimus.

[1] Rom., xi, 33.

[2] Ibid., ix, 20.

[3] Cf. eius capit. haeres. n. 6. - *P. L.*, 182, 1051.

[4] Canones 1 et 2 directius respiciunt Pelagianos.

[5] Cf. sequentia verba adducenda in Coroll. III.

[6] L. i, c. 23. Cfr. Prosper., *Resp. ad c. 8 Gall.;* Caelestinus I (auctor, sed op. episc.); aliaque documenta superius in hoc articulo citata.

Primum motum in finem venire a Deo, Origenes pulchre ita exprimit: « Quis, o catechumeni, vos in Ecclesiam adu- « navit? quis vos a domibus vestris in hunc sanctum coe- « tum avocavit? Non ivimus ad vos quaerendos de ianua « in ianuam, sed Pater omnipotens, invisibili sua virtute, « hunc ardorem incitavit in his quos dignos iudicavit, et vos « huc veluti vi attraxit, non obstantibus dubiis quae in « mentibus vestris assurgebant ». [1]

Placet et heic adducere S. Gregorium Nazianzenum: Ad Apostoli verba: « Non est volentis, neque currentis sed « miserentis Dei », haec habet: « Quoniam enim nonnulli « sunt qui, ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum « sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori et sapientiae « eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acce- « ptum ferant, his verbis docet Paulus, quod ipsum rectum « velle divino auxilio indigeat; imo, ut rectius loquar, volun- « tas quoque ipsa, et electio eorum quae recta et cum officio « coniuncta sunt, divinum quodquam beneficium est, atque « a Dei benignitate manans ». [2] Quae ultima sententia eo efficacius non solum Pelagianismum sed etiam Semipelagianismum convellit, quo instantius S. Doctor per addita verba « ut rectius loquar », ostendit hoc quoque sensu, si premantur, intelligendas esse locutiones quae primo intuitu Semipelagianum conceptum non excludunt.

Nec aliter S. Ambrosius. Ad verba Apostoli: « Visum est « et mihi » haec habet: « Potest enim non ipsi soli visum esse, « quod sibi visum esse declarat. Non enim voluntati tantum « humanae visum est, sed sicut placuit ei, inquit, qui in me « loquitur Christus, qui, ut id quod bonum est, nobis quoque « bonum videri possit, operatur. Quem enim miseretur, et « vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus, « cur esse voluerit Christianus, respondere: " Visum est « mihi ». Quod cum dicit, non negat Deo visum, a Deo enim « praeparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honoretur « a sancto, gratia Dei est ». [3]

[1] *In Luc. homil. 7.* Origenem de gratia non aliter sensisse ac Augustinum, docte illustrabat Bossuet (op. cit., libr. ultimo, c. XXVII sqq.).

[2] Orat. 31, paulo post medium.

[3] In *Lucam*, l. I, n. 10. - *P. L.*, t. XV, col. 1538.

Pariter S. Ephrem inter alia haec pulchra de gratia habet: « Absque gratiae adminiculo non praevalet cor Deo placere « viribus suis, verum ut ipsi placeat, ab eo accipit et ex « eius vino potum ei offert ». [1] Et: « Instar matris ubera prae- « bebit tibi, et velut infantem ab insidiatoribus custodiet te, « tamquam parvulum incautum gubernabit te, et in virum « perfectum te formabit ». [2] Ergo ab ipso initio ad finem sanctificatio nostra est opus gratiae.

In Corpore. S. Thomas quatuor facit: 1) Distinctione posita circumscribit quaesitum. 2) Demonstrat in genere, ad omnem ordinationem creaturae in finem ultimum requiri primi moventis auxilium. 3) Demonstrat, speciale auxilium Dei moventis et inspirantis requiri ad destinationem hominis in finem supernaturalem. 4) Expositam doctrinam illustrat exemplo.

Circa quae observa: *a*) Ex argumentatione secundae partis efficax auctoritas desumitur ad demonstrandum, immediatam Dei motionem requiri quotiescumque creatura in finem ultimum tendit. Ita enim argumentum disponitur, ut mediata motione per causam secundam non salvetur; causa enim secunda potest quidem naturam vel naturae facultates excitare, non autem in finem ultimum formaliter movere.

Observa *b*), comparationem in 4) allatam peccare per defectum. Sufficit quidem ad demonstrandam necessitatem praeparationis ad gratiam habitualem, non autem ad demonstrandum, illam praeparationem esse iam a gratia. Quare Augustinus, eadem comparatione utens, eam corrigendo complet, quo efficacius a Semipelagianismo declinet.

Schemate sequenti doctrinam huius *Corporis* contractam tene:

- Praeparatio voluntatis humanae requiritur:
  - I) ad actum *meritorium:* — ipsa *gratia habitualis,* principium operis meritorii;
  - II) ad *gratiam habitualem:*
    - *A*) non per *aliam habitualem:* — esset processus in infinitum;
    - *B*) sed per *auxilium Dei* moventis et inspirantis:
      - 1) ex necessitate *generica* motionis in finem ultimum;
      - 2) ex necessitate *specifica* motionis in finem supernaturalem (per gratiam praevenientem actualem).

[1] *Serm. asc. de vita religiosa.*
[2] Opusc. 37.

Resp. ad 1m. Si confers inter se testimonia utriusque classis: « Convertimini ad me, et convertar ad vos »[1] et « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur »,[2] apparet, triplicem esse conversionem: duplicem a parte Dei: aliam initialem, praevenientem, qua ad gratiam praeparamur et a Deo ad Deum convertimur; aliam habitualem, qua seipsum ad nos convertit, lumine gratiae nos illustrans; et unam a parte nostra, mediam inter utramque, qua, gratia nos praeveniente, nos ad Deum, eidem cooperando, convertimus.

Quaeres utrum ex hoc articulo constet, S. Thomam exigere gratiam stricte dictam, hoc est internam, supernaturalem, ad hoc ut homo se ad gratiam habitualem praeparare possit? - Certum est, Aquinatem distinguere inter generale et *speciale* auxilium ad hoc requisitum. Rationem autem huius auxilii specialis derivat ex indole supernaturali finis. Ergo praesumptio stat pro auxilio aliquid supernaturalis habente.

Idem evincitur modo quo S. Doctor idem quaesitum solvit art. 15, Q. XXIV, *De veritate.* Affirmata necessitate auxilii sive externe sive interne moventis, iuxta principium philosophicum ipsi familiare, transit ad rationem alteram auxilium speciale exigentem. « Secundo ... non qualiscumque « motus voluntatis est sufficiens praeparatio ad gratiam, sicut « nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem peccati; « sed oportet esse aliquem determinatum modum. Qui quidem modus homini notus esse non potest, cum ipsum « donum gratiae cognitionem hominis excedat: non enim « potest sciri modus praeparationis ad formam, nisi forma « ipsa cognoscatur. Quandocumque autem ad aliquid faciendum requiritur aliquis certus modus operationis ignotus « operanti, operans indiget gubernante et dirigente ». Quibus verbis clarius adhuc quam in praesenti articulo indoles supernaturalis huius auxilii indicatur, propter proportionem requisitam inter hoc auxilium et formam gratiae ad quam disponit.

At fatendum est, Angelicum in commentario Lombardi[3] minus clare locutum esse, imo potius quaesitum in sensum

[1] ZACH., I, 3.
[2] THREN., V, 21.
[3] II Sent., Dist. XXVIII, a. 4.

oppositum solvisse. Unde, uti ipse Caietanus concedere cogitur, in praesenti articulo Angelicus « dicta sua in II Sent. « ad meliorem sensum reduxit, declarando et addendo ».

Quod discrimen iam apparet ab ipso modo quo disponuntur tum obiectiones tum argumenta in *Sed contra est*. Procedunt enim obiectiones negative, et argumenta concludunt affirmative: « Ergo in potestate liberi arbitrii est ut « homo ad gratiam se praeparet ». Et in *Corpore* totum auxilium ad hanc praeparationem requisitum reducitur ad providentiam Dei circa externa nos moventia, vel ad motionem internam liberi arbitrii. Hanc autem internam motionem S. Doctor non concipit uti supernaturalem. Ait enim: « Praeparatio quae est ad gratiam, non est per actus qui sint « ipsi gratiae aequandi aequalitate proportionis, sicut meritum aequatur merito: et ideo non oportet ut actus quibus « homo se ad gratiam habendam praeparet, sint naturam « humanam excedentes ». Verum est, S. Doctorem hoc affirmare ad excludendum supernaturale lumen habituale necessarium ut homo ad gratiam praeparetur. Sed ratio cui innititur, generaliter procedit. Iam vero haec ratio vix firma videtur. Etenim non distinguit inter proportionem ordinis et proportionem aequalitatis. Utique non requiritur proportio aequalitatis inter praeparationem ad gratiam et gratiam ipsam; sed requiritur proportio ordinis.

Conclude, caute legenda esse nonnulla quae in hoc loco *Commentarii* Magistri occurrunt: praesertim conclusionem argumenti, et initium resp. ad 4m, dum firmiter stat sententia Lombardi: « Id inconcusse et incunctanter teneamus, « liberum arbitrium sine gratia praeveniente et adiuvante « non sufficere ad iustitiam et salutem obtinendam ».[1]

Quid de *S. Bonaventura?* Citato Bernardo, Seraphicus egregie evolvit necessitatis rationem ex ordine gratiae petitam. « Ratio autem huius est haec: non quia gratis gratum « faciens necessario praeexigat dispositionem gratiae gratis « datae, sed *quia ipsa est quid divinum, et res exsistens « super liberum arbitrium et etiam supernaturale iudicium:* « ideo liberum arbitrium nunquam assurgit, nec ad cogno-

[1] Dist. XXVIII. Cf. AUGUST., *Retract.*, l. I, c. 9.

« scendam gratiam, nec ad petendam, nisi aliquo modo a « sursum excitetur, et per adiutorium gratiae gratis datae, « *quod tenet quasi medium inter donum gratiae gratum* « *facientis, et naturalem libertatem voluntatis* ».[1]

Hac posita doctrina, S. Bonaventura sensum axiomatis: « Qui facit quod in se est, sufficienter se disponit ad gra- « tiam »;[2] hoc modo distinguit: « Dicendum quod facere « quod in se est, potest dupliciter intelligi. Uno modo posi- « tive, quia facit aliquid *ordinatum ad gratiam* et tantum « facit quantum potest: et hoc modo veritatem habet sermo « praedictus. Alio modo potest intelligi privative, ut dicatur « facere quod in se est, quia facit quod potest, *quamvis* « *illud non sit ordinatum ad gratiae susceptionem:* et hoc « modo liberum arbitrium gratia destitutum potest facere « quod in se est: et sic praedictus sermo non habet veri- « tatem ».

Et optime disputationem concludit his verbis: « Patet « qualiter erraverit Pelagius, qui liberum arbitrium, non « solum dixit habere potentiam disponendi se ad gratiam « gratum facientem, sed etiam merendi eam propria virtute. « Dupliciter enim mendax fuit, et in hoc quod dixit primam « gratiam sub merito cadere, et in hoc quod dixit etiam « liberum arbitrium propriis viribus ad gratiam posse se « disponere ».

De sententia *S. Anselmi* et *S. Bernardi* dicemus infra, ubi de concordia gratiae et liberi arbitrii agemus.

Corollarium I. – Ex doctrina huius articuli fluit veritas summi momenti: orationes scilicet quibus gratias efflagitamus, iam esse a gratia inspiratas, « impertito orationis affe- « ctu et effectu », ut pulchre loquitur S. Augustinus. Haec veritas abunde confirmatur per modum loquendi Scripturarum et per modum orandi Ecclesiae. In propheta Zacharia legitur: « Effundam super domum David et super habitato- « res Ierusalem spiritum gratiae et precum ».[3] Et Paulus affirmat: « Spiritus Sanctus adiuvat infirmitatem nostram:

[1] Ibid., a. 2, q. 1. De hac doctrina sermo infra recurret.
[2] De hoc axiomate sermo recurret in Q. CXII, art. 3.
[3] ZACH., XII, 10.

« nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spi-
« ritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ». [1] Idem intendit Apostolus quando ait, Spiritum in nobis clamare Abba, Pater, [2] quia scilicet ipse facit ut clamando ad Patrem oremus. [3]

Hac veritate, veluti fundamentali axiomate spirituali, edocta Ecclesia orat ut bene orat: « Fac nos quae tibi sunt « placita postulare ». Hic affectus invenitur in liturgiis tum Occidentis tum Orientis, ut erudite ostendit Bossuetius, qui inde optimo iure concludit: « C'est donc la foi de l'Eglise « catholique qu'il faut demander à Dieu tous les actes de « notre liberté, jusqu'à la prière par laquelle on obtient tous « les autres; et par conséquent qu'il les forme tous, et qu'il « forme en particulier et par une grâce spéciale l'acte de « prier dans ceux qui le font. C'est pourquoi on lui en rend « grâces, conformément à cette parole de Saint Paul: " Je « rends grâces à Dieu de ce que nuit et jour je me souviens « continuellement de vous ". [4] Qui rend grâces à Dieu de « ce qu'il prie nuit et jour, lui rend grâce du premier mo- « ment comme de la suite, puisque sans doute ce premier « moment est le commencement de ces jours et de ces nuits « si heureusement passés dans la prière ». [5] Id intendit S. Cyprianus quando affirmat, totum esse dandum Deo, [6] nec aliud Liturgia exprimit orando: « Deus virtutum, cuius « est totum quod est optimum ». [7]

Corollarium II. – Ex dictis in hoc articulo apparet, quid censendum sit de sententia Molinae, qui, ut nexum efficacem inveniret inter initialem naturalem bonum motum voluntatis et gratiae iuvamen, excogitavit pactum aliquod initum inter Patrem et Christum, ut ex istius meritis, Pater talem initialem motum semper gratiae auxilio coadiuvaret. « Per

[1] Rom., viii, 26.

[2] Rom., viii, 15; Gal., iv, 6.

[3] Cf. S. Augustin., *De don. persev.*, c. 23.

[4] ii Tim., i, 3. « Gratias ago Deo, ... quod sine intermissione habeam tui memo- « riam in orationibus meis, nocte et die ».

[5] Op. cit., l. x, c. 22.

[6] *De orat. domin.*

[7] Cf. et plures orationes huiusmodi, v. gr. in *Missali Romano.*

« concursum generalem, ait Molina, praesto est Deus libero « arbitrio ad naturalia, lege quasi naturali, qua agentibus « omnibus statuit non denegare talem concursum. At vero « libero arbitrio praesto est per auxilium gratiae saltem « sufficiens, ob merita Christi, qui ut verus Redemptor nobis « promeruit atque obtinuit, eamque legem subveniendi homi- « nibus cum Patre constituit ». [1] Itaque censet, « quoties libe- « rum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur quan- « tum potest circa res fidei addiscendas et amplectendas, vel « circa dolorem de peccatis ac iustificationem, a Deo con- « ferri gratiam praevenientem, seu auxilium, quo id fiat ut « oportet ad salutem ». [2] Quam sententiam pluribus argumentis propugnavit et Lessius. [3] Misso pacto, quod nullibi apparet, nec requiritur ut collata gratia sit ex meritis Christi, non potest haec sententia corripi quasi Semipelagianismo infecta, quum imo procedat ex disproportione inter conatum mere naturalem et praeparationem propinquam ad gratiam. Videtur tamen, uti optime monet Card. Satolli, [4] minus distinguere inter istum conatum et gratiae auxilium eidem superadditum. Nonne melius hoc gratiae auxilium iam ad hunc ipsum conatum extenditur? [5]

Quod si quis affirmaret, ad conferendam huiusmodi gratiam facienti quod in se est, ex solis viribus naturae, Deum stricte obligari, sive ex sese, sive virtute pacti inter Christum et Deum initi, iam magis appropinquaret ad errorem Semipelagianorum. Unde nil mirum, anno 1700, duas huiusmodi propositiones fuisse a clero Gallicano proscriptas.

Corollarium III. - Ex dictis in expositione huius articuli apparet, harmoniose componenda esse quae homo facit ut ad iustificationem se disponat, et quae gratia producit ut efficaciter se disponere possit. Quare praeter rem contra antisemipelagianam doctrinam arguitur v. gr. ex sententia: « Con-

[1] Disp. x.

[2] Disp. vi.

[3] *De gratia efficaci*, c. 10.

[4] Hoc loco, p. 47 sq.

[5] In toto hoc arduo problemate ab utroque defectu cavendum est, ne scilicet vitalis activitas liberi arbitrii et gratiae motio vel nimis identificentur, vel nimis distinguantur, ad modum boum iugi simul eumdum currum trahentium.

vertimini ad me, et ego convertar ad vos ».[1] Componenda est enim cum hac altera: « Converte nos, Domine, ad te, et « convertemur ».[2] Haec enim bene intellecta non excludit illam; illa autem Semipelagiano modo intellecta excluderet istam. Optime Concilium Tridentinum: « Cum dicitur " con- « vertimini ad me, et ego convertar ad vos ", libertatis « nostrae admonemur; cum respondemus: " Converte nos, « Domine, et convertemur ", Dei nos gratia praeveniri con- « fitemur ».[3]

Unde aliqualiter, sed diverso sensu, praevenimus gratiam et a gratia praevenimur.[4]

Idem valet de inciso, « unicuique secundum propriam « virtutem » talenta diversimode a Rege esse data. Concesso enim quod haec verba ad substantiam parabolae pertineant, et quod talenta significent gratias gratum facientes, nihil inde sequitur contra praesentem doctrinam. Ipsa enim gratiae dona et in Angelis harmonice fuisse commensurata capacitati naturae, vidimus. Cur non et idem eodem sensu hac parabola intelligi potest, quin inde ullo modo sequatur, bonum usum huius virtutis fuisse undequaque independentem a gratia?[5] Caeterum in hac parabola non agitur de inculcando modo quo homo se ad gratiam praeparare possit aut debeat; sed de alia magna veritate: plus scilicet ab eo exigi, qui plus a Deo recepit. Quod non solum de naturae, sed et de gratiae ordine valet.

Pulcherrime de hoc loco ita disserit S. Ambrosius: « Datur unicuique sine merito unde tendat ad meritum; et « datur ante ullum laborem. Quod ita esse, etiam evange- « licae veritatis testimonio agnoscitur, ubi per compara- « tionem dicitur, quod homo peregre proficiscens, vocavit « servos suos, et tradidit illis substantiam suam: et uni dedit « quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique « secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam « et naturalem possibilitatem: non autem secundum pro-

[1] Zach., i, 3.
[2] Thren., v, 21.
[3] *Enchir.*, n. 797.
[4] Cf. textum Bossueti mox afferendum ubi de gratia praeveniente agemus.
[5] Bene id exprimit cl. Van der Meersch, op. cit., p. 57.

« prium meritum; quia aliud est posse operari, aliud ope-
« rari; et aliud est posse habere charitatem, aliud habere
« charitatem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec
« omnis sanabilis sanatur; quia reparabilem et sanabilem
« esse, de natura est; reparatum autem et sanatum esse, de
« gratia est ». [1] Nedum ergo S. Doctor haec parabolae verba sibi obiiciat, ex eisdem ultro doctrinam catholicam de gratia confirmat.

Appendix.

De concordia inter doctrinam S. Augustini et aliorum Patrum.

Calumnia fuit olim Pelagianorum, Augustinum innovasse, rigidiorem doctrinam urgendo. Contra quam calumniam Hipponensis saepe protestatus est, ostendendo perfectam suae doctrinae concordiam cum doctrina Sanctorum Patrum, qui ante ipsum de eiusdem argumentis scripserunt. Recolat lector S. Doctoris verba a nobis in praecedenti voluminis allata, ubi de eadem concordia quoad dogma originalis peccati agebamus. Hanc Patrum concordiam in praesenti argumento praeclare exprimit Paulus Orosius: « Patres,
« et qui iam quieverunt martyres, et concordes Cyprianus,
« Hilarius et Ambrosius, et quibus etiam nunc permanere
« adhuc in carne necessarium est, qui sunt columnae et fir-
« mamenta Ecclesiae catholicae, Aurelius Augustinus et Hie-
« ronymus, multa iam adversus hanc nefariam haeresim
« absque designatione nominum haereticorum scriptis pro-
« batissimis ediderunt ». [2]

Nec iterandae sunt heic considerationes generaliores, quas ibidem discutiendis praecipuis textibus praemisimus. Valent plerumque et de praesenti argumento.

1) In hac nostra quaestione de ipso initio praeparationis ad gratiam, - quae subtilior est valde, unde ortum habuit error Semipelagianus, - praeter solemnes ipsius Augustini protestationes, habemus factum omnino convincens: con-

[1] *De vocatione gentilium*, l. II, c. 2.
[2] *Apol. ctr. Pelag.*, n. 1. - *P. L.*, t. XXXI, col. 1175.

sensum scilicet Ecclesiae tum Orientalis, tum Occidentalis, Augustini doctrinam in variis Conciliis, uti suam ipsius acceptantis et sancientis, quemadmodum testimonia superius allata manifestant. Qui consensus nedum orta Semipelagiana mitigatione imminutus est, potius ex hac mitigatione confirmationem accepit, quatenus Ecclesia Augustini doctrinam non solum contra Pelagii errores magis crudes, sed insuper contra subtiliorem errorem Semipelagianum propugnavit.

2) Quum autem S. Augustinus, etsi gratiae acerrimus vindex, liberum arbitrium non minori ardore semper defenderit, non possunt uti Hipponensi contrariae afferri sententiae in quibus haec libertas vel ante gratiam, vel sub gratia praedicatur. Huc enim valent considerationes, quas in Corollario III exponebamus. Quare, nisi Patres expresse dicant, praeparationem ad gratiam, de qua loquuntur, non solum intendi ex solius naturae viribus absque ullo gratiae iuvamine, sed insuper ita efficacem intendi ad gratiam acquirendam, ut naturali conamine se ad eam praeparanti debeatur, illae locutiones nullam difficultatem parant. Quod dupliciter ante exortam controversiam Pelagianam verum est, uti alibi de peccato originali disputantes ostendimus.

3) His praemissis, iam audiamus quasdam sententias ex Patribus tum Orientalibus tum Occidentalibus afferri solitas. *a*) In sua catechesi prima S. Cyrillus Hierosolymitanus haec habet: « Dominus delectum faciens animarum, voluntates « inquirit, et si quis hypocrisim abditam gerat, hunc veluti « ad veram militiam ineptum reiicit; si vero dignum repre« henderit, huic promptissime dat gratiam. Non dat sancta « canibus, sed ubi probam conscientiam videt, illic salutare « et admirabile sigillum confert ».[1] Sane haec verba proclamant sinceritatem cordis quacum vocatus ad Christi militiam se ad eam praeparare debet, ne falso animo accedens, a Dei gratia repellatur. Quis autem id negat? Num ideo negatur initium ad gratiam debere proportionatum esse ex gratia? Nequaquam. Secus et Pelagiana esset Christi sententia: « Si « quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat cru-

[1] N. 3.

« cem suam et sequatur me ». Igiturne sufficit bona nostra voluntas, absque gratia, ut Christum sequi valeamus? - Quod dupliciter verum est, si Deus ex misericordia sua elargitur gratiam suam his qui naturali conamine se in illam inclinant, non quasi hoc conamen efficaciter gratiam veluti de iure appellet, sed quia Deus, infinite bonus, hoc conamen, veluti quamdam inchoatam praeparationem acceptat. Hoc sensu intelligi potest sententia S. Basilii: « Probe enim sci-« tis... Dei auxilium in vestris situm esse voluntatibus, qui-« bus ad id quod docet directis, Deus adiutor vocatus aderit « et invocatus ».[1] Secus, nonne et Paulus Semipelagiane sensisse arguendus esset, ubi ait: accedentem ad Deum oportere credere Deum esse et remuneratorem? Quomodo accedit, viribus suis, an ex gratia? Apostolus tacet, qui tamen alibi iura gratiae fortiter inculcat. Hoc sensu et S. Ioannes Chrysostomus dicit: « Neque enim ex sudore et labore illam « perficis (agit de iustitia Dei), sed ex superno dono accipis, « hoc unum ex teipso offerens, quod credas ».[2] Nisi enim benigne haec sententia explicetur, nimis ex ea proberetur, in mente scilicet S. Ioannis Chrysostomi, fidem non esse ex gratia. Caeterum ipse Chrysostomus sit sui ipsius interpres. Alibi enim super Pauli verbis: « Quis te discernit » haec habet: « Sed esto, sis laudandus, et certe habeas gra-« tiam; sed neque sic oportet superbia efferri, quippe qui « non ex te habes. Non enim merita tua haec sunt, sed Dei « gratia. Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepisti... « Omnia inde tibi praevenerunt ».[3] Pari modo S. Basilius, a quo superius sententiam audivimus quae extollit initialem hominis conatum,[4] mentem suam alibi nitide aperit, utrumque simul coniungens, quod bonae voluntatis est et quod gratiae. « Neque ullus hominum in rebus bonis conatus absque « superna spe fiat, neque accessura unquam est superna « gratia ad hominem non studiosum, sed ad perfectum vir-« tutis cumulum coniuncta simul esse utraque haec oportet,

[1] *Epist. 194 ad Festum et Magnum.*

[2] *Homil. II in ep. ad Rom.*, n. 6.

[3] *Homil. XII in I Cor.*

[4] Cf. locum similem de gratiis a Deo Abraham collatis (*Homil.* XLII *in Genes.*, n. 1).

« et humanum studium et caeleste auxilium per fidem e super-« nis accersitum ». Et quidem in omnibus quae recte a nobis fiunt, « animus causas rectae actionis referat Deo acceptas, « nihil omnino suis se viribus recte facere ratus ».[1]

Sane, si lis esse videatur inter duas sententias, quarum altera gratiam tacet, non autem negat, altera utrumque simul et bonum liberi usum et gratiae necessitatem praedicat, haec altera esse debet « clavis ad recte intelligendam « priorem »; quemadmodum superius vidimus, ita intelligendam esse sententiam « Convertimini ad me, et ego convertar « ad vos »,[2] ut non solum maneat et altera: « Converte nos, « Domine, ad te, et convertemus »,[3] sed ut illa per istam illustretur.

Ita intellecta, catholicum prorsus sensum exhibent quae ex Hilario proferuntur, quasi in expositione psalmi CXVIII initium tribuerit homini, non gratiae, Deo vero perfectionem. En quasdam sententias, quae inanitatem huius obiectionis ostendunt. Ad versum: « Inclina cor meum in testimonia « tua, et non in avaritiam »[4] haec habet: « Omnia propheta « ad Dei munus retulit, sive ut lex viae iustificationum sibi « statuatur a Domino, sive ut sibi intelligentia praestetur, « sive ut deducatur in semita, sive ut cor eius in testimonia « inclinetur, id est, in ea quae sub testibus scripta sunt. « Teste enim caelo et terra lex tradita est ».[5]

Ad quae sibi obiicit, quod postea Pelagiani erant dicturi: « Si omnia a Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa; « quum nihil obtineri possit, nisi quod donatum est a Deo ». Cui obiectioni non respondet iuxta Pelagianam doctrinam, nec imo Semipelagianam; sed utrumque simul intime coniungit, quod Dei et quod hominis est. « Utrumque quodam com-« plexu sibi invicem colligavit: cum deduci se in semita « postulavit, et cum idipsum voluit. Prius enim quae a Deo « sunt, cum honore praeposuit, et tunc quae hominis sunt, « cum humilitatis atque officii sui confessione subiecit. Orat

[1] *Constit. monast.*, c. 15.
[2] Zach., I, 3.
[3] *Thren.*, V, 21.
[4] Vers. 36.
[5] *Deut.*, XXX, 19.

« igitur ut Deus tribuat. Est ergo a nobis, cum oramus, « exordium, ut munus ab eo sit; dehinc, quia de exordio « nostro munus eius est, ex nostro rursum est ut exquira- « tur et obtineatur et maneat ». [1] Igitur orando nos aliquid conferimus ad hoc quod munus a Deo obtineamus; non autem ideo ista oratio de Dei munere ex toto excluditur quum superius dixerit, prophetam Deo tribuere totum.

Item valet de obiectione ex S. Cypriano adducta. Ad ostendendum enim quantopere Cyprianus cum Augustino de gratia sentiat, afferenda essent longa testimonia quae Hipponensis Doctor ex variis Cypriani operibus adducit in libro IV *contra duas epistolas Pelagianorum.* [2] Quando igitur S. Cyprianus, adhortando fideles ad animose tolerandas persecutiones, dicit: « Corroboret fidem divina protectio: « quando unusquisque, secundum Dei promissa et fidei suae « merita, tantum accipiat a Dei ope quantum se credat acci- « pere; nec sit quod Omnipotens praestare non possit, nisi « si accipientes fides caduca defecerit »; [3] nullomodo intendit fidem hanc eximere ab ipsius excitantis gratiae influxu.

Quod et de S. Ambrosio non minus valet, quippe ad quem, post Cyprianum, in eodem opere solemni appellatione provocat: « Sed et iam gloriosissimo martyri Cypriano, ad istas « cumulatius redarguendas, beatissimum addamus Ambro- « sium: quoniam et ipsum Pelagius ita laudavit, ut ne ab « inimicis quidem in eius libris quod reprehenderetur, dice- « rèt inveniri ». [4]

Nil mirum proin si in ipso textu qui ex Ambrosio plerumque opponi solet, catholicam e contra doctrinam Mediolanensis praesul doceat. De mysterio praedestinatae Ecclesiae loquens, haec habet in libro II *De Abraham.* « Scriptum « est: " Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi « te ,,. [5] Advertimus itaque quod festinabat fides Ecclesiae, « sed conclusa erat eius fecunditas. Quo verbo demonstra- « tur quoniam exspectabat partus sui tempora; quia quod

[1] In litt. v, n. 11 et 12. - *P. L.*, t. IX, col. 533 sq.
[2] C. VIII-X. - *P. L.*, t. XLIV, col. 623 sqq.
[3] *Epist. ad Fortunat.: de exhortatione martyrii*, c. X. - *P. L.*, t. IV, col. 665.
[4] Ibid., c. X, col. 632.
[5] Is., XLIX, 8.

« conclusum est, aperiri solet. Qua ratione conclusa fuerit, « docet te Apostolus dicens: " Conclusit enim Deus omnia in « incredulitate, ut omnibus misereatur „:[1] ut " non volentis, « neque currentis, sed miserentis Dei „[2] esset gratia; ne « te ipsum iustificares, sed " omnia tribueres Deo, qui te vo- « cavit „ ».[3] Quid minus Pelagianum aut imo Semipelagianum hisce verbis?

Sed ecce ex hac ipsa forti doctrina S. Doctor obiectioni latenti occurrens, ita pergit: « Nemo ergo pigrescat et excu- « sationem praetendat desidiae suae, quo serius credat, quia « scriptum est, " non volentis, neque currentis „ esse (quae « futura erat ipsa obiectio Massiliensium). Consideret enim « quod additum sit: " Sed miserentis, inquit, Dei „. Talem « ergo te praebe bonis studiis et prompta fide, ut Deus tui « misereatur, et vocet te, sicut Ecclesiam vocavit, dicens: « " Palam factus sum non quaerentibus me, apparui iis qui « de me non interrogabant „ ».[4] Scilicet, uti haec ultima citatio manifestum reddit, S. Ambrosius, nullatenus excludit ab influxu gratiae studia nostra et ipsam fidem initialem, quibus ad pleniora Dei dona pervenimus; sed nexum inter utraque exprimit, qui non solum est in se fundatus, sed pro unoquoque id exhibet quod ipsius partis est, iuxta tritum effatum: *Aide-toi, le Ciel t'aidera.* Unde hortandi singuli sunt, ut bono usu gratiae, etiam initialis, ad maiora Dei bona perveniant. Hoc sensu intelligendae sunt sententiae magni concionatoris Chrysostomi de dono iustitiae loquentis: « Neque « enim ex sudore et labore illam perficis, sed ex superno « dono accipis; hoc unum ex teipso afferens, quod credas ».[5] Igiturne S. Doctor fidem supernaturalem esse virtutem negavit? Absit! Sed, quum vitali modo, idest intellectivo et volitivo, nos ad Deum tendere oporteat, nisi initiali fide gressum moveamus, ad superiora non pervenimus, iuxta ea quae inferius exponemus, ubi genesim, ut ita dicam, iustificationis investigabimus.

[1] Rom., xi, 32.
[2] Ibid., ix, 16.
[3] C. x, n. 74. – *P. L.*, t. xiv, col. 491 sq.
[4] Is., lxv, 1.
[5] *Homil. II in ep. ad Rom.*, n. 6.

Idem valet et de progressu in fide et iustitia. Quo fidelius anima studiis suis gratiae iam acceptae cooperatur, eo uberiora, de ordinaria gratiae oeconomia, a divina bonitate acquirit. Unde nihil a parte sua tutius anima et efficacius facere potest ad altiora accipienda, quam ut sedulo acceptis donis utatur, iuxta parabolam talentorum. Id exprimit idem Chrysostomus de Abrahamo discurrens: « Forte dicent ali-« qui: Vir ille multam a Deo consecutus est gratiam, et « omnium Dominus singularem habuit eius curam. Etiam « id ego fateor, verum nisi primus et ipse quod secum erat « fecisset, non tanta a Domino obtinuisset. Etenim qui scit « arcana nostrae mentis, cum viderit sanam mentem nostram, « et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu « et subsidio suo nos adiuvat, infirmam naturam nostram « roborans, uberiusque suppeditans ». [1] Quae, sensu superius exposito, sunt optime dicta. Secus corripiendi essent praedicatores, quotiescumque fideles adhortantur ad omni nisu Deo serviendum et vitia debellanda. Imo ipse divinus concionator Christus esset increpandus, quando affirmat, regnum Dei vim pati, et nonnisi violentos id arripere; quando incredulis improperat incredulitatem; quum tamen alibi sat clare insinuet, neminem absque gratia credere posse, iuxta ea quae in expositione articuli illustravimus.

Scilicet haec duo nunquam sunt ab invicem seiungenda: ubi agitur de ordine supernaturali, etiam in ipso initio, hominem liberum praestare non modo posse, sed et debere, quod suum est; ita tamen ut absque gratia id non agat, nec imo possit. Non oportet tamen ut utrumque semper simul exprimatur, quod nec ipse Christus fecit. Quare sententiae quae primum fortiter urgent, nullatenus idcirco alterum negant, praesertim si dictae sunt ante exortas de utroque componendo controversias.

Quam caute ex aliqua sententia a contextu avulsa sit arguendum, exemplum ostendit sequens. Ecce propositionem: « Ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo « libero arbitrio se homo potest praeparare: faciendo enim « quod in se est, gratiam a Deo consequitur ». [2] Nonne haec

[1] *Homil. XLII in Genes.*, n. 1.

[2] II *Dist.*, XXVIII, a. 4.

sententia habet sensum aperte Semipelagianum? Et tamen est S. Thomae, qui in eodem contextu mentem suam enucleatius exponens, scribit: « Homo non potest se ad gratiam « praeparare, nec aliquod bonum facere, sine Dei auxilio, « et ideo rogandus est ut nos ad se convertat, et etiam « alios ».[1] Utrumque igitur simul tenendum est, eo vel magis quod nec haec ipsa oratio, quum sit aliquod bonum, est a gratiae divinae influxu excipienda. Quod si urgeas, in utroque elemento strenue coniungendo dari aliquod mysterium, assentior; nec tamen inde, cum Semipelagianis, est recusandum.

Patet rursus ex dictis, quo sensu interpretandum sit axioma: « facienti quod in se est, Deus non denegat gra- « tiam ». Quod axioma, recte intellectum, nedum praesentem doctrinam infirmet, eam potius corroborat. Quo magis enim nos facimus, iuvante gratia, quod in nobis est, eo arctior apparet nexus inter praeparatorias gratias et altiores ad quas conducunt. Quo magis enim id « facere quod in se est » restringis ad conatum naturalem, eo magis affirmas discrimen naturam inter et gratiam, inter quae habetur quidem nexus, non quidem in proportione, nec in merito, sed unice in gratuita Dei providentia et bonitate fundatus. Cf. dicta p. 177.

Altioris huius doctrina conclusio sit, nonnisi cum summa humilitate incedendum esse, iuxta belle dictum eiusdem Augustini: « Pauper spiritu est ille qui, quando facit aliquid « boni, Deum laudat; quando mali, se accusat ».[2] Et: « Pauper « spiritu est ille qui spem non habet nisi in Deo solo, in « quo solo spes non fallitur ».[3] Quam doctrinam, iuxta Augustinum, S. Benedictus hisce tribus sententiis nervose expressit: « Spem suam Deo committere. – Bonum aliquod in se « cum viderit, Deo applicet, non sibi. – Malum vero a se « factum sciat et sibi reputet ».[4]

[1] Ibid. ad 2m.

[2] In ps. LXXIII, 23.

[3] In ps. XCIII, 7.

[4] *S. Reg.*, c. IV. *Quae sint instrumenta bonorum operum*, instr. 41, 42, 43. – Cf. quod de his sententiis superius diximus, agentes de praedestinatione (*De Deo Uno*, t. II, p. 475).

ARTICULUS VII.

UTRUM HOMO POSSIT RESURGERE A PECCATO SINE AUXILIO GRATIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Praesentis quaesiti solutio, modo rite intelligatur, iam in hucusque, praesertim in articulo praecedenti, demonstratis continetur. Imo a fortiori. Etenim si originale peccatum, cuius voluntarium non est proprium, tantopere hominem a iustificatione removet, ut ad illam viribus propriis nequeat efficaciter se praeparare; a fortiori peccatum personale, cuius voluntarium est proprium, debet trahere secum impotentiam ad recuperandam iustitiam propria culpa amissam.

2) Falsa nihilominus imaginatio faciliorem nobis repraesentat conversionem a peccato quam ab originali statu, quia nimis exclusive conversionem fingit ad modum cessationis ab actu, quin satis consideret, actum, praeter ipsum *actum*, inducere simul *statum* et *reatum*.

3) Hic autem status per actum peccati inductus duplicem habet respectum, tum ad donum supernaturale quo peccator privatur, tum ad ipsius naturae inordinationem ex peccato secutam. Sub priori respectu non est discrimen inter originalem statum lapsus et statum relapsus: utrobique enim adest privatio gratiae, quae privatio, quum sit totalis, non accipit gradus. Sub altero autem respectu conditio relapsus peior est, quam originalis lapsus, propter voluntarium proprium a quo est; in quo insuper voluntario gradus dantur, iuxta indolem et intensitatem peccati.

4) Ex hisce gradibus et ex hac propria voluntate patet, reatum per personale peccatum inductum graviorem esse reatu originali; ac proin quaesitum a fortiori esse in sensu negativo solvendum, quemadmodum n. 1 dictum est.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Similis est primae obiectioni praecedentis articuli. Solvitur eodem modo, iuxta tria quae ibidem distinximus quorum primum et tertium sunt a parte divinae gratiae; secundum, a parte liberi arbitrii a gratia

moti. Unde, quemadmodum ibi vidimus, duplicem dari Dei conversionem ad nos, aliam initialem, aliam perfectam; ita duplex admittenda est illuminatio.

2ª Obi. Comparatio procedit ac si iustitia esset aliquid ordinis naturalis, ad quod homo, licet peccator, proportionem radicalem conservaret. Hoc autem gratuito ponitur, imo falsissime. Unde S. Thomas comparationem retorquet, conservando quidem sanitatem in termino ad quem, sed mutando terminum a quo: scilicet mutando aegritudinem in mortem. Sed neque tunc perfecta habetur comparatio. Vita enim mortuo restituta, non est supernaturalis nisi quoad modum; iustitia autem reddita peccatori, supernaturalis est quoad essentiam.

3ª Obi. Dupliciter peccat. *a*) Supponit naturam integram in subiecto; *b*) supponit aliquid naturale in obiecto. Atqui in quaesito agitur de habitudine hominis, integra natura destituti, ad qualitatem supernaturalem, ad quam proin recuperandam dupliciter est impar, duplicique indiget gratia: *medicinali,* quae suppleat integritati animae; *elevante,* quae transitum ab ordine ad ordinem operetur.

Sed contra est. Est argumentum a fortiori. Si iam de lege, quae erat a Deo, undequaque bona seu integra, valet illud Apostoli: « Si ex lege iustitia, Christus gratis mortuus est »; a fortiori evacuatur gratia Christi, si iustitia, seu reditus ad iustitiam, ex natura lapsa et peccatrice procedere potest. Et re quidem vera, si natura dupliciter corrupta peccato, originali et actuali, valeret per se ad recuperandam iustitiam, cur non valuisset in primo homine post lapsum, et in singulis hominibus valeret? Proin quaenam fuisset utilitas Sanguinis Christi, nisi aliqua utilitas exempli, qualem praedicabat uniceque admittebat Pelagius?

Porro veritas hoc articulo demonstrata elucet ex multis Scripturae locis, in quibus a Deo imploratur venia; v. gr.: « Miserere mei Deus... Cor mundum crea in me Deus, etc. ».[1] - « Converte nos Domine ad te, et convertemur ».[2] - Et sane, si absque gratia nullam bonam cogitationem ex nobis habere valemus, quomodo resurgere possemus absque gratia a statu

[1] Ps., L.
[2] Thren., v, 21.

peccati, quum nulla talis conversio fingi possit, quam non praecedat stimuletque initialis cogitatio salutaris?

Huic constanti modo loquendi Scripturarum consonat lex orandi ipsius Ecclesiae, quippe quae ab ipso Magistro veniam peccatorum quotidie in Oratione Dominica rogare edocta, frequentissime hanc veniam humiliter nos expostulare iubet. Inde et habetur Missa propria « pro remissione peccatorum ». Inde iugiter in salutatione angelica B. Virginem inducimus ut potenti suffragio pro nobis peccatoribus intercedat. Curnam, nisi quia non in nobis, sed in Dei misericordia spem nostram collocare debemus?

Pulcherrime id illustrat S. Augustinus: « Quoniam quod « a Deo nos avertimus, nostrum est, et haec est voluntas « mala; quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso exci- « tante atque adiuvante non possumus, et haec est voluntas « bona; quid habemus quod non accepimus? Ac per hoc, « " ut qui gloriatur, in Domino glorietur ", quibus hoc Deus « donare voluerit, eius misericordiae est, non meriti illorum; « quibus autem noluerit, veritatis est; iusta namque pecca- « toribus poena debetur: quoniam " misericordiam et veri- « tatem diligit Dominus Deus ",[1] et " misericordia et veritas « occurrerunt sibi ";[2] et " universae viae Domini miseri- « cordia et veritas ".[3]... Quare autem illos velit convertere, « illos pro aversione punire: quamquam et in beneficio tri- « buendo nemo iuste reprehendat misericordem, et in vin- « dicta exercenda nemo iuste reprehendat veracem; sicut « in illis evangelicis operariis, aliis placitam mercedem red- « dentem, aliis etiam non placitam largientem,[4] nullus iuste « culpaverit: consilium tamen occultioris iustitiae penes « ipsum est ».[5]

In Corpore. Processus est simplex. Distincta cessatione a peccando et resurrectione a peccato, S. Thomas primo ostendit triplex detrimentum quod homo per peccatum incurrit; dein demonstrat quod a nullo ex his tribus detri-

[1] Ps., LXXXIII, 12. Et additur: « Gratiam et gloriam dabit Dominus ». Quod plane non valet, nisi opera bona quae gloria remunerantur, sint Dei dona per gratiam.

[2] Ps., LXXXIV, 11.

[3] Ps., XXIV, 10.

[4] MATTH., XX, 9. 10.

[5] *De pecc. mer. et remiss.*, c. XVIII, 31-32.

mentis homo per semetipsum se potest liberare. Vis est magis in secundo et in tertio detrimento, si incapacitatem respicis a parte hominis; magis autem in primo, si ipsam liberam omnipotentiam Dei consideras.

Reliqua patent.

Corollarium I. – Ex doctrina huius articuli vides, quam imprudenter et stulte se peccatores in vitia proiiciant, certam sibi veniam inde pollicentes, ac si propria virtute a peccato ad gratiam se convertere possint; quasi tam facile sit altum in puteum se dimittere saltu quam inde saltu exire; aut vas tam facile integrum restitueris quam fregeris. Imo, – istae enim comparationes nimis deficiunt, – quasi tam facile sit hominem ad vitam revocare quam gladio ei adimere spiritum. Et sane nulla peccatorum venia, nisi ex poenitentia salutari; nulla poenitentia salutaris, nisi supernaturalis; nulla supernaturalis, nisi ex gratia praeveniente; nulla gratia praeveniens, nisi gratuita: dicente Conc. Trid.: « Quamvis autem necessarium sit credere, neque remissa « unquam fuisse peccata, *nisi gratis divina misericordia « propter Christum,* etc. ».[1]

Corollarium II. – Quum peccator non possit peccati iugum excutere nisi iuvante gratia, gratiae autem auctor et Dominus sit Deus, initialis motus vel ipsius peccatoris, vel iustorum pro eo, est deprecatio qua Deus rogatur ut peccatorem convertat. Nisi enim Deus peccatoris misereatur, vanus est omnis conatus recuperandi veniam. Hinc tam laudabilis charitas ut pro peccatoribus iugiter orent iusti. Sed haec ipse initialis oratio peccatori veniam deprecantis, ut vere praeparatoria ad veniam esse possit, iam gratia movente fiat oportet. Quod S. Augustinus ita eloquenter illustrat. « Conversos Deus adiuvat, aversos deserit. Sed etiam « ut convertamur, ipse adiuvat: quod certe oculis corporis « lux ista non praestat. Cum ergo nobis iubet dicens: " Con- « vertimini ad me, et convertar ad vos ", nosque illi dicimus: « " Converte nos Deus sanitatum nostrarum ", et " Deus vir- « tutum, converte nos ", quid aliud dicimus, quam: " Da

[1] Sess. c. IX.

« quod iubes? „. Cum iubet dicendo: " Intelligite ergo, qui « insipientes estis in populo „, et nos illi dicimus: " Da mihi « intellectum, ut discam mandata tua „; quid aliud dicimus « quam: " Da quod iubes? „. Cum iubet dicendo: " Post con- « cupiscentias tuas non eas „; nosque dicimus: " Scimus, « quia nemo potest esse continens, nisi Deus det „; quid aliud dicimus quam: " Da quod iubes? „. Cum iubet dicendo: « " Facite iustitiam „; nosque dicimus: " Doce me iustificatio- « nes tuas „; quid aliud dicimus quam: " Da quod iubes? „. Item « cum dicit: " Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam « ipsi saturabuntur „, a quo debemus petere cibum potumque « iustitiae, nisi ab illo, qui esurientibus eam et sitientibus « promittit eius saturitatem? ». Unde concludit: « Repella- « mus itaque ab auribus et mentibus nostris eos qui dicunt « accepto semel liberae voluntatis arbitrio, nec orare nos « debere, ut Deus nos adiuvet ne peccamus ».[1]

Corollarium III. - Collige ex doctrina heic exposita quantum malum sit status animae in peccato mortali constitutae, quum propriae iniquitatis pondere in alia peccata committenda feratur. Etenim, uti pulchre ait auctor *Operis imperfecti:* « Sicut navis fracto gubernaculo, non quo vult vadit, sed quo « tempestas impellit; ita homo, divinae gratiae auxilio per- « dito, non agit quod vult, sed quod diabolus ei suadet ut « velit ». Culpabiliter tamen, quia culpa sua gubernaculum fregit. Audiatur S. Thomas hanc legem subtiliter exponens: « Homo qui est in peccato mortali, habitualiter peccato « inhaeret, scilicet commutabili bono quasi ultimo fini. Huius- « modi adhaesionis vis et inclinatio in eo manet, quousque « iterato incommutabili bono quasi fini inhaereat. Et ideo « quando homini sic disposito occurrit aliquid faciendum, « quod praecedenti electioni conveniat, repente fertur in « illud per electionem, nisi multa deliberatione se ipsum « cohibeat. Nec tamen per hoc quod sic repente illud eligit, « a peccato mortali excusatur, quod aliqua deliberatione « indiget: quia deliberatio illa sufficit ad peccatum mortale, « qua perpenditur, id quod eligitur, esse peccatum mortale « et contra Deum. Ista tamen deliberatio non sufficit ad

[1] *De peccat. merit et remiss.* l. II, c. 5.

« retrahendum eum qui est in peccato mortali. Non enim « retrahitur aliquis ab aliquo agendo in quod inclinatur, « nisi in quantum illud proponitur sibi ut malum. Ille autem « qui iam bonum incommutabile repudiavit pro commuta- « bili bono, non iam existimat ut malum a bono incommu- « tabili averti, in quo ratio peccati mortalis perficitur. Unde « non retrahitur a peccando per hoc ipsum quod advertit « aliquod esse peccatum mortale; sed oportet ulterius in « considerando procedere, quousque perveniatur ad aliquid « quod non possit non existimare malum, sicut est miseria, « vel aliquid huiusmodi ».[1]

Corollarium IV. – Collige pariter ex eadem doctrina, quam levis et stulta sit agendi ratio istorum Christianorum quia eo liberius peccatis etiam gravibus indulgent, quo facilius eis Ecclesia catholica praebet remissionis remedium in sacramento Poenitentiae.[2]

Cogitent isti, hoc Sacramentum non vocari *remissionis*, sed *poenitentiae*. At cuiusnam, quaeso, poenitentiae, naturalis an supernaturalis? Supernaturalis profecto. Iam vero undenam haec acquiritur, nisi per gratiam? Et quodnam medium efficacius praecludendi sibi hunc gratiae fontem, nisi tam proterva praesumptio? Quis unquam, in argumento naturali gravioris momenti ita esset mente dispositus, ut imprudens consilium leviter iniret, ipsa spe ductus fore ut se eiusdem actionis poeniteret?

Huc faciunt pulcherrima verba Bourdaloue: « Dieu est « fidèle, dit le grand Apôtre: " Fidelis Deus ".[3] Et parce « qu'il est fidèle pour nous, nous pouvons porter notre con- « fiance jusqu'à nous assurer de lui. Mais il ne s'ensuit pas de « là que nous ayons droit de compter sur lui à son préjudice « même, ni que sa fidélité puisse jamais servir de fondement « à notre témérité. Or, c'est néanmoins le faux principe sur « lequel agit un pécheur du siècle, quand il diffère sa conver- « sion parce qu'il se flatte d'avoir un jour la grâce de la péni-

[1] *De Verit.*, XXIV, 12.

[2] Hanc calumniam interdum catholicis obiiciunt, quasi facilior remissio levitatem morum stimularet, non attendentes, confessionis usum involvere poenitentiam, et ipsum onus confitendi peccata non parvum opponere passionibus fraenum.

[3] II THESS., III, 3.

« tence. Car se promettre cette grâce pour se maintenir « dans l'habitude de son péché, prenez garde, s'il vous plaît, « c'est vouloir que Dieu soit fidèle à celui qui le méprise; « c'est vouloir qu'il soit fidèle aux dépens de tous ses « intérêts; et, tournant contre lui ses propres armes, c'est « l'attaquer et le combattre par le plus aimable de tout ses « attributs, qui est sa miséricorde; enfin c'est vouloir que « sa fidélité le rende, tout Dieu qu'il est, prévaricateur et « fauteur de notre iniquité. Est-il une espérance plus vaine « et une présomption plus criminelle? ».[1]

Corollarium V. – Indirecte ex hoc articulo sequitur, vel fundamentaliter in eo supponitur, iustificatum posse per peccatum gratiam rursus amittere. Quod contra novatores idem Concilium definivit:[2] « Si quis hominem semel justifica- « tum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam « amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam « vere fuisse iustificatum ... a. s.[3] ». Qui canon simul est contra Lutherum et Calvinum. Contra Lutherum in prima parte, quia Lutherus contendebat, nulla peccata nisi contra specialem ipsius iustificationis fidem destruere ipsam iustificationem, vel potius tollere externam imputationem iustistiae Christi; contra Calvinum in altera parte, quia Calvinus propugnabat, iustificationem esse in seipsa inamissibilem, ac proin peccatorem contraria iustificationi agentem, quibus haec iustificatio amitti deberet, numquam illam vere habuisse.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HOMO SINE GRATIA POSSIT NON PECCARE.[4]

I. De ipsa Quaestione. – 1) De nexu inter hunc articulum et praecedentem in praeambulo iam diximus. Quo melius autem quaesiti solutio pateat, sequentes distinctiones prae-

[1] *Sermon sur le retardement de la pénitence. Œuvres complètes* - Paris, Eudes. 1872, t. I, 549.

[2] Ibid., can. 23.

[3] Cf. Rom., XIV, etc. – Apoc., II, 5, etc.

[4] Cf. de hoc argumento Bossuetium, *Avertissement sur les réflexions morales*, § X.

mittendae sunt. *a)* Alia est impossibilitas physica, alia moralis: non illa, sed haec intenditur; *b)* alii sunt singuli actus seiunctim, alii omnes actus in serie considerati; *c)* alia sunt peccata mortalia, alia venialia; *d)* alia est conditio hominis in statu integro, alia in statu lapso; *e)* demum, in ipso statu lapso, alia est conditio sine gratia, alia cum gratia:

2) Praemissis hisce distinctionibus, quarum ultima iam praeoccupat articulum sequentem, doctrina articuli tribus conclusionibus comprehenditur. *a)* *1ª concl.* In statu naturae integrae homo potuisset vitare singula et omnia peccata non solum mortalia sed et venialia, sine habitualis gratiae dono.[1] Ratio patet; secus enim quomodo fuisset natura in ordine suo perfecta? - *b)* *2ª concl.* In statu naturae lapsae homo potest quidem, iuvante gratia, vitare singula et omnia peccata mortalia, non autem omnia peccata venialia, impossibilitate utique morali. Ratio desumitur ex vulneribus peccati originalis, naturam etiam post receptam gratiam afficientibus, ex quibus moraliter impossibile fit ut homo omnibus primis motibus irrumpentis concupiscentiae perfecto dominetur.[2] - *c)* *3ª concl.* In statu naturae lapsae homo sine gratia neque valet omnia mortalia vitare, quatenus non potest diu sine peccato mortali manere. Ratio est, quia deficiente ordinatione inter rationem et Deum, moraliter impossibile est ut homo propter Deum vincat difficultates et tentationes a bono ipsum detrahentes, et insuper habitualis inordinatio pravam secum fert inclinationem, quae in subitaneis erumpens, ad gravia peccata detrahit. Quare singula mortalia vitare poterit, non autem diu ab omni mortali abstinere.

Prima conclusio sponte fluit ex analysi naturae integrae, sed non elevatae ad statum supernaturalem. - Secunda con-

[1] Sed haec temperantia a peccato non contulisset nisi iustitiam naturalem, quia ex hypothesi nonnisi naturae viribus fuisset obtenta, non excluso utique auxilio divino sine quo creatura nec durare nec agere valet. Imo, in natura mere integra, nullis dotibus praeternaturalibus roborata, speciali auxilio divino homo indiguisset ad superandos omnes concupiscentiae motus, qui in hoc statu, ex ipsa compositione humanae naturae, non abfuissent. - Cf dicta in volumine praecedenti p. 169 sq.

[2] Card. Satolli pluribus argumentis illustrat et probat conclusionem II: « In « statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali, sanante naturam, ad hoc, « quod omnino a peccato abstineat ». *

* Op. cit., p. 57 sqq.

clusio habenda est de fide. - Tertia minus certo constat.[1] Cf. auctoritates adducendas in *Sed contra est.*

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Eodem vitio laborat quo obi. 2 art. 4, ideoque eodem modo solvitur. Quod autem S. Thomas in responsione dicit: « quod homo se ad gratiam haben- « dam non praeparet », intelligendum est iuxta ea quae in art. 6 exposita sunt.

2ª Obi. Dupliciter peccat. *a*) Supponit, impossibilitatem, de qua sermo, ad singulos actus extendi et esse physicam; *b*) non considerat, ipsam correptionem esse gratiam externam, quacum, de providentia ordinata, coniungitur gratia interna. Insuper qui nimis probat, nihil probat. Si valeret haec obiectio, valeret quoque contra initium fidei et contra praeparationem ad gratiam ex gratia.

3ª Obi. Tripliciter potest hoc Scripturae axioma servari; *a*) de homine in statu integro, iuxta dicta in resp.; *b*) de homine sub motione divina ad gratiam, cui potest resistere vel cooperari; *c*) de homine sub gratia, quam potest servare vel amittere.

Adest quoque quartus sensus, cautius adhibendus, de initiali conatu ante ipsam gratiae motionem: tunc utique valet de malo quod homo eligere, et quo gratiae praevenienti obicem ponere potest; minus tamen valet de bono, nisi lato sensu, et quidem ex vi voluntatis salvificae universalis.

Sed contra est. Quod Augustinus ex hac petitione Orationis Dominicae argumentum ducit, valet tum ad secundam, tum ad tertiam conclusionem demonstrandam. Quoad utramque auctoritates afferendae sunt.

Secunda conclusio, uti supra diximus, de fide est contra Pelagianos, qui, Stoicorum placitis plus minus addicti, hominem in hac vita non solum ad impeccantiam perfectam, sed etiam ad perfectam imperturbabilitatem pervenire posse praesumebant. Contra quem errorem Concilium Milevitanum II

[1] Doctrinam quoad graviora peccata ita formulat Card. Billot: « Communior et « in Scripturis Sanctis fundatissima doctrina est, quod gratia habitualis seu san- « ctificans est determinate requisita ad hoc ut possit diu vitari mortale peccatum. « Quo fit ut homo extra statum iustitiae existens, nisi cito per poenitentiam repa- « retur, nequit non identidem in nova mortalia incidere ». * - Cf. dicta p. 203 sq.

* Op. cit., th. IV, p. 101.

et Carthaginiense plenarium catholicam doctrinam vindicarunt. Iuvat integros canones 6, 7 et 8 referre. Primus ita sonat: « Item placuit, quod ait S. Ioannes apostolus: [1] « " Si dixerimus, quia peccatum hon habemus, nos ipsos « seducimus, et veritas in nobis non est: „ quisquis sic acci- « piendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non opor- « tere dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, « anathema sit. Sequitur enim apostolus et adiungit: " Si « autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et « iustus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni « iniquitate „. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, « sed etiam veraciter dici. Poterat enim apostolus dicere: « si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extol- « limus et humilitas in nobis non est. Sed cum ait: " nos ipsos « decipimus, et veritas in nobis non est„, satis ostendit, eum « qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed « falsum ».

Can. 7 eamdem veritatem ex variis aliis Scripturae locis evincit. « Item placuit, ut quicumque dixerit in Oratione « Dominica, ideo dicere sanctos: " Dimitte nobis debita « nostra „, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis « necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo « peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: « Dimitte *mihi* debita mea, sed dimitte *nobis* debita nostra, « ut pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, « a. s. Sanctus enim et iustus erat apostolus Iacobus, cum « dicebat: " In multis enim offendimus omnes. „ [2] Nam quare « additum est " omnes „, nisi ut ista sententia conveniret in « Psalmo, ubi legitur: " « Non intres in iudicium cum servo « tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vi- « vens „? [3] Et in oratione sapientissimi Salomonis: « Non « est homo qui non peccet „. [4] Et in libro Iob.: " In manu « tua omnis homo signat, ut sciat omnis homo infirmitatem « suam. [5] Unde etiam Daniel sanctus et iustus, cum in ora-

[1] I Ioann., i, 8, 9.
[2] Iac., iii, 2.
[3] Ps. cxliii, 2.
[4] Eccles., vii, 21.
[5] Iob., xxxvii, 7.

« tione pluraliter diceret: " peccavimus, iniquitatem feci-
« mus „, et caetera, quae ibi, [1] veraciter et humiliter confi-
« tetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, haec
« non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis,
« postea dixit: " *Cum orarem* et confiterer peccata *mea* et
« peccata populi mei Domino Deo meo „, noluit dicere pec-
« cata nostra, sed populi sui dixit et *sua,* quia futuros istos
« qui tam male intelligunt, tamquam propheta praevidit „.
His locis addi poterant illa Proverbiorum: « Quis potest
« dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato? », [2]
et « Septies cadet iustus, et resurget ». [3]

Can. 8 alteram explicationem excludit verborum « Dimitte nobis », similem explicationi iam in can. 6 exclusae. « Item placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicae Oratio-
« nis, ubi dicimus: " Dimitte nobis debita nostra „ ita volunt
« a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, a. s.
« Quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi Domino
« mentientem, qui labiis sibi dimitti dicit velle, et corde dicit,
« quae sibi dimittantur debita non habere? ». Et Conc. Diospolitanum can. 15 damnavit propositionem Pelagii dicentis, victoriam non esse ex adiutorio gratiae, sed ex libero arbitrio. [4]

Carthaginiensis Concilii doctrinam Synodus Tridentina solemniter sancivit, ubi ait: « Si quis hominem semel iusti-
« ficatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam
« venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemad-
« modum de B. M. V. tenet Ecclesia, a. s. ». [5]

Confirmatur eadem doctrina per auctoritatem et traditionem Patrum. *Cyprianus,* allatis verbis Proverbiorum [6] et Ioannis, [7] ita disserit: « Si autem nemo esse sine peccato
« potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit, aut super-
« bus aut stultus est: quam necessaria, quam benigna est
« divina clementia, quae, cum sciat non deesse sanatis quae-

[1] Dan., ix, 5.
[2] Prov., xx, 7.
[3] Ibid., xxiv, 16.
[4] Cfr. Epist. synod. (19 Augustin.) Conc. Carth. ad Innocentium.
[5] Sess. vi, can. 23.
[6] Loc. cit.
[7] Loc. cit.

« dam postmodum vulnera, dedit curandis sanandisque vul-
« neribus remedia salutaria ». Unde: « Quando oramus ne
« in tentationem inducamur, admonemur infirmitatis et im-
« becillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolen-
« ter extollat ».[1] Idem docet *Hilarius:* « Sunt multa saeculi
« scandala, quae prohibent perfectam in nobis mandatorum
« esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quae nos inte-
« rim aut per infirmitatem, aut per incentiva vitiorum imper-
« fectos esse compellunt. At vero, morte victa et aculeo eius
« obtuso, et cum facie ad faciem audiemus atque cernemus;
« tunc vere et vivemus et mandata Dei servabimus ».[2]

Porro *Augustinus* contra impeccabilitatem Pelagianam saepius ac strenue certavit: « Illud vero quod sequitur: " Ne
« nos inducas in tentationem „ non sic accipiunt tamquam
« Deus orandus sit, quo nos ad superandas tentationes
« adiuvet peccatorum; sed ne quisquam irruens corporali-
« ter nos humanus casus affligat: quoniam tentationem
« vincere, ita sit in nostra positum potestate, possibilitate
« naturae, ut hoc inaniter impetrandum orationibus arbitre-
« mur ».[3] Intimam exponit rationem ob quam levissima quaeque homo, etsi iustus, semper vitare nequit:[4] « Sed hoc
« non vident, quod ad nonnulla superanda vel quae male cu-
« piuntur, vel quae male metuuntur, magnis aliquando et totis
« viribus opus est voluntatis: quas nos non perfecte in omni-
« bus adhibituros praevidit, qui per prophetam veridice dici
« voluit: " Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens „ »,[5]
Et pergit remedium contra has imperfectiones in operibus misericordiae et in Oratione Dominica commendando: « Tales
« itaque nos futuros Dominus praevidens, quaedam salubria
« remedia contra reatum et vincula peccatorum etiam post
« baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet mi-
« sericordiae, cum ait: " Dimittite et dimittetur vobis; date
« et dabitur vobis „ .[6] ... Propter hoc et Dominus orare nos
« docens, inter caetera monuit ut dicamus: " Dimitte nobis

[1] *De orat. Dom.*
[2] *In ps. CXVIII,* Litt. III, n. 6. – P. L., t. IX, col. 519 sq.
[3] Epist. 94.
[4] *De pecc. mer. et remiss.,* l. 2, n. 3, 4. - Cfr. Homil. 23.
[5] Ps. CXLIII, 2.
[6] Luc., VI. 37- 38.

« debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus no-
« stris, ... etc. „ ». Quare alibi dicit: talia « orationis penicillo
« terguntur » [1] Rationem petit ab ipsa mutabilitate humanae naturae. « Voluntas (hominis) infirma ad efficiendum, facilis
« ad audendum, ... nihil in suis habet viribus, nisi periculi
« facilitatem; quoniam voluntas mutabilis quae non ab incom-
« mutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniqui-
« tati quanto acrius intenditur actioni ». [2]

Concordat *Hieronymus,* qui haec scribit: « Quamdiu ille
« finis adveniat et corruptivum hoc atque mortale incorru-
« ptione et immortalitate mutetur, necesse est nos subiacere
« peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris vitio,
« sed fragilitate et mutatione voluntatis humanae, quo per
« momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis ». [3] Et arguens ex verbis Christi: « Vigilate et orate », ait: « Debuis-
« set dicere iuxta vos: Surgite, resistite, habetis enim liberum
« arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nul-
« lius alterius indigetis auxilio ». [4]

Eodem prorsus spiritu, ad verba: « Fidelis Deus » [5] etc. *S. Chrysostomus* ait: « Sunt ergo tentationes quae ferri non
« possunt. Et quae sunt hae? Omnes, ut semel dicam: posse
« enim ferri, situm est in Dei metu ». [6]

Unde proclamat *S. Prosper:* « Quisquis in tribulatione
« non deficit, ab illo se non dubitet iuvari ad quem quo-
« tidie corda universorum fidelium clamant: " ne nos inducas
« in tentationem „ ». [7]

Non alia mente ductus est *S. Benedictus* in disponendo opere Dei. « Plane, ait in Regula sua, agenda Matutina
« (Laudes) et Vespertina non transeant aliquando, nisi ultimo
« per ordinem Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur
« a Priore, propter scandalorum (leviter scil. lesae chari-
« tatis fraternae) spinas, quae oriri solent, ut conventi per
« ipsius Orationis sponsionem, qua dicunt: " Dimitte nobis

[1] *Serm.,* 181, 6.
[2] *De voc. gent,* l. I, c. 8.
[3] *Ctr. Pelag.,* l. II, n. 30.
[4] *Ctr. Pelag.,* l. II.
[5] I Cor., XI, 13.
[6] *Homil.* 24, in I ad Cor.
[7] *Ctr. Collat.,* c. 35.

« debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris „ « purgent se ab huiusmodi vitio ».[1]

Obiiciuntur huic doctrinae verba Ioannis: « Omnis qui « natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius « in eo manet, et non potest peccare; quoniam ex Deo natus « est ».[2] Et « Omnis qui in eo manet, non peccat ».[3] .... Sed responsum patet. 1) Impossibile est, Ioannem in eadem epistola sibi contradicere. Atqui certo affirmat, quemcumque iustum peccata propria confitenda habere. « Si dixerimus quoniam « peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in « nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et « iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos « ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, « mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis ».[4] – 2) Ex contextu constat, Apostolum in hoc capite tertio per *peccatum* intelligere peccatum mortale, non autem levia quaeque. Ita in v. 6 sequitur immediate: « Et omnis qui pec- « cat, non vidit eum, nec cognovit eum », et in v. 8: « Qui « facit peccatum, ex diabolo est » etc. Quae omnia non habent veritatem, nisi de mortali peccato dicta. - 3) Debent autem de mortali intelligi in sensu reduplicativo, scilicet: qui natus est ex Deo, formaliter ut talis, peccatum non facit. Secus incideretur in aliud falsum: iustum scilicet iustitiam per mortale peccatum amittere non posse.

Iuxta distinctionem in 2) positam intelligendus est Ambrosius, quando, ex laude Zachariae et Elizabeth in Evangelio tributa, quod « erant iusti ambo ante Deum, incedentes « *in omnibus* mandatis et iustificationibus Domini sine quae- « rela »,[5] concludit, posse iustum vivere sine peccatis. Caeterum aliud est, aliquem *omnes* legis praescriptiones servare, aliud, eum in minimis, quoque internis, quae legem aliquo modo fugiunt, se immaculatum custodire. Ipse Ambrosius ita mentem suam aperit, quando fatetur, Ecclesiam non posse esse ab initio (id est in hac vita) immaculatam, « humanae

[1] Cap. XIII.
[2] I IOANN., III, 9.
[3] Ibid. 6.
[4] Ibid., I, 8, 9, 10.
[5] LUC., I, 6

« enim hoc impossibile naturae ».[1] – Unde sacerdos sacrum oblaturus ad pedem altaris peccata sua confitetur et in Missae offertorio oblationem offert pro « peccatis, offensionibus, « et negligentis » suis.

Tertia conclusio, uti iam diximus, non eiusdem est certitudinis, [2] quum nulla de eadem expressa Ecclesiae definitio adsit. Suadetur tamen efficacissime ex toto capite VII epistolae S. Pauli ad Romanos, in quo moralis impossibilitas exhibetur, ut homo legem concupiscentiae superet: « Velle « adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio... Infelix « ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? « Gratia Dei per I. C. D. N. ».[3] Unde Augustinus: « Sunt « quidem tantum praesumentes de libero humanae voluntatis « arbitrio, ut ad non peccandum nec adiuvandos nos divinitus « opinentur, semel ipsi naturae nostrae concesso liberae volun- « tatis arbitrio ».[4] Indirecte idem demonstratur per Orationis Dominicae petitionem: « Et ne nos inducas in tentatio- « nem », de qua rursus Augustinus: « Plane quisquis negat nos « orare debere ne intremus in tentationem, (negat autem hoc « qui contendit ad non peccandum gratiae Dei adiutorium « non esse homini necessarium, sed sola lege accepta huma- « nam sufficere voluntatem); ab auribus omnium removen- « dum, et ore omnium anathemandum esse non dubito » [5] Iam vero si hoc de quovis iam Christi legem habente valet, quid dicendum erit de simplici infideli? Augustinus enim recte monet: « Naturae praesertim vitiatae... parum esse « ad non peccandum voluntatis arbitrium; nisi adiecta sane- « tur gratia [6] ».

Utraque autem conclusio per *legem supplicandi* strenue confirmatur, uti, inter tot alias exceptae ostendunt sequentes

[1] *In Lucae* cap. I, – Cfr. AUGUSTINUM, *De natura et gratia*, c. LX, n, 70 sqq.

[2] Ripalda * censet, doctrinam contrariam, saltem quoad possibilitatem superandi graviores tentationes sine auxilio gratiae, nulla theologica censura dignam esse. Suarez vero ** putat, eam non solum temerariam, sed etiam errori proximam.

[3] ROM., VII, 18, 24. Cfr. quae de hoc loco scripsimus in praecedenti nostro volumine, p. 625 sqq.

[4] *De pecc. remiss.*, l. II, n. 2. – Cfr. *De nat. et grat.*, c. 58.

[5] In fine l, *de perf. iustit.*

[6] Ibid., c. 2.

* Disp. 114, s. 19, n. 179.

** Op. cit. l. I, c. 26, n. 12.

orationes Ecclesiae: « Deus, qui nos in tantis periculis con-
« stitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere;
« da nobis salutem mentis et corporis... ».[1] – « Familiam
« tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi: ut
« quae in sola spe gratiae caelestis innititur, tua semper
« protectione muniatur ».[2] – « Deus, qui conspicis omni nos
« virtute destitui: interius exteriusque custodi, ut ab omni-
« bus adversitatibus muniamur in corpore, et a praxis cogi-
« tationibus mundemur in mente ».[3] – Et in *Te Deum* orat:
« Dignare, Domine, die ista sine peccato nos custodire ».

Confirmatur autem haec doctrina *a*) per declarationem Innocentii I: « Quotidiana praestat ille (Deus) remedia, quibus
« nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos
« poterimus errores »;[4] et *b*) per declarationem quinque episcoporum ad eumdem: « Satis apparet, quod ad non pec-
« candum, id est, ad non male faciendum, quamvis esse non
« dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non
« sufficiat, nisi adiuvetur infirmitas ».[5] Ex quibus rursus declarationibus a fortiori arguere licet.[6]

Pulcherrime Bossuetius hanc doctrinam proclamat. Praemissa distinctione inter triplicem statum: dominantis concupiscentiae, quae extinguit charitatem, perfecte regnantis charitatis, quae omnem extinguit concupiscentiam, et regnantis quidem charitatis, sed nondum perfecte, quia concupiscentiae morsum adhuc sentit, ita pergit:

« En ce lieu de misère et d'infirmité où la chair con-
« voite contre l'esprit, il n'y a aucun homme exempt de
« péché. Car si la convoitise domine, il s'ensuit que la cha-
« rité est vaincue, et l'homme est précipité aux péchés
« damnables. Et encore que la charité soit victorieuse, toute-
« fois la convoitise résiste, et dans une si âpre mêlée et une
« résistance si opiniâtre, où nous avons à nous combattre
« nous-mêmes, il arrive infailliblement que l'esprit qui sur-

[1] Dom. IV post Epiph.

[2] Dom. V post Epiph. In qua oratione vides, spem in solo Deo repositam, tamquam exauditionis titulum humili devotione exhiberi.

[3] Dom. II Quadrag.

[4] *Ep. 29, n. 6, ad patres Conc. Carthag.*

[5] Inter ep. Innocentii, 28.

[6] Cf. addenda in fine articuli.

« monte par la charité, reçoit quelques blessures par la con-
« voitise. C'est pourquoi nous avons besoin toute notre vie
« de recourir au baptême des larmes et au remède salutaire
« de la pénitence ».[1] Et alibi in haec eloquenter prorumpit:
« Ah! fidèles, ne craignons pas de confesser ingénûment
« nos infirmités: que ceux-là en rougissent, qui ne savent
« pas le remède, qui ne connaissent pas le Libérateur. Pour
« nous, n'appréhendons pas de montrer nos plaies et avouons
« que notre nature est extrêmement languissante. Et com-
« ment pourrions-nous le nier? Quand nous voudrions le
« dissimuler ou le taire, toute notre vie crierait contre nous;
« nos occupations ordinaires temoignent assez où tend la
« pente de notre cœur. D'où vient que tous les sages s'ac-
« cordent que le chemin du vice est glissant? d'où vient
« que nous connaissons par expérience, que non seulement
« nous y tombons de nous-mêmes, mais encore que nous y
« sommes comme entraînés? ou bien que, pour monter à cette
« éminence où la vertu établit son trône, il faut se raidir
« et bander les nerfs avec une incroyable contention?... De
« là les gémissements de l'Apôtre et de tous les vrais servi-
« teurs qui se plaignent qu'ils sont captifs.... Et partant, qui
« donc serait si superbe, qui voyant saint Paul si vivement
« attaqué, ne confesserait pas devant Dieu, dans l'humilia-
« tion de son âme, que vraiment notre maladie est extrême
« et que les plaies de notre nature sont bien profondes? ».[2]

In Corpore. En argumentum schemate contractum.

- Homo potest vitare peccata
  - I) in statu *integro:* — omnia tum mortalia, tum ipsa venialia, etiam sine gratia;
  - II) in statu *lapso:*
    - *A) cum* gratia habituali;
      - 1) omnia *mortalia;*
      - 2) *venialia:*
        - *a*) singula (inde peccata);
        - *b*) non omnia (ex concupiscentia);
    - *B) sine* gratia habituali:
      - 1) mortalia:
        - *a*) singula, ad aliquod tempus;
        - *b*) non diu omnia:
          - α) ex defectu ordinationis;
          - β) ex inclinatione positiva in peccatum;
      - 2) venialia: a fortiori, cum eadem distinctione.

[1] *Réfutation du catéchisme de Paul Ferry,* c. 11.
[2] *Sermon pour le jour de la Pentecôte.*

Adverte 1), gratiam requisitam ad non peccandum esse formaliter gratiam medicinalem, non autem elevantem, nisi indirecte; et quidem dupliciter: tum *a*) quatenus est principium ordinationis in Deum, tum *b*) quatenus est principium meriti. Haec autem gratia medicinalis, secundum quod vel antecedenter ex voluntate salvifica, vel consequenter intuitu gratiae habitualis, homini datur, pertinet ad ordinem naturae reparatae, et sub hoc respectu est supernaturalis quoad modum et quoad finem. Quousque autem antecedenter singulis non ponentibus obicem detur, non huius loci est evolvere.[1]

Adverte 2), quam bene S. Thomas effatum Paulinum: « Ego ipse mente servio legi Dei, etc. », tamquam fundamentum doctrinae suae adhibeat. Concupiscentia quippe, seu lege peccati durante, reparatio hominis nondum est absoluta, sed in patria complenda.[2] Mirum inde non est, nos, etiamsi gratia superabundet peccato, minus tamen valere, quantum ad vitanda peccata, in statu supernaturali reparato, quam valuissemus in statu mere naturali, sed integro.

Adverte 3) gradationem in rationibus *B*), 1), *b*), α) et β). Ratio α) est negativa, et valet etiam de solo originali peccato infectis; ratio β) iam est positiva, magis valens de peccato personali gravatis.

Corollarium I. – Fluit directe ex doctrina huius articuli, collata cum doctrina articuli quarti, quam misera sit conditio hominum qui media supernaturalia negligunt, sine quibus impossibile est omnia praecepta implere et ab omni peccato se immunem custodire. Quare ad nihil magis strenue adhortandi sunt homines quam ut ad supernaturalium mediorum usum frequentem recurrant; imo suadendum valde illis qui sancto zelo iuvenibus christiane educandis incumbunt, ut haec media omnibus aliis supernaturali intuitu praeponant. Optime id innuit Cl. P. Hugon O. Pr.: « De cette impuissance géné-
« rale de l'homme pour le bien se dégage une conclusion très
« importante, à méditer longuement par tous ceux qui tra-
« vaillent au relèvement de la Société. Certes, elle mérite les

[1] Cf. de hoc argumento conclusiones Suarezii apud Hurter, op. cit., p. 37, not. 3.

[2] Cf. quae de hoc argumento scripsimus in precedenti nostro volumine, imprimis p. 752 sqq.

« éloges la vaillante jeunesse qui, pour mieux aller au peu-
« ple, fait appel à toutes les ressources de la civilisation et
« à toutes les aspirations de l'âme moderne; mais qu'on se
« garde bien d'oublier que la restauration de l'humanité ne
« se fera, comme l'a rappelé éloquemment S. S. Pie X, que par
« Notre-Seigneur Jésus-Christ: *Instaurare omnia in Christo.*
« Puisque notre nature ne peut être guérie que par la grâce
« surnaturelle, la vie pour les sociétés et pour les individus
« ne viendra que du Rédempteur ».[1]

Corollarium II. – Nihil ex huius art. doctrina sequitur quod offendat humanam libertatem, sine qua nequit haberi peccatum. Necessitas enim peccandi est eiusdem indolis ac impossibilitas non peccandi. Iam vero, quum haec non sit nisi moralis, et illa dumtaxat moralis sit oportet. Unde, licet singula peccata vitari possint, – quod sufficit ad culpabilitatem peccati quod committitur, – nihilominus, – eo quo superius exposuimus modo, – nec omnia nec diu moraliter poterunt vitari. Bene id illustrat Cl. van der Meersch: « Cum
« morali hac necessitate bene componitur libertas: in sin-
« gulis enim tentationibus et in quolibet momento durationis
« earum adest physica potestas peccato resistendi, quae
« utique coniungi potest cum parva vel magna difficultate:
« attamen si homo velit totum adhibere conatum quo capax
« est, vincet tentationem: ideo peccat, si male agit. Unde
« haec impotentia moralis non est per determinationem ad
« unum quae excludit libertatem, sed per inconstantiam et
« infirmitatem operantis, quae libertatem supponit, et perfe-
« ctioni libertatis, atque constantiae et fortitudini opponi-
tur ».[2] Quare, stricte loquendo, talis homo a Deo non condemnatur quia vitae decursu peccata omnia non vitavit; sed quia cum libero consensu haec vel illa peccata committit.

Bene Card. Billot utrumque ita conciliat: « Stant ergo
« duo simul: et quod totius legis observantia sit libero arbi-
« trio sibi relicto per diuturnum tempus moraliter impossi-
« bilis, et quod nihilominus singula quaeque legis violatio,
« non materiale tantum, sed et formale peccatum consti-

[1] *Revue Thomiste,* 1905, t. XIII, p. 572.
[2] Op. cit, p. 78 ssq. - Cf. SUAREZ (*De gratia,* l. I, c. 24, n. 27).

« tuat, in eis profecto qui plena legis scientia instructi sup-
« ponuntur, et de quibus solis... praesens currit dispu-
« tatio ».[1]

Corollarium III. - Ex quo iam sequitur et aliud corollarium: non recte scilicet praesentem quaestionem solvi dicendo, hominem non posse sine gratiae iuvamine ullam superare tentationem gravem. Etenim quomodo hoc demonstrabitur verum, quum Scriptura e contra asserat, Deum non tentare hominem supra vires? Quomodo tunc in singulis tentationibus salvabitur non peccandi libertas? Insuper, quaenam erit mensura huius tentationis gravis? Nam si dicas, eam esse gravem quae superari non possit, incidis, uti bene monet Cl. Pesch,[2] in tautologiam. Dicatur igitur hominem, etiam sine iuvamine gratiae, posse singulas tentationes etiam graves superare, non autem diu id posse, ob rationes in ipsa articuli illustratione expositas. Unde poterit dari casus hominis, qui, vix superata tentatione graviori, remissa resistentiae acie et robore, leviori tentationi succumbat, sicuti in re militari non raro accidit ut in magno praelio victor, in colluctatione minori superetur.

Corollarium IV. - Quum iuxta exposita in hoc articulo absque singulari Dei privilegio homo non possit, etsi iustus, diu singula peccata venialia vitare, pars nostrae iustitiae residet in agnoscenda hoc perfectae iustitiae defectu. Pulchre Bossuetius: « Nous confessons humblement que c'est une
« partie de notre justice de reconnaître que nous sommes
« pécheurs, est que celui-là est le plus avancé dans la justice
« de cette vie, qui remarque, en profitant tous les jours, com-
« bien il est éloigné de la perfection de la justice ».[3]

Sed haec pie dicta iam inducunt argumentum articuli sequentis, utpote quo totam suam vim accipiunt.

[1] Op. cit., p. 82.
[2] *Tractatus dogm.*, t. v, n. 157.
[3] Op. cit., loc. cit.

ARTICULUS IX.

UTRUM ILLE QUI IAM CONSECUTUS EST GRATIAM, PER SEIPSUM POSSIT OPERARI BONUM, ET VITARE PECCATUM ABSQUE AUXILIO GRATIAE.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Hucusque egimus plerumque de necessitate gratiae tum habitualis tum actualis pro homine eis destituto. Nunc de gratiae actualis necessitate pro homine iam habitualem gratiam possidente. Iam vero in tali homine duplex respectus est considerandus: *a*) respectus gratiae ad operationem in via, *b*) respectus gratiae ad ipsum viae terminum. De primo respectu agitur in articulo praesenti, de altero in sequenti.

2) Porro dum in praecedentibus articulis S. Thomas de possibilitate tum operandi bonum tum vitandi peccatum distincte quaesierit; hic de utraque unico articulo quaerit. Non ideo tamen pro utraque magis eadem est ratio sub habituali gratia, quam ante receptam gratiam habitualem. Sed hucusque exposita inserviunt ad brevius solvenda quae supersunt.

3) Et primo quidem de gratia ad operandum bonum. Bonum de quo hic agitur, intelligendum est bonum meritorium vitae aeternae. Iam vero, licet gratia habitualis sit fundamentum meriti, oportet tamen quod ad agendum meritorie adsit insuper gratia actualiter facultates movens. Haec autem gratia non est simpliciter motio ad qualemcumque actum creaturae requisita, sed motio superioris ordinis, movens facultates ut supernaturali virtute secundum gratiam habitualem agant. Haec enim gratia habitualis formalem operationem facultatum non ita per se elevat, ut hae facultates non amplius agere possint ex virtute naturali.[1] Unde ut ex virtute agant supernaturali et non mere naturali, oportet ut modo ipsi habituali gratiae proportionato moveantur. Haec autem est motio formaliter facultates uti facultates elevans.

4) Huic motioni insuper accedit formalitas gratiae medicinalis, quatenus non solum elevantur facultates, intellectus

[1] Hanc rationem non satis nobis prae oculis habere videntur illi, qui de hac necessitate sub gratia habituali dubitant.

scilicet et voluntas, sed quatenus per illustrationem et stimulum, sive, ut loqui solet Augustinus, per illuminationem et spiritualem delectationem, id in utraque sanatur quod ex originali lapsu in eis remanet, ignorantia quippe et concupiscentia. Ex quibus vides, gratiam actualem in operandum bonum meritorium esse in recto elevantem, in obliquo medicinalem.

5) Oppositum dicendum est de gratia actuali requisita ad vitandum malum; haec enim est in recto medicinalis, in obliquo autem elevans. Quod ita redditur manifestum. Medicinalem esse in recto gratiam ad vitanda peccata requisitam, patet ex hoc solo quod ignorantia et concupiscentia, quibus impedimur ne pericula subito advertamus, ipsique periculo iam urgenti tempestive et fortiter resistamus, vulnera sunt originalis peccati, a quibus sanari iugiter indigemus. Inde praesertim orare iubemur: « Ne nos inducas in « tentationem ».

6) Ad resistendum autem tentationibns non solum efficaciter, sed etiam meritorie, oportet ut qua resistimus, virtus sit supernaturalis, fiatque resistentia opus cum fine supernaturali proportionem habens. Quod praestat gratia formaliter ut elevans. Habes igitur gratiam in recto medicinalem, in obliquo elevantem.

7) Ex hucusque dictis apparet, necessitatem gratiae actualis formaliter ut elevantis, nullam involvere imperfectionem in ipsa gratia habituali cui superstruitur; necessitatem autem gratiae actualis formaliter ut medicinalis, imperfectionem quidem involvere, non autem in gratia ipsa habituali, sed in conditione naturae reparatae, sed adhuc in stadio viae, quatenus, profundo suae sapientiae consilio, Deus plenam evolutionem gratiae sanantis ad patriam usque distulit.

8) Conclude ergo, auxilium actuale formalissime elevans requiri ex conditione essentiali creaturae elevatae in sua relatione ad Creatorem elevantem; quod auxilium tantopere ab imperfectione remotum est, ut exigatur, de potentia absoluta Dei, etiam sub lumine gloriae; ne creatura rationalis elevata Deoque coniuncta monstruosae inactioni relinquatur. Repugnat enim ut creatura aeternitatem Dei, immobilitate actus, vel divinae essentiae independentiam existentiâ

propriâ participet; quare, etiam in lumine gloriae, creatura indiget a Deo conservari et ad actum moveri. Imo, quo altius est esse in gloria participatum, quo sublimior actus visionis qua in hac gloria beatur, eo magis a summo ente et actu et conservari indiget et moveri.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat dicta partim n. 7, partim n. 8.

2ª Obi. Dupliciter peccat: *a*) non attendit ad rationem absolutam ob quam actualis gratia praeter gratiam habitualem requiritur; *b*) non considerat, gratiam hanc actualem, non minus quam habitualem, auctorem habere Spiritum Sanctum.

3ª Obi. Non distinguit inter gratiam habitualem et actualem. Cfr. dicta in initio *Corporis* art. 6; et in prima parte praesentis *Corporis*.

Sed contra est. Quoad argumentum hic a S. Thoma allatum duo notentur. *a*) Quid de comparatione? Ingeniosa est utique; attamen per excessum peccare videtur, quum non satis tribuat gratiae habituali iam supernaturali luce animam perfundenti. *b*) Quid de allato textu? Fatendum est, illum vix ad intentum probandum per se valere, quum potius sit de ipsa iustificationis gratia, habituali scilicet, intelligendus. Sed optimo iure a S. Thoma adducitur ad illustrandam comparationem a S. Augustino depromptam.

Nec desunt plures alii Scripturae textus quibus thesis praesens demonstretur. Sufficit remittere ad testimonia in articulis 1 et 2 huius Quaestionis adducta, ubi de necessitate gratiae praevenientis ad actus supernaturalis cognitionis et volitionis, et ad omnes actus salutares, directe agebamus. Ecquid iugis oratio a Christo et ab Apostolo tam instanter commendatur, nisi quia semper et ubique ad bene agendum et malum evitandum gratia indigemus?

Adde auctoritates sequentes: *a*) In Epistola *Tractoria* Zosimus papa scribit: « Quod tempus intervenit, quo eius non « egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogi- « tationibus, motibus, adiutor et protector orandus est ». Quae verba nullam patiuntur exceptionem, imo supponuntur directe de iustis actuali gratiae auxilio indigentibus dicta.

b) Pariter in Concilio *Arausicano II,* cap. 25, habetur « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod « accepta per baptismum gratia, omnes baptizati Christo « *auxiliante et operante,* quae ad salutem pertinent, possint « et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ». Cf. ultimam partem epilogi, superius in illustratione articuli 6 citati, aliasque auctoritates in eodem articulo adductas.

c) Impliciter continetur haec conclusio in pluribus auctoritatibus, quibus speciale *perseverantiae* donum evincitur. Cf. art. seq.

d) Pariter demonstratur ex *orationibus* quibus Ecclesia iuge gratiae auxilium efflagitat. Nil efficacius v. gr. orationibus sequentibus: « Deus, a quo sancta desideria, recta « consilia et iusta sunt opera... ». « Actiones nostras, quae« sumus Domine, adspirando praeveni et adiuvando prose« quere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper « incipiat, et per te coepta finiatur ».[1] « Accende lumen « sensibus, infunde amorem cordibus ».[2] « Dirigere et san« ctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex « caeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, ser« mones et actus nostros in lege tua et in operibus man« datorum tuorum; ut hic et in aeternum, te auxiliante, « salvi et liberi esse mereamur ».[3] Cf. alia exempla art. 1 et 2 adducta.

c) Confirmatur itidem ex doctrina Patrum: α) *Hieronymus* scribit: « Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia « replicanda sunt, quomodo per singula Dei a sanctis flagi« tetur auxilium et in singulis operibus suis illo adiutore et « protectore uti desiderent. Lege tantum psalterium, omnes « sanctorum voces, nihil erit nisi ad Deum in cunctis operibus « deprecatio ».[4] Quo autem spectarent haec, nisi iusti auxilio Dei in cunctis indigerent? - β) *Augustinus* directe vindicat necessitatem gratiae actualis, ut homo iam iustificatus bene agere et vivere possit. « Si ergo vulnere, verbi gratia, clau« dicans ideo curatur, ut sanato malo praeterito futurus

[1] In Litan. Sanctor.
[2] In hymno *Veni Creator.*
[3] Ad Primam.
[4] *Dial. c. Pelag.,* c. I, n. 5.

« dirigatur incessus; sic mala nostra, non ad hoc solum « supernus medicus sanat, ut illa iam non sint, *sed ut de « caetero recte ambulare possimus; quod quidem etiam sani « nonnisi illo adiuvante poterimus* ».[1] Hanc autem necessitatem adiutorii divini tantopere Augustinus urget, ut eam ad originalem quoque hominis statum extendat: « Si de « integra et sana hominis natura loqueretur, ait, quam modo « non habemus: " spe enim salvi facti sumus „[2] nec sic recte « diceret (Pelagius), quod non peccare nostrum tantummodo « sit, quamvis peccare nostrum esset; nam et tunc esset « adiutorium Dei, et tamquam lumen sanis oculis, quo adiuti « videant, se praeberet volentibus ».[3] Et alibi idem docet: « Nec ipsum (Adamum) Deus esse voluit sine sua gratia, « quam reliquit in eius libero arbitrio. Quoniam liberum arbi- « trium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi « adiuvetur ab omnipotenti bono. Quod adiutorum si homo « ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset « bonus: sed deseruit, et desertus est. Tale quippe erat adiu- « torium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret « si vellet, non quo fieret ut vellet. Haec prima est gratia, « quae data est primo Adam; sed haec potentior est in « secundo Adam, etc. ».[4] Quibus verbis, - summi momenti ad recte intelligendum Augustini systema de gratia in statu originali et in statu reparato, - necessitas gratiae actualis tum elevantis tum medicinalis, ut iusti possint operari bonum ac vitare malum, eloquenter evincitur. Quid autem in mente S. Augustini intersit inter auxilium *quod* et *quo,* loco opportuno investigamus.[5]

In Corpore. En schema huius argumenti:

- Homo iustificatus indiget ad recte vivendum:
  - 1) non alio dono *habituali* elevante et sanante (esset processus in infinitum); sed
  - 2) auxilio *actuali:*
    - *a*) ex ratione *generali,* qua creatura indiget moveri a Deo;
    - *b*) ex ratione *speciali* qua iustificatus adhuc indiget sanari:
      - α) ab ignorantia;
      - β) a concupiscentia.

[1] *De nat. et grat.,* c. 26.
[2] Rom., viii, 24.
[3] Ibid., c. 4, 8.
[4] *De corr. et gr.,* xi, 31.
[5] De hoc capite fusius agendum erit, ubi de distinctionibus gratiarum.

Observa: 1) Directe ex hac argumentatione evincitur necessitas gratiae actualis medicinalis; non autem, nisi indirecte, necessitas gratiae actualis elevantis. Ratio enim exposita in 2° *a*) non loquitur de distinctione ordinum. Inde theologi existimant, minus certo de hac altera necessitate constare. Putamus nihilominus solidissimum esse argumentum rationis theologicae in statu quaestionis expositum. (Cf. dicta in fine art. sexti ex S. Bonaventura et ex ipso Angelico pro gratia praeveniente ad habitualem gratiam disponente). Quam rationem Ripalda evolvit hoc modo « Omnis « actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se cogitationem et affectionem « supernaturalem circa obiectum in quod afficitur. At cogitatio et affectio supernaturalis praeveniens necessario « actum salutarem est gratia auxilians actualis. Ergo omnis « actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se gratiam auxiliantem actualem ».[1]

Notandum tamen, hoc argumentum vix valere pro illis qui tenent, obiectum formale actus meritorii ex gratia posse esse omnino idem cum obiecto formali actus ethice boni. Quidquid de hoc sit, – putamus distinguendum esse inter obiectum formale proximum et remotum; de primo concedimus, de altero negamus, – modus quo supra n. 3 argumentum confecimus, universalius patere videtur.

Observa: 2) Ex duabus Orationis Dominicae petitionibus quas S. Thomas in fine *Corporis* citat, prima: « Fiat voluntas tua », magis valet ad demonstrandam necessitatem gratiae elevantis ac moventis; altera: « Et ne nos inducas in tentationem », efficacius adstruit necessitatem gratiae medicinalis ac sanantis.

Quaeres. – Estne doctrina huius articuli ita intelligenda et urgenda ut ad unumquemque actum praedicetur necessitas alicuius gratiae specialis?

Resp. Sufficit ut contra Pelagianos proclametur, hanc gratiam, quam illi inficiabantur, ad singulos actus requiri,

[1] Op. cit. D. 106, s. 3.

quin affirmetur, ad singulos actus requiri singulos huius gratiae motus speciales,[1] nisi sensu superius exposito.

Corollarium I. – Argumenta in expositione articuli allata demonstrant necessitatem non solum moralem, sed *absolutam et physicam.*[2] Etenim si unica ratio huius necessitatis desumeretur ex vulneribus peccati originalis, fatendum esset, non agi hic nisi de necessitate morali. Quum autem praecipua ratio petatur ex ordine supernaturali et gubernatione creaturae a summo motore, necessitas est absoluta et physica. Huc faciunt omnes auctoritates iam superius productae, ubi de illuminatione et motione voluntatis, definitionesque Ecclesiae contra Pelagianos. Huc pariter faciunt loca omnia in quibus Augustinus necessitatem gratiae, *adiuvantis* quidem, adstruit etiam pro homine in iustitia originali; dum, in statu lapso, homo, licet iam iustificatus, indiget insuper gratia *sanante.* Huc discrimen inter auxilium *sine quo non* et auxilium *quo.*[3]

Ergo non modo ad facilius posse, sed ad ipsum posse gratia indigent etiam iusti. « Christe, responde, ait Augusti- « nus, vince atque convince, clama: " Sine me nihil potestis « facere ",[4] ut taceant, qui clamant: Etsi difficilius, tamen « possumus et sine te facere; aut si tacere non possunt, « seipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant ».[5]

Hinc necessitatem quam Patres, praecipue quoad habitualem gratiam, variis similitudinibus illustrant, ad actualem gratiam extendere licet. « Quemadmodum avis, ait *Macarius* « senior, si unicam habuerit alam, ea sola volare nequit; sic « quoque humana natura, si nuda quoad se maneat ut non « recipiat commixtionem et communionem caelestis naturae, « nihil laude dignum efficit ».[6] Iam vero oportet ut haec

[1] Cf. Ioannes a S. Thoma, in i-ii. Disp. xix, n. 24.

[2] A fortiori hoc Corollarium applicatur ad gratiam de qua in art. 5, iam fuse actum est. Quare ibi exposita comple per dicenda in hoc loco.

[3] Conclude ex his: quotiescumque Augustinus potentiam naturalem quam habuit Adamus operandi bonum opponit impotentiae in qua versatur homo lapsus, loquitur de discrimine inter auxilium *sine quo non* et auxilium *quo;* sive inter conditionem in qua sufficit gratia elevans, et conditionem in qua requiritur insuper gratia sanans.

[4] Ioann., xv, 5.

[5] *Op. imperf.,* l. ii, c. 198.

[6] Op. cit., p. 33.

altera ala moveatur ad recte volandum. Ergo. - Et *Irenaeus:* « Quemadmodum oleaster, si non percipiat insertionem, per- « severat inutilis suo domino per suam silvestram qualitatem, « et quasi infructuosum lignum exciditur et in ignem mit- « titur; sic et homo non assumens per fidem Spiritus inser- « tionem, perseverat hoc esse quod erat ante, caro et sanguis « regnum Dei non possidens ».[1] Atqui rursus parum prodesset oleastro bonae insertum esse olivae, nisi iugiter de eius succo aleretur et foecundaretur. Ergo. - *Chrysostomus* pariter: « Oculi pulchri et utiles sunt, sed si voluerint sine « luce videre, nihil iuvat illos pulchritudo vel propria virtus, « imo eam laedit. Sic itaque anima, si voluerit sine Spiritu « videre, sibi ipsi impedimento est ».[2] Iam vero illa lux oculum ad videndum iugiter movet. Ergo.

Corollarium II. - Quemadmodum ex dictis constat, hominem, etsi iustificatum, actuali indigere auxilio gratiae sanantis et elevantis; ita logica reciprocitate constat, hominem iustificatum ope illius gratiae posse opera vere bona ac meritoria agere. De qua meriti ratione in ultima Quaestione directe disputabitur. Hoc loco sufficit corripere doctrinam Lutheri blasphemantis, omnes etiam iustorum actus esse peccata. Quam doctrinam Conc. Trid. damnavit: « Si quis « in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare « dixerit, aut, quod intollerabilius est, mortaliter, atque ideo « poenas aeternas mereri; tantumque ob id non damnari, « quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, a. s. »[3].

Corollarium III. - Consequitur pariter ex laudata doctrina, Deum modo singularissimo esse auctorem operum ex gratia patratorum, impiumque valde esse Lutheri assertum a Conc. Trid. damnatum,[4] « quod sit proprium opus eius (Dei) non « minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli ». Actus quippe

[1] Haec comparatio, quae ad Ioannem (xv, 6) et Paulum (*Rom.* xi, 17) evidenter alludit, longe praeferenda est, quatenus olivae bonae inseri, non debetur oleastro, sed gratuitum donum est.

[2] Vide similem Augustini comparationem in *Sed contra est* allatam, et quae de eadem ibi diximus.

[3] Sess. vi, can. 25.

[4] Ibid., can. 6.

malus numquam a Deo esse potest, nisi quoad materialem suam externam entitatem; actus autem salutaris ex gratia factus dupliciter Deo tribuitur: quia bonus et quia ex gratia.

Corollarium IV. – Ex praesenti articulo sequitur quomodo intelligenda sit pars argumenti articuli praecedentis, in qua agitur de possibilitate quam habet iustificatus vitandi peccata.[1] Possibilitas enim ibi exposita vitandi omnia mortalia, nedum gratiam actualem excludat, eam supponit necessitate absoluta quotiescumque agitur de vitando peccato meritorie; insuper necessitate morali, quotiescumque agitur de graviori superanda tentatione, iuxta petitionem Orationis Dominicae, quae certe pro iustificatis etiam valet: « Et ne nos inducas « in tentationem ».

Corollarium V. – Ex doctrina in hoc articulo exposita sequitur, eo instantius nobis orationi insistendum esse, quo maior nos premat difficultas sive faciendi bonum arduum, sive recedendi a malo blando, sive sollicitanti malo resistendi. Melius intellectus agenda videt quam voluntas agenda exsequi valet. Eleganter igitur dixit Cassianus: « Admonemur in « facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus ». Unde et illud Augustini: « Da quod iubes, et iube quod vis ».

Unde ex summo momento quod in gratiarum oeconomia habet oratio, qua ipse Spiritus loquitur « in gemitibus enar- « rabilibus »,[2] pretiosissimus est « spiritus orationis » veluti praedestinationis signum. Hinc humillime est a Deo efflagitandus et sedula fidelitate nutriendus. Quae oratio eo erit nobilior et apud Deum potentior, quo magis intime erit coniuncta cum oratione ipsius Christi. Christus enim nobiscum oravit, dum apud nos mortalis degeret;[3] orat in medio nostri in eucharistica sua oblatione et vita; interpellat pro nobis[4] apud Patrem in gloriae suae splendore. Cui, qui viva fide, tenera spe, humili gratitudine, ardenti amore, tum pro

[1] Plura in hoc articulo, ob intimum nexum, iam fuerant praeoccupata quae heic sub speciali adspectu revocanda sunt.

[2] Rom., VIII, 26.

[3] Hinc illa oratio praeparatoria ad recitationem horarum canonicarum: « Domine, « in unione, etc. ».

[4] Hebr., VII, 25.

se, tum pro Ecclesia, tum pro peccatoribus orat, secundum Christum orat, et meretur ut exaudiatur « pro Christi reve- « rentia ».[1]

Momentum orationis in vita christiana hisce verbis perpulchre illustrat S. Franciscus Salesius: « L'oraison mettant « notre entendement en la clarté de la lumière divine, et « exposant notre volonté à la chaleur de l'amour céleste, il « n'y a rien qui purge tant notre entendement de nos igno- « rances et notre volonté de ses affections dépravées. C'est « l'eau de bénédiction, qui par son arrosement fait reverdir « et fleurir les plantes de nos bons désirs, lave nos âmes « de leurs imperfections, et désaltère nos cœurs de leurs « passions ».[2]

Nec profundu sensu vacat, Christum in monte transfiguratum esse dum orationi incumberet.[3] Colloquium enim animae cum Deo est actus praecellens, in quo mens illuminatur, cor inflammatur et quaedam veluti divina irradiatio totam animam pervadit. Quod ita bene esprimit Illmus Raymundus de la Porte: « Dieu... nous réserve parfois, au sein de la « prière, quelque chose de cette éblouissante splendeur qui « environna Jésus sur le Thabor... Qu'arrive-t-il? L'intelli- « gence aperçoit clairement la sublimité de la doctrine chré- « tienne; le cœur est ému; la volonté est excitée au bien,

[1] Hebr., v. 7. – De oratione egregie scribit pius Abbas Marmion (op. cit., p. 470 sqq.).

[2] *Introd. à la vie dévote.* II part., ch. 1. Nexum inter meditationem et contemplationem, quibus oratio ubertim nutritur, ita idem S. Doctor illustrat: « La médi- « tation est mère de l'amour, mais la contemplation est sa fille; c'est pourquoi j'ai « dit que la contemplation était une attention amoureuse, car on appelle les enfants « du nom de leurs pères, et non pas les pères du nom de leurs enfants ».

Et eleganter addit: « Il est vrai, Théotime, que comme l'ancien Joseph fut la « couronne et la gloire de son père, lui donna un grand accroissement d'honneurs et « de contentements, et le fit rajeuner en sa vieillesse, ainsi la contemplation couronne « son père qui est l'amour, le perfectionne et lui donne le comble d'excellence; car, « l'amour ayant excité en nous l'attention contemplative, cette attention fait naître « réciproquement un plus grand et fervent amour, lequel enfin est couronné de « perfections, lorsqu'il jouit de ce qu'il aime. L'amour nous fait plaire en la vue « de notre Dieu, et la vue de Dieu nous fait plaire en son divin amour; l'amour « presse les yeux de regarder toujours plus attentivement la beauté de Dieu, et la « vue force le cœur de l'aimer toujours plus ardemment ». *

[3] Luc. IX, 29.

* *De l'Oraison,* III Partie. Chap. I *De l'Oraison et contemplation,* art. 2.

« comme jamais elle ne le fut dans le passé. Nous sommes « devenus, mot à mot, tout autres qu'avant. Ce n'est pas nous « qui avons péniblement attaché à notre front mortel ces « lumineux rayons. Non; c'est bien, comme dit Bossuet,[1] *la « gloire de Dieu qui éclate sur nous dans l'oraison* ».[2]

Optime Card. Gasquet de oratione scribit: « Prayer is « so absolutely necessary for the spiritual life of our souls « that by neglecting it, one may be said to be depriving them « of their natural food, as truly as by trying to do without « bread we should be starving our bodies... The more prayer « becomes a habit, and the more intense and real we make « it, the more closely does the soul become united to God « and fulfil the end for which it has been created ».[3]

ARTICULUS X.

UTRUM HOMO IN GRATIA CONSTITUTUS INDIGEAT AUXILIO GRATIAE AD PERSEVERANDUM.

I. De ipsa Quaestione. – 1) In praecedenti articulo vidimus, sub gratia habituali ad singulos actus auxilium actuale Dei requiri. Porro si haec gratia consideratur in actuum successione, incluso termino mortis in gratia, vocatur perseverantia.[4] Patet igitur, super auxilium de quo in articulo praecedenti actum est, perseverantiam addere continuitatem et in hac continuitate terminum. Proinde quaestio heic mota reducitur ad hoc: utrum in hac continuitate et in hoc termino sit aliqua specialis ratio gratuiti auxili, quae faciat perseverantiam esse speciale Dei donum.[5]

[1] *Sermon sur la soumission à la parole de Dieu.*

[2] *L'Evangile tous les jours,* t. I, p. 233.

[3] *Religio Religiosi* ct. XVII. *Prayer,* p. 81. – Cf. ch. XVIII *Mental prayer,* et ibidem pulcherrimum textum allatum ex Illmo D. Hedley, p. 90. – Cf. egregiam concionem BOURDALOUE *sur la prière.* (*Œuvres,* t. I, p. 265 sqq.); necnon *Considération sur l'oraison mentale,* ex eius *Retraite spirit.* (t. IV, p. 532 sqq).

[4] Cf. quae de dono perseverantiae iam alibi praelibavimus in exponendo argumento de praedestinatione (*De Deo Uno,* t. II, p. 402). De hoc dono egregie disserit Card. NEWMAN (*Discourses to mixed Congreg.,* Disc. VII, *Perseverance in grace*).

[5] Speciale enim Dei donum perseverantia vocatur, non quidem relate ad gratiam habitualem, sed relate ad quodvis auxilium gratiae ad singulos actus bonos concessum. Putamus proin infirmari sensum huius vocis quando dicitur (HURTER, op. cit., 35): « Nomine auxilii specialis non esse intelligendum auxilium extraordi-

Gradationis nexum inter posse abstinere a peccato et posse perseverare usque ad vitae finem S. Thomas hisce verbis illustrat: « Aliud est dicere, posse abstinere a pec-« cato, et posse perseverare usque ad finem vitae in absti-« nentia a peccato. Cum enim dicitur aliquis posse absti-« nere a peccato, potentia fertur super negationem tantum, « ut scilicet aliquis possit non peccare... Sed cum dicitur, « iste potest perseverare usque ad finem vitae in abstinen-« tia peccati, potentia fertur in aliquid affirmativum; ut sci-« licet aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo « esse non possit: aliter enim homo per actum liberi arbi-« trii non posset se facere perseverare, nisi se impeccabilem « redderet. Hoc autem non cadit sub potestate liberi arbi-« trii; quia virtus motiva exsequens ad hoc non se extendit ».[1]

2) Antequam autem ad analysim perseverantiae accedamus, oportet varios sensus vocis distinguere. Alia est enim perseverantia *in posse,* alia *in velle,* alia *in re. a*) Perseverantia *in posse* seu *in potentia,* est vis moralis ad modum virtutis iustificationi adnexa, qua iustificatus potest difficultatibus resistere quae contra ipsam iustitiam conspirant. Sub hoc respectu perseverantia identificatur cum ea quam vidimus in iusto potentiam, ut omnia et singula mortalia devitet, utique cum actuali gratia, iuxta dicta in Corollario III praecedentis articuli. *b*) Perseverantia *in velle,* nihil aliud est quam voluntas non amittendi iustitiam; quae voluntas tantopere est a iustitia inseparabilis, ut qui illam abdicaret, et hanc amitteret. *c*) Perseverantia autem *in actu,* praeter posse et velle, ponit rem, quae res duobus elementis

« narium distinctum a gratia actuali, quae nulli iustorum deest, sed auxilium distin-« ctum a gratia habituali »; unde concluditur, Concilium Trid. definivisse « gratiam « habitualem ad perseverandum non sufficere »: quod sensu exclusivo intellectum, certe nimis parum est. Caeterum, si ita est, si perseverantia non est distincta a gratia actuali, quae *nulli* iustorum deest, quomodo potest idem cl. auctor paulo infra dicere, perseverantiam « beneficium esse saepe plane singulare, non omnibus iustis « cómmune? ». Quo insuper spectat hoc *saepe?* Verissimum sane aliquid affirmat cl. Perrone, ubi ait: « Ex eo quod haec de perseverantia controversia non satis fuit explanata, molestissima orta est in scientia theologica perturbatio ».* Optime! Modo tamen per distinctionem illam « magni momenti » controversia non ita « explane-« tur », ut ipsum de quo agit obiectum quasi destruatur, sive evanescat.

[1] *De verit.,* q. XXIV, 13.

* *De gratia,* p. 1, c. 2, a. 4, prop. 2, annot. ultima.

consistit: α) continuatione in bono, β) usque ad finem vitae.[1] De perseverantia in hoc sensu tertio praesens articulus agit.

3) Porro haec perseverantia concipienda est ad modum motus, in quo terminus *a quo* est iustificatio; motus, continuatio in bono; terminus *ad quem,* mors in gratia. Iam de singulis.

a) Terminus *a quo,* quatenus supponitur, saltem in initio vitae iustae, non ingreditur donum perseverantiae. Quid autem de iustificatione post lapsum, seu de iustitia reddita? *Resp.* Quatenus repugnat cum perseverantia perfecta, est extra hypothesim; quatenus fit terminus novi motus, distinguendum est: si agitur de iustificato finaliter perseveraturo, pertinet ad donum perseverantiae; secus non, sed est principium *a quo* alicuius novi motus, cui tamen deerit terminus *ad quem.*

b) Ipse motus, seu continuatio in bono, α) alius est perfectus, alius imperfectus, iuxta iam praeoccupata in *a*). Perfectus est quando a prima iustificatione usque ad vitae terminum gratia servatur; imperfectus secus. Inde in definitione perseverantiae S. Thomas voci « continuatio » addit « quaedam ». β) Rursus alius motus est negativus, alius activus. Negativus, consistens in mera negatione peccati, habetur in infantulis, qui, a nativitate baptizati, ante usum rationis moriuntur; vel in dementibus rationis nunquam capacibus. Activus autem, consistens in agendo bono et refugiendo a malo, invenitur, perfectus sive imperfectus, in omnibus hominibus in quibus spatium temporis habetur inter iustificationem saltem ultimam et terminum vitae.

c) Hic autem *terminus ad quem,* qui perseverantiam facit esse finalem, et electionem consummat, passivus vocatur, quum non ab homine, sed a supremo mortis et vitae Domino pendeat. Potest autem dari ut cum ipso instanti vel quasi instanti iustificationis, sive primae sive ultimae, coincidat; in qua hypothesi non amplius erit nisi logice, non tempore terminus *ad quem.*

[1] Cf. definitionem S. Thomae in corp. art. dicitur « perseverantia continuatio « quaedam boni usque ad finem vitae ».

Quibus positis, quaestio de dono specialis perseverantiae reducitur ad analysim specialis gratuitatis quae in his variis invenitur elementis quibus perseverantia finalis constituitur.

4) Porro hanc specialem gratuitatem negaverunt antiqui Semipelagiani,[1] et a fortiori Pelagiani, contra quos illam cum Augustino Concilia Carthaginen. II et Arausicanum II necnon Caelestinus I, aliique vindicarunt. (Cf. argumenta auctoritatis in *Sed contra est* collecta). Saeculorum decursu quotquot de praedestinatione durius opinati sunt, perseverantiae quoque donum ultra limites extulerunt. - Tempore autem pseudo-reformationis duplex principaliter error, Pelagianismo oppositus, de perseverantia est exortus: *a*) alter, quo possibilitas in iustitia perseverandi cum speciali Dei auxilio negaretur; *b*) alter, quo perseverantiae certitudo adstrueretur, imo tamquam ad salutem necessaria exigeretur. Quomodo utrumque errorem Tridentini Patres condemnarint, vide infra in *Sed contra est.*

5) Iam vero catholici theologi conveniunt omnes, debent enim, de ipso speciali perseverantiae dono; sed, ubi ad penitius de hoc dono investigandum accedunt, magnae inter eos sententiarum apparent discrepantiae, iuxta systema proprium, cui quoad gratiae efficaciam ipsamque praedestinationem addicuntur. Scalam inde opinionum plus minusve completam, ordine quidem ascendente, paucis ita conficere licet.

6) *a*) Qui tenent minimum, sunt illi qui putant, hominem habituali gratia donatum, posse sine actuali gratia, ex virtute habitualis doni iuste vivere, non autem *usque in finem* id valere, sine aliquo speciali dono, quod perseverantiam vocant.

b) Alii, tenentes cum plerisque, idque recte, gratiam actualem praeter habitualem ad iuste vivendum requiri,[2]

[1] Quaestio mota est, utrum Semipelagiani non hoc saltem in perseverantia admiserint gratuitatis elementum, quod ex mortis termino obvenit. Affirmativam sententiam tenet Oswald. * Sed contrarium probabilius evincitur ex modo quo electionem inter puerulos, alios prae aliis baptismate donatos, a praevisa fidelitate derivabant. **

[2] Mediam quamdam sententiam quoad necessitatem gratiarum actualem propugnat Cl. Van der Meersch, qui doctrinam suam de dono perseverantiae hisce pro-

* *Die Heiligung*, p. 170.

** Cf. Prosperum, *Epist. ad Aug.*, n. 5.

contendunt hanc eamdem gratiam actualem, sed formaliter in sua successione sive serie consideratam, esse ipsum donum perseverantiae, nihilque aliud.

c) Alii, praeter has gratias actuales, tenent perseverantiam esse aliquid specialius, tum quoad elementum passivum, tum quoad ipsum elementum activum, ratione maioris ubertatis et specialis protectionis, quam supponit a parte Dei. Sed modus explicandi hanc sententiam apud illos differt.[1]

d) Alii distinguunt inter donum externum et internum; internum ponunt in uberiori gratia actuali, externum in providentia speciali, occasiones graviores peccandi arcente, hominemque, dum gratia sanctificante ornatur, e vita evocante.[2]

e) Alii, ulterius progredientes, perseverantiae donum collocant in gratia non quidem sufficiente, quae mere dat possibilitatem, sed in gratia efficaci,[3] quae dat perseverandi actum. Prior omnibus conceditur, altera solum perseverantibus, idque ex dono; quod donum, propter congruam fini gratiae mensuram, infallibiliter intentum obtinet.[4]

positionibus exprimit: * 1) « Homo iustificatus non potest perseverare absque speciali « auxilio Dei, omnibus autem iustificatis datur auxilium sufficiens ut possint per« severare. — 2) In homine adulto iustificato requiritur, interdum saltem, gratia « actualis, h. e. supernaturalis illuminatio et voluntatis inspiratio, ut possit perse« verare in statu iustitiae. — 3) Non videtur requiri gratia actualis propre dicta, « h. e. speciale auxilium gratiae, seu immediata Spiritus Sancti illuminatio ac « inspiratio, ad singulos actus salutares in homine iustificato. — 4) Homo etiam iusti« ficatus, non potest per totam vitam omnia peccata venialia vitare absque privi« legio speciali. — 5) Finalis perseverantia actu habita est magnum donum Dei et sin« gulare beneficium ». Hoc donum seu beneficium, reponit in duplici elemento quo perseverantia finalis constat: in opportunitate mortis, in gratia efficaci prae sufficiente, sensu utique Molinistico. Et concludit: « Donum finalis perseverantiae quoad « adultos non est simplex gratia, nec aliqua entitas (sive habitus sive motio) specie « diversa ab aliis gratiae donis, sed est complexus plurium gratiarum internarum « et bonorum externorum, inter quae postrema est potissima mors, decreta pro « instanti quo homo iustitiam possidet ». **

[1] Ita HURTER, aliique.

[2] Ita Card. KATSCHTHALER, op. cit, 91.

[3] Intellige efficacem intrinsece, non ex mera praevia cooperatione voluntatis in sensu Molinistico.

[4] Ita OSWALD, *Die Heiliguug*, p. 172, JUNGMANN, *De gratia*, p. 80 sq.

* Op. cit., p. 318 sqq.

** Ibid., p. 333.

f) Alii, quotquot tenent praedestinationem antecedentem, perseverantiae donum tamquam partem eiusdem in ordine exsecutionis intelligunt, modo tamen diverso, iuxta principia quae quoad efficaciam gratiae propugnant.

7) Huic ultimae sententiae subscribimus, mentemque nostram, Augustini menti, in quantum nobis videtur, quoad summam argumenti consonam, hisce punctis comprehendimus:

a) Speciale vocatur perseverantiae donum, non solum quia speciale aliquid in nobis operatur, sed etiam quia pertinet ad ordinem illius praedestinationis gratuitae, antecedentis, quae non fallitur.

b) Distinguitur autem a prima habituali iustitia, quam essentialiter uti terminum *a quo* supponit; complectitur tamen et ipsam habitualem iustitiam, qua peccator ad vitam gratiae revocatur, iuxta verba Concil. Trid. « et eum qui « cadit restituere ».[1]

c) Praecipue tamen atque directius complectitur auxilia actualia seu motum ad terminum, quibus homo in gratia servatur. Quae auxilia sunt quidem *interna* vel *externa*. α) Interna praestant, et sunt uberiores gratiae dantes ipsum effectum actus boni,[2] praesertim quatenus efficaciter sanant originalis culpae vulnera; quare rogamus: « Fiat voluntas tua ». β) Externa sunt ipsa specialis providentia, quatenus arcet a nobis graviora et certiora pericula peccandi; unde oramus: « Ne nos inducas in tentationem ».

d) Demum perseverantiae donum consummatur per instans mortis, homine, dum iustus est, e vita evocato; in quo rursus est auxilium *externum*.[3]

e) Censemus proin, perseverantiam finalem esse speciale atque praecellens Dei donum, non solum quia est in se aliquid optimi et a praevisione divina provide ratihabetur, sed quia speciali Dei bona voluntate et praedestinatione antecedente perseveraturis conceditur et praeparatur.

[1] Sess. VI, c. 13; cf. *Sed contra est.*

[2] De modo autem quo efficaciter illum effectum dant, non huius loci est disserere.

[3] De distinctione inter perseverantiae donum in statu originalis iustitiae et in statu naturae lapsae reparatae, agetur in fine articuli.

In *Sed contra est* varias huius sententiae partes recolemus, adductis dumtaxat litteris quibus distinguuntur, iuxta testimonia et auctoritates quae easdem specialius confirmant. [1]

II. **Ad Textum.** – De *obi. 1ª* et *2ª* nihil occurrit.

3ª Obi. Confundit duo valde distincta. Gratiam Christi superabundasse plus reddendo quam per peccatum Adae fuerat amissum, potest intelligi vel *a*) de gratiae extensione, scilicet de multis delictis unde gratia Christi nos liberat, dum peccatum ab Adamo derivatum est singulare; *b*) vel de gratiae intensitate, et hoc rursus dupliciter, vel α) quatenus debilitas nostra maiori gratia iuvatur quam iuvabatur Adami integritas, et hic sensus concedendus est, et contra obiectionem retorquetur; vel β) quatenus gratia Christi nos reparat in conditionem perfectiorem quam fuit conditio Adami ante culpam, et hic sensus, si de praesenti vita agitur, quoad conditionis essentiam, negandus est; [2] insuper quoad perseverantiae donum, est extra quaestionem.

Sed contra est. Perseverantiam esse speciale Dei donum, demonstratur: 1) ex Scripturis; 2) ex lege orandi; 3) ex traditione Patrum; 4) ex auctoritate Ecclesiae.

1. *Ex Scripturis.* Ipse Christus ait: « Qui perseveraverit « usque in finem, hic salvus erit »; [3] quibus verbis non solum ostenditur factum, de quo nullus sanae mentis dubitat, scilicet per non perseverantiam salutem amitti; sed iuxta Con-

[1] Card. Satolli doctrinam de perseverantia his quatuor conclusionibus illustrat: « 1) Perseverantia ut habitus mentis, ad firmiter standum contra irruentes tristi- « tias et ad propositum perseverandi in bono, simul cum gratia infunditur. - 2) Gra- « tia habitualis ex se non solum efficit hominem Deo gratum formaliter, sed confert « auxilium ad bene operandum, cui proportionatur necessaria actualis gratia Dei « moventis in singulos actus. - 3) Homo iustus non potest perseverare in bono per « suas vires, sine auxilio quod est a gratia. - 4) Praeter gratiam sanctificantem et « virtutes infusas et auxilia gratiae, quae inde profluunt, iusti homines indigent « alio speciali auxilio ad perseverandum usque in finem ». *

[2] Posset tamen concedi quoad novam dignitatem quae Christiano obvenit ex unione cum Christo capite, et quoad novum veluti splendorem qui gratiae obvenit ex hoc ipso quod sit gratia Christi.

[3] Matth., x, 22; xxiv, 13. Eleganter ostendit Suarez, haec verba involvere octavam beatitudinem; unde concludit: « Merito donum perseverantiae in hac ultima « beatitudine comprehendi intelligimus » (op. cit., l. ii, c. 22, n. 19).

* Op. cit. hoc loco.

cilii Tridentini interpretationem, ipsum munus perseverantiae insinuatur.[1] Porro aliis locis ratio huius muneris disertius ostenditur: *a*) quoad *posse*, quod in Deo supponit: « Stabit « autem, potens est enim Deus statuere illum »;[2] *b*) quoad *factum* huius divinae voluntatis: « Rogavi pro te ut non « deficiat fides tua ».[3] « Pater sancte, serva eos in nomine « tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos ».[4] Unde Christus perseverantiae munus nos a Patre rogare docet: « Sanctificetur nomen tuum;... et ne nos inducas in tentatio- « nem ».[5] Ipsi pariter Apostolorum principes perseverantiam uti donum Dei exhibent: Petrus, ubi ait: « Deus autem « omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam « in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirma- « bit, solidabitque »;[6] nec minus diserte Paulus: « Ipse Deus « pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester « et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri « Iesu Christi servetur »;[7] et: « Confidens hoc ipsum quia, « qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem « Christi Iesu »;[8] et Corinthiis congaudet quod: « Nihil vobis « desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini « nostri Iesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem « sine crimine in die adventus Domini nostri Iesu Christi ».[9]

Sed iam et in Antiquo Testamento, praesertim in psalmis, eadem veritas lucide continetur. Quoties non occurrit perseverantiae mentio in psalmo CXVIII? Negative in formulis: « Non me derelinquas usquequaque »; « ne repellas me a man- « datis tuis », etc. (*e*) β)). Positive in aliis. « Utinam dirigan- « tur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas! ». « Con-

[1] Sess. VI, c. 13. Cf. infra.

[2] Rom., XIV, 4.

[3] Luc., XXII, 32,

[4] Ioann., XVII, 11.

[5] Cf. *Comment. Cypriani et Ambrosii*, et infra.

[6] I Petr., V, 10.

[7] I Thess., V, 23.

[8] Phil., I, 6. Ad plenam percipiendam vim huius loci a Conc. Tridentino citati, attende verba praecedentia: « Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper « in cunctis orationibus pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens ... » (v. 3, 4); ex quibus apparet, Paulum perseverantiae donum Philippensibus orando efflagitasse.

[9] I Cor., I, 7, 8.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« firma me in verbis tuis ». « Fiat cor meum immaculatum « ut non confundar. » (*c*) α)). Negativa respondent petitioni: « Ne nos inducas in tentationem », iuxta mandatum: « Vigi- « late et orate, ut non intretis in tentationem ». Positiva respondent petitioni: « Sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas « tua ». - Utrumque alibi coniunctum continetur: « Perfice « gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia « mea ».[1] Inde psaltes mox pergit orando: « Custodi me ut « pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me ».[2] Eamdem veritatem sub poëtica figura alibi nobis exhibetur: « Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborave- « runt qui aedificant eam; nisi Dominus custodierit civita- « tem, frustra vigilat qui custodit eam »;[3] id est: salutis Deus per gratiam non initium modo, sed et consummatio est. - Salomon quoque diserte affirmat dependentiam humanae bonae voluntatis a divina Providentia eamdem confirmante et custodiente. Ita enim celeberrimam claudit orationem: « Sit Dominus Deus noster nobiscum... non derelinquens « nos, neque proiiciens; sed inclinet corda nostra ad se, ut « ambulemus in universis viis eius, et custodiamus mandata « eius, et caeremonias eius ... Sit quoque cor nostrum per- « fectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decre- « tis eius, et custodiamus mandata eius, sicut et hodie ».[4] Quemadmodum et David pater eius tum pro populo, tum pro filio in regem ungendo oraverat, dicens: « Domine Deus « Abraham et Isaac et Israël patrum nostrorum, custodi in « aeternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in « venerationem tui mens ista permaneat. Salomoni quoque « filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, « testimonia tua, et caeremonias tuas, et faciat universa: et « aedificet aedem cuius impensas paravi ».[5]

Adde omnes textus quibus demonstratur, nos nihil a nobis posse: ac proin neque perseverare.

2) Quae Scripturarum testimonia corroborat *lex orandi.*

[1] Ps. XVI, 5.
[2] Ibid., 8.
[3] Ps. CXXVI, 2
[4] III REG., VIII, 57, 58, 61. Cf. Offertorium Missae Dedicationis.
[5] I PARAL., XXIX, 18, 19.

Praeter Orationem Dominicam, incessantis in liturgia usus, angelicam salutationem Ecclesia claudit per verba: « Ora « pro nobis, peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae » (*d*) In hymno *Te Deum* canit: « Dignare, Domine, die isto sine « peccato nos custodire », quod quotidie rogatum perseverantiam in finem usque involvit. Iugiter illud usurpatur Psalmistae: « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in « nobis ».[1] Orat Deum ut det nobis « perseverantem in sua « voluntate famulatum ».[2] In principio diei Deum orat: « Opus manuum nostrarum dirige » (en affirmativum); in fine supplicat: « ne derelinquas nos, Domine Deus noster » (en negativum). In antiphonis rogat Virginem: « Succurre cadenti « surgere qui curat populo »; (*b*) (en elementum restitutae gratiae in ordine ad perseverantiam); iterum: « A periculis « cunctis libera nos semper » (Cf. finem Or. Dom.); et Deum per ipsam Virginem orat ut « eius pia intercessione ab in- « stantibus malis et a morte perpetua liberemur » (*c*) β), *d*). – Hinc in Missali Romano habetur Missa specialis ad petendam bonam mortem.

Et sane quotiescumque orare docemur ut gratiae dona nos firment in bono et semper nos iuvent, implicite gratuitas perseverantiae doni insinuatur. Tales sunt v. gr. orationes: « Da populis tuis id amare quod praecipis, id deside- « rare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi fixa « sint corda, ubi vera sunt gaudia ».[3] « Omnipotens sempi- « terne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere volun- « tatem et Maiestati tuae sincero corde servire ».[4] « Da nobis « in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper conso- « latione gaudere ».[5]

Omnia prope quae in perseverantiae dono continentur, habes ordine collecta in fragmento orationis ab exordio « Anima Christi » nuncupatae: « O bone Iesu, exaudi me »: en donum quod a bonitate Dei speratur et rogatur. « Intra tua « vulnera, absconde me »: en providentiam specialius invi-

[1] Ps. cxvii, 28.
[2] Fer. III post Dom. Passionis, Orat. sup. popul.
[3] Dom. IV post Pascha.
[4] Dom. infra oct. Ascensionis.
[5] Dom. Pentec.

gilantem. « Ne permittas me separari a te »: en confirmationem voluntatis. « Ab hoste maligno defende me »: en liberationem ab insidiis diaboli; « In hora mortis meae voca me »: en finem in statu gratiae.

3) *Auctoritas Patrum* haec Scripturae et Liturgiae testimonia confirmat. S. *Cyprianus* in expositione Orationis Dominicae diserte inculcat donum perseverantiae: En quomodo petitionem: « Sanctificetur nomen tuum » explicat: « Non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, « sed quod petamus ab eo ut nomen eius sanctificetur in nobis. « Caeterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? « Sed quia ipse dixit: " Sancti estote, quoniam et ego san- « ctus sum ,,,[1] id petimus et rogamus, ut, qui in baptismo « sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, persevere- « mus. Et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis « quotidiana sanctificatio, ut qui quotidie delinquimus, deli- « cta nostra sanctificatione assidua repurgemus... Et quia « Dominus et iudex noster sanato a se et vivificato commi- « natur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc « continuis orationibus precem facimus, hoc diebus et nocti- « bus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quae de Dei « gratia sumitur, ipsius protectione servetur ». Et infra de petitione: « Fiat voluntas tua... » ait: « Quia nobis a diabolo « obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus « Deo obsequatur, oramus et petimus ut fiat in nobis volun- « tas Dei, quae ut fiat, in nobis opus est Dei voluntate, id « est ope eius et protectione; quia nemo suis viribus fortis « est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est... Fieri « autem petimus voluntatem Dei in caelo et in terra: quod « utrumque ad consummationem nostrae incolumitatis per- « tinet salutis. Scilicet ut in carne » (terreno elemento) « et « in spiritu » (elemento caelesti) « Dei voluntas fiat »; et quum haec inter se colluctent, « ideo quotidiani, imo conti- « nuis orationibus hoc precamur, et in caelo et in terra « voluntatem circa nos Dei fieri, quia haec est voluntas « Dei, ut terrena caelestibus cedant, spiritualia et divina « praevaleant ».[2]

[1] Levit., II, 144.
[2] Op. cit, 12, 14, 16.

De petitione: « Panem nostrum etc. », inter caetera hoc habet: « Et quomodo dicimus " Pater noster ,,, quia intelli- « gentium et credentium pater est, sic et " panem nostrum ,,, « quia Christus, eorum qui corpus eius contingunt, panis est. « Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui « in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salu- « tis recipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum « abstenti et non communicantes a caelesti pane prohibe- « mur, a Christi corpore separemur ».[1]

Et de petitione: « Et ne nos inducas, etc. », haec habet: « Illud quoque necessarie admonet Dominus ut in oratione « dicamus: " Et ne nos patiaris induci in tentationem ,,. Qua « in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, « nisi Deus ante permiserit; ut omnis timor noster et devo- « tio atque observatio ad Deum convertatur, quando in ten- « tationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tri- « buatur ».[2] Quod et probat exemplis Nabuchodonosor et Salomonis[3] (*c*) β).

Et distincta potestate quae datur in nos « vel ad poenam « cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur », concludit: « Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, « admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae dum sic « rogamus, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid « assumat, ne quis sibi aut confessionis aut passionis glo- « riam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens « dixerit: " Vigilate ,,, etc., ut dum praecedit humilis et « submissa confessio et datur totum Deo, quidquid suppli- « citer cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate « praestetur ».[4]

Eadem fuit, imo explicitior *Augustini*[5] de perseverantiae dono doctrina. Sufficit remittere ad libros *De correptione et gratia,* et *De dono perseverantiae.* Hic ultimus liber totus est in demonstranda speciali huius doni gratuitate. Ibi evolvitur illud quod brevius Cyprianus scripserat de Dominica

[1] Ibid., n. 18.

[2] Ibid., n. 25.

[3] IV Reg., XXIV; III Reg., XII.

[4] Ibid., n. 26.

[5] In parenthesi indicamus partem sententiae nostrae quae per citationes magis corroboratur.

Oratione, quam totam Augustinus de perseverantia efflagitanda perpulchre interpretatur.

Post citatas e Cypriano sententias, quasdam adhuc ex Augustino afferre iuvat: « Quid cum dicimus: " Veniat « regnum tuum ", num aliud poscimus, nisi ut veniat et « nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus san- « ctis? Ergo et hic, qui iam sancti sunt, quid orant, nisi ut « in ea sanctitate quae illis data est, perseverent? Neque « enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his « qui perseverant usque in finem, certum est esse ventu- « rum » (n. 5). Distincto sensu petitionis: « Fiat voluntas « tua », etc., et praelata interpretatione: Fiat voluntas tua in terra sicuti fit ab Angelis in caelo, pergit: « Quod si ita « est, in ea quidem parte qua optamus ut homines ex infi- « delibus fiant fideles, non perseverantia, sed initium vide- « tur optari: in ea vero qua optamus ut homines in facienda « voluntate Dei aequentur Angelis Dei, cum hoc orant san- « cti, perseverantiam demonstrantur orare; quoniam nemo « pervenit ad illam summam, quae in regno est, beatitudi- « nem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terra, perse- « veraverit usque in finem » (n. 6).

De petitione: « Panem nostrum », citato Cypriano (18), addit: « Haec verba sancti hominis Dei, perseverantiam « prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac « intentione dicunt: " Panem nostrum quotidianum da nobis « hodie "; ne a Christi corpore separentur, sed in ea sancti- « tate permaneant, qua nullum quo inde separari mereantur, « crimen admittant » (n. 7).

Sola petitione: « Dimitte nobis » Augustinus concedit, perseverantiam non posci, quum peccata dimittenda praeteritum, perseverantia vero futurum tempus respiciat.

Ultimas duas autem ita exponit: « Iam vero quum dicunt « sancti: " Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a « malo ", quid aliud quam ut in sanctitate perseverent, pre- « cantur? Nam profecto, concesso sibi isto Dei dono, – quod « esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis aperteque mon- « stratur, – isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferantur in « tentationem, nemo sanctorum non tenet usque in finem « perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in pro-

« posito christiano perseverare desistit, nisi in tentationem « primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non « inferatur, utique in sanctificatione, quam Deo donante per- « cepit, Deo donante persistit » (n. 9).

Et hanc explicationem Orationis Dominicae concludit sequentibus verbis: « Si ergo alia documenta non essent, « haec Dominica Oratio nobis ad causam gratiae, quam defen- « dimus, sola sufficeret: quia nihil nobis relinquit, in quo « tamquam in nostro gloriemur. Siquidem et ut non disce- « damus a Deo, non ostendit dandum esse nisi a Deo, cum « poscendum ostendit a Deo » (n. 13). Quibus omnibus appa- ret providentia specialis tum positiva, tum negativa in per- severantia contenta.

Hanc autem perseverandi gratiam partem esse praede- stinationis, subito adiungit et per totum reliquum operis evolvit: « Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem con- « secuti sumus, praedestinati secundum propositum eius qui « universa operatur. Ac per hoc, sicut operatur ut accedа- « mus, sic operatur ne discedamus. Propter quod ei per pro- « phetam dictum est: " Fiat manus tua super virum dexterae « tuae, et super filium hominis quem confirmasti tibi: et non « discedimus a te ,,.[1] Iste certe non est Adam primus, in « quo discessimus ab eo; sed Adam novissimus, super quem « fit manus eius, ut non discedamus ab eo. Christus enim « totus cum membris suis est, propter Ecclesiam, quae est « corpus eius, plenitudo eius. Cum ergo fit super eum manus « Dei, ut non discedamus a Deo, ad nos utique pervenit « opus Dei (hoc est enim manus Dei): quo opere Dei fit ut « simus in Christo permanentes cum Deo; non sicut in Adam, « discedentes a Deo. In Christo enim sortem consecuti sumus, « praedestinati secundum propositum eius qui universa ope- « ratur. Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non disce- « damus a Deo. Manus, inquam, eius est ista, qui dixit: « " Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non rece- « dant ,, »[2] (c. 14). Habes hic primum conclusionis nostrae.

Et coniungens utrumque, de quo cum Semipelagianis quaestio movebatur, paulo inferius ait: « Prorsus in hac re

[1] Ps. LXXIX, 18, 19.
[2] IEREM., XXXII, 40.

« non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed attendat « quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant: Deus « ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: « Deus ergo dat perseverantiam usque in finem » (n. 15).

Totus hic Augustini liber esset citandus, utpote magni gratiae vindicis contra eiusdem detractores piissimum testamentum. Audiantur saltem quaedam doctrinae capita et declarationes. Salutis opus Hipponensis in duplici discretione reponit. *a*) In discretione ad fidem, qua alii ex infidelitate vocantur ita ut sequantur, alii non; *b*) in discretione ad perseverantiam, qua ex fidelibus alii ita per gratiam sequuntur ut perseverent, alii non. Discretionem ad perseverantiam, vocat alteram praedestinationis partem, iuxta illud Ioannis: « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent « ex nobis, mansissent utique nobiscum » (cf. 21 integrum).

« Unde satis dilucide ostenditur, ait n. 33, et inchoandi et « usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum « merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissi- « mam, eamdemque iustissimam, sapientissimam, beneficentis- « simam voluntatem: quoniam quos praedestinavit, ipsos et « vocavit[1] vocatione illa de qua dictum est: "Sine poenitentia « sunt dona et vocatio Dei „. [2] Ad quam vocationem pertinere « nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, « nisi cum de hoc saeculo exierit: in hac autem vita humana, « quae tentatio est super terram, [3] qui videtur stare, videat « ne cadat. [4] Ideo quippe, sicut iam supra diximus (n. 19) [5], « non perseveraturi perseveraturis providentissima Dei vo- « luntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, « sed humilibus consentientes, [6] et cum timore et tremore « nostram ipsorum salutem operemur: Deus est enim qui « operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate. [7]

[1] Rom., viii, 30.

[2] Ibid., xi, 29.

[3] Iob, vii, 1.

[4] i Cor., x, 12.

[5] In hoc loco Augustinus, iuxta verba S. Ambrosii: « non in potestate nostra « cor nostrum et nostrae cogitationes », « quod, ait ipse, omnis qui humiliter et vera- « citer prius est, esse verissimum sentit » subtiliter inquirit de speciali providentia quam perseverantia in bono supponit et exigit (cf. praesertim finem huius num.).

[6] Rom., xii, 16.

[7] Philip., ii, 12, 13.

« Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle; « nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari, « pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et credere et dicere: « hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa con- « fessio, et detur totum Deo ». Quibus sententiis declaratam habes specialem providentiam, copias gratiarum efficaces ad bene operandum tribuentem.

Alio in loco ex gratuita vocatione ad fidem arguit ad gratuitam electionem ad perseverantiam. « Si autem gratia « praevenit fidem, quoniam praevenit voluntatem; profecto « praevenit omnem obedientiam; praevenit etiam charitatem, « qua una Deo veraciter et suaviter obeditur; et haec omnia « gratia in eo cui datur, et cuius haec omnia praevenit, ope- « ratur. Restat in his bonis usque in finem perseverantia, « quae frustra quotidie a Domino poscitur, si non eam Domi- « nus per gratiam suam in illo, cuius orationes exaudit, « operatur. Videte iam a veritate quam sit alienum, negare « donum Dei esse perseverantiam usque in finem huius vitae, « cum vitae huic quando voluerit, ipse det finem; quem si « dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare « usque in finem.[1] Sed mirabilior et fidelibus evidentior lar- « gitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obe- « dientia non est illius aetatis ut detur, datur haec gratia « (n. 41) ». Vides in hoc loco tria elementa de quibus supra egimus: negativum, activum, passivum collecta.

Quibus si adiungis n. 32, in quo Augustinus resurrectionem a lapsu in perseveraturo refert ad ipsum perservantiae donum, utpote intuitu eius praedestinationis concessam, habes omnes partes sententiae nostrae citationibus Augustini illustratas. « Non remanet cur dicant,... gratiam Dei « secundum merita nostra dari: cum videant alios parvulos « non regeneratos ad aeternam mortem, alios autem regene- « ratos ad aeternam vitam tolli de hac vita; ipsosque rege- « neratos, alios perseverantes usque in finem hinc ire, alios « quousque decidant hic teneri, qui utique non decidissent, « si antequam laberentur, hinc exissent; et rursus quosdam

[1] Idem Scriptura dicit: « Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, etc. *

* Sap., iv, 11.

« lapsos, quousque redeant non exire de hac vita, qui utique « perirent, si antequam redirent, exirent ».

Reliqua remittimus ad articulum 9, Q. CXIV, ubi agemus de doni perseverantiae habitudine ad meritum.

Cum Cypriano et Augustino sentit *Hieronymus:* [1] « Aga- « mus semper gratiam Largitori, ait; sciamusque nos nihil « esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente « Apostolo »: Non est volentis, neque currentis, sed mise- « rentis Dei ».[2] Unde humilem alibi timorem inculcat: « Quam- « diu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus the- « saurum istum in vasis fictilibus, [3] et concupiscit spiritus « adversus carnem et caro adversus spiritum, [4] nulla est « certa victoria ». [5]

Nec aliter de dono perseverantiae sentit legislator monachorum occidentalium: « In primis, ait S. Benedictus in Pro- « logo ad Regulam suam, ut quidquid agendum inchoas « bonum, ab Eo perfici instantissima oratione deposcas (en « perseverantiae donum), ut qui nos iam in filiorum dignatus « est numero computare (en vocationem ad fidem, seu con- « versionem), non debeat aliquando de malis actibus nostris « contristari (en rursus perseverantiam) ». [6]

4) *Ecclesiae auctoritas* perseverantiam speciale Dei donum esse proclamavit. Praeter ea quae iam de hoc dono occurrunt in priori controversia Pelagiana, [7] Concilium *Arausicanum II,* c. 10, disertissime affirmat: « Adiutorium etiam « renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem « pervenire vel in bono possint opere perdurare ». Ergo est donum Dei. Et c. 19: « Natura humana, etiamsi in illa inte- « gritate in qua est condita, permaneret, nullo modo, se ipsam « Creatore suo non adiuvante, servaret. Unde cum sine gratia « Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo « sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? ». Ex quo

[1] *Ad Ctesiph.,* n. 6. - *P. L.,* t. XXII, col. 1154.

[2] ROM., IX, 16.

[3] II COR., IV, 7.

[4] GAL., V, 17.

[5] *Ad Eustochium,* epist. XXII, n. 4. - *P. L.,* t. XXII, col. 396.

[6] Ed. Abb. C. BUTLER, p. 2. – Cf. pulcherrima verba sequentia: « ei omni tem- « pore de bonis suis in nobis parendum est ». Augustinianum plane!

[7] Cf. Conc. Carthag. an. 415, ep. ad Innocentium I.

loco a fortiori concluditur necessitas doni perseveverantiae in statu lapso reparato, propter remanentia originalis culpae vulnera. – Quam maiorem necessitatem egregie definit *Caelestinus I:* « Neminem etiam baptismatis gratia renovatum « idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vin- « cendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiuto- « rium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit ».[1]

Concilium autem *Tridentinum* in Sess. VI, de perseverantiae dono egit, ut scil. ex una parte duritiem vel praesumptionem Lutheranam et Calvinistam repelleret, ex altera autem doctrinam de gratuitate huius specialis doni confirmaret.[2] Ita habet in capite XIII: « Similiter de perseverantiae « munere, de quo scriptum est: " Qui perseveraverit usque « in finem hic salvus erit ",[3] quod quidem aliunde haberi « non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere « ut perseveranter stet, et eum qui cadit[4] restituere: nemo « sibi certi aliquid absoluta ceritudine pollicetur, tametsi in « Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes « debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut « coepit opus bonum, ita perficiet,[5] operans velle et perficere.[6] « Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant,[7] et « cum timore ac tremore salutem suam operentur in labori- « bus,[8] in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationi- « bus, in ieiuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes « quod in spem gloriae,[9] et nondum in gloriam renati sunt, « de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum « diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei « gratia Apostolo obtemperent dicenti: " Debitores sumus « non carni, etc. ".[10]

Cuius capitis doctrina ad haec puncta reducitur: 1) Perseverantia est donum speciale Dei; 2) hoc donum nemo sibi

[1] *Ep. ad episc. Gall.*, 21, c. 6.
[2] C. dicta superius, n. 4.
[3] Matth., x, 22; xxiv, 13.
[4] Rom., xiv, 14.
[5] Phil., i, 6.
[6] Phil., ii, 13.
[7] 1 Cor., x, 12.
[8] Phil., ii, 12.
[9] 1 Petr., i, 3.
[10] Rom., viii, 12, 13.

certo polliceri potest; 3) debet tamen illud firmiter a Deo sperare, quum Deus numquam primus deserat. 4) Ne autem nos ipsum deseramus, in timore et tremore saluti operose incumbendum est. 5) Ratio autem huius timoris et operositatis stat in lucta cum carne et diabolo.

Eandem doctrinam idem Concilium inculcat in canone 16: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae do-« num se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine « dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, a. s. »; canone 22: « Si quis dixerit, iustificatum sine speciali auxilio « Dei in accepta iustitia perseverare posse, a. s. ». Unde habes, perseverantiam usque in finem esse « auxilium speciale » et « magnum donum ». Quantopere utraque expressio militet in favorem sententiae nostrae, quae plus huic dono tribuit, sat apparet, quum in ea revera et « speciale » et « magnum » sit praedicandum.[1]

Doctrinam de perseverantia Card. Billot ita optime compendiat: « Ab auxilio perseverantiae quo omnibus iustificatio « datur, in accepta prius iustitia per evitationem peccati « posse perseverare, distinguendum est donum perseveran-« tiae quo aliquibus datur ipsum perseverare usque in vitae « finem. Et magnum Dei donum merito nuncupatur, utpote « solis electis proprium, et consistens in speciali protectione « et custodia a malo, tum per efficacia contra tentationes « adiutoria, tum per providentiam disponentem ut cum gra-« tiae statu terminus vitae coniungatur. Quod etsi nec in « potestate sit liberi arbitrii, nec etiam sub condigno merito « cadat, adhuc tamen a iusto impetrari, seu, ut Augustinus « ait, suppliciter ab eo emereri potest ».[2]

Exposita genuina doctrina de perseverantia, scribit Laforêt: « Que cette doctrine sur la persévérance est merveil-« leusement propre à nourrir et à développer en nous la « grande vertu qui est l'âme de la religion, je veux dire « cette vraie humilité, qui consiste dans le sincère aveu de « notre insuffisance personnelle, et comprend en même « temps, avec le sentiment profond de notre dépendance à

[1] Cf. quoque auctoritates allatas in tertia nostra conclusione et in *Sed contra est,* art. 8.

[2] Op. cit., thes. VI, p. 122.

« l'égard de Dieu, une ferme confiance en sa bonté et en « sa miséricorde. C'est là tout le christianisme ». Et addit rectissime: « Toute le doctrine de la grâce, en nous mon- « trant à la fois la souveraine indépendance de Dieu dans la « distribution de ses dons, et son ineffable amour pour « l'homme, est admirablement faite pour nous inspirer ce « sentiment de crainte tempérée et adoucie par l'espérance, « si bien appropriée à notre condition présente et si favo- « rable à l'accomplissement de notre destinée ».[1]

Sed in hac ipsa doctrina de perseverantia mysterium altissimum agnoscatur oportet. Quod ita praeclare evolvit Bossuet: « C'est le grand mystère de la grâce, d'un côté « d'être si présente à tous ceux qui tombent, qu'ils ne tom- « bent que par leur faute, par leur pure faute, sans qu'il « leur manque rien pour persévérer; et de l'autre d'agir « tellement dans ceux qui persévèrent actuellement, qu'ils « soient fléchis et persuadés par un attrait invincible. C'est « encore un coup le grand mystere de la grâce, qu'en même « temps que les iustes qui persévèrent, doivent leur per- « sévérance á une grâce qui leur est donnée par une bonté « particulière, ceux qui tombent ne puissent se plaindre « que le plein et parfait pouvoir de persévérer leúr soit « soustrait. Il n'importe que la liaison de deux vérités si « fondamentales soit impénétrable à la raison humaine, « qui doit entrer dans une raison plus haute, et croire que « Dieu voit dans sa sagesse infinie les moyens de concilier « ce qui nous paraît inalliable et incompatible. Apprenons « donc à captiver notre intelligence pour confesser ces deux « grâces dont l'une laisse la volonté sans excuse devant « Dieu, et l'autre ne lui permet pas de se glorifier en elle- « même ».[2]

Mysterium autem hoc esse solaminis plenum, egregie exponit Bourdaloue, in pulcherrima concione die fer. VI in Parasceve habita; in qua inter alia egregia haec dicit: « Je dis plus, je prétends, que ce mystère de la prédestina- « tion de Dieu, bien loin d'avoir de quoi nous troubler, doit « positivement nous consoler; et pour en être persuadé, il

[1] Op. cit., t. III, p. 220 sq.

[2] *Avertissements sur des réflexions morales*, § VI.

« me suffit de me souvenir que c'est le mystère de cette cha-
« rité éternelle dont Dieu nous a aimés: " In charitate per-
« petua dilexi te ,,.[1] Je puis donc bien l'admirer, cet incom-
« préhensible mystère: je puis m'écrier avec l'Apôtre: " O
« altitudo ,,.[2] O profondeur! o abîme! Mais le terme qui
« suit me fait bien connaître que cette profondeur et cet
« abîme n'a rien qui doive me décourager, puisque l'Apôtre
« me dit que c'est un abîme de trésors et de richesses: *O*
« *altitudo divitiarum!* Or, un abîme de richesses peut me
« causer de la surprise, mais non pas me jeter dans l'abat-
« tement et dans la défiance ».[3]

Optime proin heic adduci possunt verba S. Petri, qui, inculcata humilitate, commendat fidelibus ut sint: « Omnes « sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi « cura est de vobis ».[4] Et paucis interiectis, addit: « Deus « autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam « gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, con- « firmabit, solidabitque ».[5] Quomodo, nisi humiliter flagitantibus et fortiter certantibus palmam perseverantiae concedendo?

In Corpore. Distincto triplici sensu perseverantiae iuxta *posse, velle* et *dari* seu actum, S. Thomas perseverantiam in tertio sensu donum speciale vindicat, *a*) non quidem ad modum alicuius gratiae habitualis, sed *b*) auxilii actualis, et quidem tum α) positive ad bonum dirigentis, tum β) negative a malo protegentis; quod auxilium *c*) habet ex sua continuitate rationem specialis doni, tum α) intrinsece, ex ipsa duratione, tum β) extrinsece, ex termino obvenientis mortis. Quare *d*) hoc donum quoque vocatur speciale, quia non omnibus iustificatis datur.

De distinctione inter virtutem perseverantiae et perseverantiam finalem cf. II-II, Q. CXXXVII.

Rationem cur ad perseverandum non requiratur donum aliquod habituale, S. Thomas magis evolvit in *Summa contra*

[1] Ierem., xxxi, 3.
[2] Rom., xi, 33.
[3] Op. cit., t. i, p. 287.
[4] Unde illud aureum S. Benedicti: « Spem suam Deo committere ».
[5] 1 Petr., v, 7, 10.

Gentiles, l. III, c. 155, in fine. Iuxta negatum hoc donum habituale intelligenda est Angelici assertio II Dist. XXIX, in expositione litterae ad 2m, ubi ait: « Verum est quod « homo habens gratiam non indiget alia gratia ad eius conser- « vationem: et propter hoc dicitur, quod homo potest per se « stare ». Actuale auxilium hic non negari, sed habituale, patet ex sententia praecedente: « Dicendum, quod ab eadem « causa est esse rei, et conservatio eius: unde sicut esse « iustitiae gratuitae non est nisi a Deo, ita etiam et conser « vatio eius ».

Necessitatem huius specialis auxilii liberum arbitrium dirigentis, quod ad perseverantiam usque in finem requiritur, S. Thomas penitius evolvit in *Summa contra Gentiles;* quinque afferens rationes, quae ita brevissime comprehendi possunt: 1) variabilis per se, ut est homo, auxilio indiget ut in uno firmetur; 2) perseverantia se extendit etiam ad operanda in futuro; liberum autem arbitrium se non fert efficaciter nisi in operabile de praesenti; 3) homo est quidem dominus suorum actuum, non autem suarum potentiarum; 4) actus successivi, quum non perdurent, non possunt esse causa perseverantiae; 5) ordo directionis per multa in finem, dependet ab agente primo in finem dirigente.[1]

Quaeres I. - Quid intersit inter donum perseverantiae et donum confirmationis in gratia?[2] - De facto utrumque donum non esse identificandum, ex hoc solo constat quod, iuxta communem sententiam, donum confirmationis in gratia est tam speciale ut nonnisi paucis sanctis, v. gr. Apostolis, collatum fuisse constet. Sed non concordant theologi quoad discriminis rationem. Certum est, utrumque donum convenire in ipsa perseverantia. Unde nulla confirmatio in gratia sine perseverantia; sed non e converso omnis perseverantia involvit confirmationem. At, repones, nonne saltem involvit confirmationem ab ultima iustificatione? Materialiter sane; sed utrum et formaliter eam contineat, quaestio superest. Praeterea donum confirmationis in gratia non solet dici tantum de spatio temporis inter ultimam iustificationem et finem;

[1] Cf. et egregiam expositionem Card. Billot (op. cit., p. 123 sq.).
[2] Cf. S. Thom., *De Veritate,* 24, 9.

sed de longiori spatio; imo perfecta vitae confirmatio, qualem habuit B. V. Maria, totum vitae cursum complectitur.

Quando igitur Suarez[1] contendit, inter utrumque donum non dari nisi differentiam accidentalem, et donum confirmationis in gratia non esse nisi excellentissimum gradum doni perseverantiae, sententiam exprimit quae magnam continet veritatem; licet, nostro iudicio, non dicat totum.

Solutio huius quaesiti pendet imprimis ab ipso conceptu doni perseverantiae et praedestinationis. Quo enim maiores theologus, Molinisticae potius scholae addictus, in dono perseverantiae et in praedestinatione partes tribuit divinae prescientiae uti distinctae a divina praeordinatione, eo facilius distinguit inter donum perseverantiae et donum confirmationis in gratia, quippe in quo ultimo partes praeordinationis antecedentis longe magis eminent, imo tantopere, ut discrimen non solum accidentale inter utrumque donum longe facilius, in hac sententia, assignetur.[2] E contra discrimen essentiale inter utrumque donum difficilius reperitur pro theologo qui non tenet praedestinationem consequentem ad praevisa merita, ac proin in ipso perseverantiae dono maiores partes antecedenti divinae praeordinationi tribuit.

Sed et in hac sententia discrimen inter utrumque donum reperitur, idque duplex. Primum est in maiori excellentia quae competit confirmationi in gratia, ob rationem superius expositam. Alterum est in formali obiecto utriusque. Etenim in dono finalis perseverantiae formale obiectum respicit finem in recto; in dono confirmationis in gratia formale obiectum respicit in recto ipsam constantiam qua anima hoc dono ditata in servanda gratia firmatur. Verbo: perseverantiae finalis donum in recto respicit in gratia finem; confirmationis donum in recto respicit sub gratia et ope gratiae vitam.

Quaeres II. - Quodnam sit discrimen inter donum perseverantiae in statu originalis iustitiae et in statu naturae lapsae reparatae? – Respondemus, iuxta S. Augustinum, concedendo gratiam ad perseverandum utrimque requiri,

[1] Op. cit. *De gratia*, l. x, c. 8.
[2] Cf. Van Noort, op. cit., p. 38.

aliter tamen; et quidem ita ut praesenti statu adsit ratio vocandi illud donum *speciale,* quae in primo statu non adfuisset.

« Ipsa adiutoria distinguenda sunt, ait Hipponensis (*de* « *corr. et gr.*, n. 34): aliud est adiutorium *sine quo* aliquid *non* « fit, et aliud est adiutorium *quo* aliquid fit. Nam sine ali- « mentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint « alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adiuto- « rium alimentorum est *sine quo non* fit, non *quo* fit ut viva- « mus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data « fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium est enim non solum « *sine quo non* fit, verum etiam *quo* fit propter quod datur. « Quapropter hoc adiutorium et *quo* fit est, et *sine quo non* « fit: quia et si data fuerit homini beatitudo, continuo fit « beatus; et si data numquam fuerit, numquam erit. Ali- « menta vero non consequenter faciunt ut homo vivat; sed « tamen sine illis non potest vivere. *Primo* itaque *homini,* « qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse « non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non dese- « rere, *datum est adiutorium perseverantiae, non quo fierit* « *ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perse-* « *verare non posset.* Nunc vero sanctis in regnum Dei *per gra-* « *tiam Dei praedestinatis* non tale adiutorium perseverantiae « datur, *sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur;* non solum « ut sine isto dono perseverantes esse non possint, *verum* « *etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint* ».

Si iam quaeris rationem huius discriminis, haec non potest esse in gratia formaliter ut est *elevans,* quae absolute semper requiritur; nec formaliter ut est *movens*, quae necessario conditionem creaturae sequitur; sed formaliter ut est *medicinalis*, quae tunc non erat; nunc vero, etiam in iustis, moraliter indispensabilis est, ut in bono stent.

Audi Augustinum mentem suam ulterius aperientem: « Maior quippe libertas est necessaria adversus tot et tantas « tentationes, quae in paradiso non fuerunt, dono perseve- « rantiae munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, « terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc san- « ctorum martyria docuerunt. Denique ille et terrente nullo, « et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus « arbitrio, *non stetit* in tanta felicitate, in tanta non pec-

« candi facilitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed « saeviente ne starent, *steterunt* in fide; cum videret ille « bona praesentia quae fuerat relicturus, isti futura quae « accepturi fuerant non viderent. Unde hoc? nisi donante illo, « a quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent, etc.... « Illi ergo sine peccato ullo data est cum qua conditus est, « *voluntas libera*, et eam fecit servire peccato; horum vero, « cum fuisset *voluntas serva peccati*, liberata est per illum « qui dixit: "Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eri- « tis „...[1] Liberati enim a peccato servi facti sunt iustitiae,[2] « in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseve- « rantiam, qui eos praescivit, et praedestinavit, et secundum « propositum vocavit, et iustificavit, et glorificavit.... Ipse « igitur eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. Qui « autem cadunt et pereunt, in praedestinatorum numero non « fuerunt.... Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere « potens est eos qui stant, ut perseverantissime stent; vel « restituere qui ceciderunt »[3] (n. 35, 36).

Habemus hucusque: Adamo collatum est auxilium *sine quo non*, quod ipsi sufficiebat ad perseverandum; in regeneratis, propter concupiscentiam requiritur insuper auxilium *quo*: quod non nisi aliquibus, praedestinatis scilicet, prae aliis datur.

Instabis. Cur non etiam Adamo, datum est auxilium *quo?* Quia eo non indigebat. Cur restauratio per Christum in homine vestigia peccati originalis reliquit? Ut eo indigeret. Quare? Ut maior esset gratia Christi novi Adami; et ita quum totum fieret gratiae, iam destrueretur ex toto superbia illa quae totum perdidit. « Ut ergo non acciperet hoc donum « Dei, ait Augustinus, id est in bono perseverantiam, primus « homo, sed *perseverare vel non perservare in eius relin-* « *queretur arbitrio*, tales vires habebat eius voluntas, quae « *sine ullo fuerat instituta peccato*, et nihil illi ex *seipso* « *concupiscentialiter resistebat*,[4] ut digne tantae bonitati et

[1] Ioan., viii, 36.

[2] Rom., vi, 18.

[3] Vides rursus, quantopere haec conveniant cum nostra de perseverantiae dono sententia.

[4] His duobus habes in germine totum Augustini systema. In statu originali *a*) terminus *a quo* est iustitia, *b*) via ad finem nescit pravam concupiscentiam a fine

« tantae bene vivendi facilitati perseverandi comitteretur « arbitrium: Deo quidem praesciente quid esset facturus « iniuste; praesciente tamen, non ad hoc cogente.... Nunc vero « posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, « etiam *maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.*[1] « Placuit enim Deo, quo maxime humanae superbiam prae- « sumptionis extingueret, " ut non glorietur omnis caro coram « ipso „, id est, omnis homo. Unde autem non glorietur caro « coram ipso, nisi de meritis suis? quae quidem *potuit habere,* « sed perdidit; et per quod habere potuit, per hoc perdidit; hoc « est, per liberum arbitrium: propter quod *non restat libe-* « *randis nisi gratia liberantis....* Ac per hoc *nec de ipsa* « *perseverantia boni* voluit Deus sanctos suos in viribus « suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiuto- « rium quale primo homini dedit, *sine quo non* possint « perseverare si velint; sed in eis etiam operatur et velle: « ut, quoniam non perseverabunt, nisi et possint (*sine quo* « *non*) et velint (*quo*), perseverandi eis et possibilitas et « voluntas divinae gratiae largitate donetur.... Atque ita « homo Dei non solum quia misericordiam consecutus est « ut fidelis esset (prima discretio), verum etiam quia fides « ipsa non deficit (altera discretio), " qui gloriatur, in Domino « glorietur „ » (n. 37, 38).

Conclude ex dictis 1): in statu naturae lapsae reparatae perseverantiam duplici ratione prae statu originali donum *speciale* vocari: *a*) in se, quia praeter auxilium *sine quo non,* ponit auxilium *quo; b*) quia non omnibus datur, cum auxilium *sine quo non,* omnibus hominibus fuisset collatum.

Conclude inde 2): quemadmodum de perseverantiae dono, ita, aliqualiter saltem, de praedestinatione in alterutro statu non eodem modo esse loquendum. Auxilium *sine quo non,* quum in ordine ad finem supernaturalem detur, ad aliquam certo praedestinationem pertinet, sicuti in Angelis bonis apparet; attamen non supponit predestinationem talem quae

retrahentem. Ergo non indiget homo ut aliqua discretiva motione in finem dirigatur. In natura autem lapsa duplex datur discretionis ratio: *a*) peccatum originale in termino *a quo,* inde praeordinatio ad fidem; *b*) concupiscentia in via, inde praedestinatio ad terminum.

[1] Vides, discrimen poni in gratia uti formaliter est *medicinalis.*

discretionem ponat antecedentem, quatenus discretio respicit terminum damnationis a qua eripit; quatenus autem discretio respicit terminum maioris gloriae, ita in originali statu non exigitur quidem, sed nec excluditur. Unde habes quo sensu verissimo Christum, licet undequaque liberum ab ordine naturae lapsae, Apostolus, saltem iuxta Vulgatae versionem, appellet praedestinatum.

Reliqua de perseverantiae dono dicenda ad articulum 9 Q. CXIV remittuntur.

Corollarium I. - Ex doctrina heic illustrata de speciali dono perseverantiae corroboratur sententia quam in nostro tractatu *De Deo Uno* propugnavimus de praedestinatione divina. Quo magis enim perseveratia finalis, - sine qua nullus praedestinatus beatitudinis finem attingit, - praedicatur speciale Dei donum, eo magis pariter tota praedestinatio involvit gratuitam selectionem Dei, cuius formalis et intima ratio minus servatur, si consequens ad praevisa merita praedicatur.[1]

Profunde Bossuetius:[2] « Toute la doctrine de la prédes-« tination et de la grâce se réduit en abrégé à ces trois « mots du prophète: " Ta perte est à toi, ô Israël! ton se-« cours et ta délivrance est en moi seul ".[3] Il en est ainsi; « et si l'on n'entend pas comment tout cela s'accorde, il

[1] *De Deo Uno,* t. II, p. 402. A tempore quo nostram de hoc argumento sententiam exposuimus, inter alios cl. de Baets eamdem erudite propugnavit in laudato opere cui titulus: *Qnaestiones de operationibus divinis quae respiciunt creaturas.* Postquam illustravit in hac sententia concordes fuisse cum S. Augustino, Magistro, Alberto Magno et S. Thoma, S. Bonaventuram, Alexandrum Halensem, Scotum, aliosque, traditionem Universitatum Lovaniensis et Duacensis, Parisiensis et Salmanticensis, et e Societate Iesu Bellarminum, Suarezium, ipsumque Molinam, allato demum Bossuetio fortiter eam iuxta S. Augustinum contra Simonem vindicante, auctor concludit: « Mira aliquibus nunc videbitur talis assertio, cum unanimis « quae fuit quondam mens in Ecclesia et in Scholis circa hanc doctrinam de praede-« stinatione, multum fuerit, a tribus saeculis, disputationibus infirmata. Non quod, « ut quidam putant, doctrina de gratuita praedestinatione ad gloriam fere in obli-« vionem reciderit. Nostris quoque diebus tuentur eam multi extra scholam Fami-« liae dominicanae ». * Inter quos sane eminent Cardinales Billot et Satolli.

[2] *Lettre VIIIe à la Sœur Cornuau de Saint-Benigne.* Tota haec epistola esset heic afferenda.

[3] Os., XIII, 9.

* Op. cit., p. 219.

« nous suffit que Dieu le sache, et il faut croire humble-
« ment. " Mon secret est pour moi, mon secret est pour
« moi ", dit le prophète Isaie.[1] Combien plus le secret de
« Dieu est-il pour lui seul?

« Le secret de la prédestination est proprement le secret
« du gouvernement intime de Dieu, et il n'y a qu'à s'écrier
« avec l'Apôtre: " O profondeur de la sagesse et de la
« science de Dieu! ".[2]

« Humiliez-vous sous la puissante main de Dieu.[3] Celui
« qui nous a promis est puissant pour exécuter ce qu'il pro-
« met.[4] Réjouissez-vous, petit troupeau, parce qu'il a plu
« à votre Père de vous donner le royaume.[5] Celui qui espère
« en lui ne sera point confondu ».[6]

Corollarium II. - Ex doctrina in tota hac Quaestione exposita collige quantopere gratiae necessitas recte intellecta conferat solidae pietati. Etenim, uti fundamentum inconcussum spirituali aedificio ponit tum humilitatem, tum timorem Dei. Humilitatem, dum nitide ostendit hominis impotentiam in ordine ad salutem; timorem, dum constans ei obiicit periculum a fine supernaturali deficiendi. Utrumque simul amplectitur praeteritum, praesens et futurum. Praeteritum, nam quidquid in ea habetur meriti, ostendit totum a gratia derivari; quidquid vero demeriti, soli utique sibi homini tribuendum, nonnisi a miserente ipso Deo potuisse condonari; - praesens, lubricum enim probat esse viam, in qua, si pes ex innata debilitate claudicat, nonnisi per gratiae iuvamen firmatur; - futurum, dum ostendit vanam periculisque plenam esse spem in ipso homine, seu in liberi arbitrii sibi relicti usu collocatam, nihilque homini sapientius esse et dulcius quam ut, iuxta saepius laudatam S. Benedicti sententiam, spem suam Deo committat.[7]

[1] Is., XXIV, 16.
[2] Rom., XI, 33.
[3] I Petr., V, 6.
[4] Rom., IV, 21.
[5] Luc., XII, 32.
[6] Ps. XXIV, 3.
[7] Triplici sententia S. Benedictum totum hoc argumentum mirabiliter contraxisse, iam alibi illustravimus (cf. p. 198.. Ex quibus sententiis clare elucet, Sanctum Legis-

Hinc humilitas tantopere in Scripturis commendatur. « Excelsus Dominus, ait Psalmista, et humilia respicit, et « alta a longe cognoscit ». [1] Unde Petrus temeritate propriam debilitatem edoctus, exhortatur: « Omnes invicem « humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humi- « libus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti « manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ». [2] Et sane, docente Domino, « qui se humiliaverit, exaltabitur ». [3] Quam intuens sententiam beatus Vianney eleganter humilitatem comparabat staterae, in qua, dum nos ex una parte per humilitatem deprimimus, ex altera per gratiam attollimur. Et S. Augustinus opus nostrae sanctificationis conferebat structurae, cuius fundamentum per humilitatem tanto profundius est solidandum, quo altius per gratiam usque ad visionem ipsius Dei est sublimandum. Quod ipsa B. V. in se completum exsultat: « Quia respexit humilitatem ancillae « suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes genera- « tiones ». [4]

Hinc summa gratia a Deo purae creaturae collata, divina maternitas, fuit veluti humilitatis partus. Pulcherrime id evolvit Cardinalis Dechamps: « Dieu ne travaille que sur le « néant, et c'est parce que Marie savait son néant et ren- « dait fidèlement la gloire à Dieu seul, que Dieu voulut la « voir coopérer à la plus grande de ses œuvres. Le *fiat* de « Dieu fit tout sortir du néant, et le *fiat* du néant, je veux « dire l'humilité de Marie, fit sortir Dieu de lui-même pour « se donner tout à nous. La plus profonde humilité fut ainsi « l'instrument volontaire et libre du plus grand ouvrage de « la Toute-Puissance ». [5]

latorem, utpote Augustini doctrinae apprime addictum, non a Pelagianismo dumtaxat, sed et a Semipelagianismo fuisse prorsus alienum.*

[1] Ps. CXXXVII, 6.

[2] I PETR., V, 5, 6.

[3] MATTH., XXIII, 12.

[4] LUC., I, 48. Cf. sequentia: « Deposuit potentes de sede (en imprimis sortem Angelorum per superbiam de sedibus supernis deiectorum), et exaltavit humiles » Ibid., 52).

[5] *La nouvelle Ève ou la Mère de la vie,* ch. XVIII, p. 206 sq.

* *S. Reg.,* c. 4, *Instrum.,* 41, 42, 43. Cf. quae de his sententiis scripsimus: *De Deo Uno*, t. II, p. 475.

Quare haec altior doctrina de gratia, quae etsi nonnullis primo intuitu durior apparet, penitius investigata aequiusque librata filialem fiduciam nutrit eo fortiorem, quo homo, sibimetipsi magis displicens, nonnisi ab alto salutem et robur exspectat, iuxta illud Psalmistae: « Levavi oculos meos in « montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a « Domino, qui fecit caelum et terram ».[1]

Quum itaque a divina gratia pendeat omnis fructus salutis, nullum opus est magis efficax quam oratio, qua Dei gratia impetratur. Quod egregie illustrat SSmus Dominus noster Benedictus XV in Litteris apostolicis *Maximum illud*, de fide catholica in orbem terrarum propaganda. Evolvens enim « triplicis generis adiumenta quae Missioni- « bus afferri possunt, quaeque Missionales ipsi rogare non « desinunt », Pontifex pergit: « Primum est, quod quidem « cuique praestare licet, ut propitius eis Deus advocetur. « Semel iterumque iam diximus inanem atque irritum, a « Missionariis insumptum, laborem fore, nisi eum gratia « divina fecundavit, Paulo testante qui ait: " Ego plantavi, « Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit ,,.[2] Huius « autem gratiae impetrandae una via est, eaque in perse- « verantia humilium precum consistit, nam " de omni re, « quamcumque petierint, fiat illis a Patre meo ,,,[3] dicit Do- « minus. Quae preces, si unquam alias, sane effectu carere « non possunt in hac causa, qua nulla praestantior, nulla

[1] Ps. cxx, 1, 2. Hinc nihil sublimius humilitate qua magni christiani in suscipiendis laboribus summi momenti sursum attollunt preces et corda. Ferunt eximium ducem Foch, quum nuper in mediis belli angustiis a Belgarum rege Alberto rogaretur, quae victoriae spes ipsi affulgeret, in altum oculos elevasse dicendo: « Sire, « prions! ». Et nuperrime colloquium cum magno duce Bruxellis habitum ita narravit Cardinalis Mercier: « J'eus un entretien de quelques minutes avec le grand ma- « réchal Foch et, comme toute la journée, ce grand-homme avait entendu retentir à « ses oreilles des paroles de félicitation, des mots de " Génie et de Gloire ,,, savez-vous « ce qu'il me dit: " Eminence, me dit-il, on me parle tout le temps de génie. Bah! « le génie! Tout simplement j'ai été un instrument dans les mains de la Provi- « dence ,, ». Etenim, uti addebat, in dubiis anceps ad Deum recurrebat et auditae voci parebat: « Que faire? que faire? Un acte de foi et dire à Dieu: " Mon Dieu, je « ne veux que votre volonté ,,. Si je crois qu'il faut dire oui, je dis oui. Si j'ai un « mérite, c'est celui-ci. Si j'ai compris qu'il faut dire oui, alors ma volonté était « inflexible ».

[2] 1 Cor., iii, 6.

[3] Matth., xviii, 19.

« gratior Deo est. Quemadmodum igitur dum Israëlitae cum « Amalec praeliabantur, interea Moyses in summo colle « divinam eius opem sublatis manibus impetrabat, ita Evan- « gelii propagatoribus laboriose in vinea Domini se exer- « centibus omnes debent Christiani sanctarum precationum « ope suffragari ». Quam altam veritatem qui recte perciperit, iam desinet contemplativos, uti aiunt, ordines orationi instantius deditos veluti inutiles despicere; aut saltem, uti minoris efficaciae, postponere aliis; sed e contra aestimatione supernaturali maximi faciet.

Auxilium aut hoc desuper datum ipse est Dei Filius, qui amissam adoptionis gratiam, sua nobis Incarnatione et Redemptione non reparavit modo, sed abundantius in nos de sua plenitudine [1] transfudit. Inde ipse dixit: « Si scires do- « num Dei ». [2] Inde Ioannes proclamavit Verbum incarnatum in nobis habitasse « plenum gratiae et veritatis ». [3] Gratiae, ut per ipsum et ab ipso vitam non solum haberemus, sed abundantius haberemus; [4] veritatis, ut ab errorum et vitiorum tenebris liberatos splendore veritatis ad veram religionem et sanctitatem attraheret. [5] Inde Christus de seipso dixit: « Ego sum α et ω, principium et finis », [6] quia, longe a naturalistico Semipelagianorum conceptu, salutis simul exordium et consummatio ab ipso est, quippe a quo sunt et prima gratia fidei et ultima gratia perseverantiae. [7]

Quum autem tam intime sese compenetrent actio hominis libera electione ducta et actio gratiae hanc ipsam

[1] Ioann., i, 16; Col., ii, 9.

[2] Ioanm., iv, 10; Rom., viii, 32: ii Cor., ix, 15.

[3] Ioann., i, 14.

[4] Ioann., x, 10.

[5] Cf. Prologum S. Benedicti in *Regulam* suam. - De his Christi gratiis quibus naturalis nostra inanitas non modo tollitur, sed in mirabilem ubertatem transmutatur, pulchre Abbas Marmion figurative interpretatur verba Cantici: « Nous dispo- « sons de toutes ces richesses acquises par Jésus ...; nous n'avons qu'à penser à « lui pour être " comme cette épouse qui sort du désert „ de sa pauvreté, mais « " remplie de délices, parce qu'elle s'appuie sur son bien-aimé „ :* " *Quae est ista « quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* „ ». **

[6] Apoc., i, 8.

[7] Quantopere sit efficax S. Benedicti sententia « de spe Deo committenda », demonstrat historia S. Francisci Salesii, qui quum multas dies horribilem desperationis

* Cant., viii, 5.

** Op. cit., p. 90.

libertatem excitantis et stimulantis, nihil est huic altiori doctrinae magis oppositum quam preiudicium quasi inertiam in homine stimularet. Auctor *Imitationis Christi* utrumque optime componit: « Non stes super teipsum, sed in Deo « spem tuam constitue »; et paucis interiectis: « Fac quod « in te est, et Deus aderit bonae voluntati tuae ». Unde S. Ignatius dicere solebat: « Ora Deum instanter, quasi « totum negotium a divino auxilio pendeat; age fortiter, « quasi totum pendeat a conamine tuo! ». Inde quoque in re spirituali connubium tam intimum inter Martham et Mariam, quarum utraque partes suas ita agere debet, ut absque ullo zelo nec invidia, sed pacis concordia et amoris altera in alteram adspiciat.[1]

Corollarium III. - Ex hac proclamatione nostrae humilitatis absolutaeque dependentiae a gratia divina, fluit immediatum consequens: non solum in nulla re nobis esse gloriandum, sed de omni bono constanter esse nobis Deo reddendas gratiarum actiones. « Quid habes, quod non accepisti, « ait Apostolus; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi « non acceperis? ».[2] « Qui autem gloriatur, in Domino glo- « rietur ».[3] Et mentem suam alibi magis diserte explicat: « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, « Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glo- « rietur ».[4]

Optime S. Anselmus ad celebre dictum Apostoli. Cum ait: « *Neque volentis neque currentis est,* subaudiendum « est: *quod velit et currat:* velut cum aliquis nudo, cui nihil

tentationem ob praedestinationis mysterium passus esset, viribus prope exhaustis ad B. V. Mariae altare confugiens, orationem *Memorare* inter lacrimas gemitusque intimo pectore eructavit. Qua vix absoluta, plenam sibi pacem cum filiali spe restitutam gavisus est. *

[1] Hoc eleganter, licet sensu parumper diverso, expressit S. Franciscus Salesius: « Que Marthe soit active, mais qu'elle ne contrôle point Marie; que Marie contem- « ple, mais qu'elle ne méprise point Marthe: car Notre-Seigneur prendra la cause « de celle qui sera censurée ». **

[2] I Cor., iv, 7.

[3] II Cor., x, 17; I Cor., i, 31; Ierem., ix, 23.

[4] Eph., ii, 8, 9.

* F. Collet, *Esprit de St François de Sales,* part. iv, ch. 27.

** Ibid., part. vi, ch. 3.

« debet, et qui nullum potest a se indumentum habere, dat « vestem; nam tamen quamvis ipse habet potestatem utendi « vel non utendi veste accepta, si ea utatur, imputandum non « est induto quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter « ita dici potest: non est induti quod est indutus, sed mise- « rentis, id est vestem dantis ». [1] Quis iam toleret huiusmodi nudum de accepta veste gloriantem et non potius gratias agentem?

Quum autem haec fidei bona obveniant a Christo, ait: « Gloriamur in Christo Iesu ». Hinc debitum gratitudinis: « Pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati « estis in uno corpore, et grati estote ». [2]

Hinc cara Ecclesiae invocatio: « Non nobis, Domine, non « nobis, sed nomini tuo da gloriam! ». [3] Et: « Gratias agi- « mus tibi propter magnam gloriam tuam ». « Vere dignum « et iustum est nos tibi semper et ubique gratias agere ». Quare hic sensus gratiarum actionis, in humilitate fundatus, quem omnes Sancti semper coluerunt, [4] est Deo acceptissimus et movet bonitatem divinam ut grata corda novis beneficiis semper magis magisque repleat.

Hanc gratiarum actionem Paulus non pro se tantum Deo reddere solebat, sed pro fidelibus quos Christo lucratus erat. « Audiens fidem vestram quae est in Domino « Iesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias « agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationi- « bus meis ». [5] Et ad alios: « Gratias agere debemus sem- « per Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam « supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscuius- « que vestrum in invicem ». [6]

Pulcherrime haec rursus inculcat auctor *Imitationis Christi:* « Multum contrariatur supernae visitationi falsa libertas « animi, et magna confidentia sui. Deus bene facit conso- « lationis gratiam dando; sed homo male agit non totum

[1] *De conc. gratiae et lib. arbitr.*, c. 5.

[2] Phil., iii, 3; Col., iii, 15.

[3] Ps. cxiii, c. i. Nihil frequentius in Psalmis quam invitatio ad laudem Deo dandam: lxv, 2; lxvii, 35; xcv passim, etc.

[4] Cf. S. Ioann. Chrys., *Homil. 10 ad Coloss.*, n. 3.

[5] Eph., i, 15, 16.

[6] ii Thess., i, 3. - Cf. S. Ioann. Chrys., *Homil. 2 in II Cor.*

« Deo, cum gratiarum actione, retribuendo. Et ideo non « possunt in nobis dona gratiae fluere, qui ingrati sumus « auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper « enim debetur gratia, digne gratias referenti, et auferetur « ab elato, quod dari solet humili ».[1] Et paucis interiectis: « Da Deo quod Dei est, et tibi adscribe quod tuum est; hoc « est, Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam « et dignam poenam pro culpa deberi sentias ». Et claudit sapienti monito: « Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit « gratus pro gratia data, patiens pro sublata. Oret ut redeat, « cautus sit et humilis, ne amittat ».[2] Nec aliter Ven. Blosius: « Vide autem ne de his quae accipis, gratias sedulo agere « negligas: nam supra modum displicet Deo beneficiorum « acceptorum oblivio et ingratitudo ».[3]

Hanc autem humilem et gratam dependentiam a gratia sedulo colendam esse etiam a Christianis in pia senectute provectis, ne veluti cum Deo contendere videantur, ita pulchre docet S. Gregorius Magnus: « Cum Deo contendere, « est non ei tribuere, sed sibi gloriam suae virtutis arro- « gare. Sed sanctus vir conspiciat, quia et qui summa iam « dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quae acce- « perat amittit ».[4] Praeclare pariter Ven. Blosius: « Quan- « tumlibet autem benedictionibus a Deo ditentur, non tamen « erigunt animum, non despiciunt alios, sed se. Se, inquam, « despiciunt, et omni gratia spirituali indignos agnoscunt. « Recogitant semper, quia quod habent, ex mera misericordia « Dei habent: et quia quibus plus datur, plus etiam ab eis « exigitur. Sicque in timore sancto permanentes, et ex donis « in humilitate proficientes, sese omnium infimos esse con- « fitentur ».[5]

Immoderatam fiduciam in propriis viribus repositam bene describit et corripit Card. Mercier: « La présumption a par- « fois sa source dans l'inexpérience. Elle peut naître aussi « d'un fond d'orgueil, qui est le principal obstacle à la vie

[1] L. II, c. 10.
[2] Ibidem.
[3] *Speculum Monachorum*, c. III in fine.
[4] *Moral.*, l. IX, c. 2.
[5] Op. cit., c. II. Cf. c. V circa finem.

« unitive. Dieu a promis sa grâce aux humbles, mais aux « orgueilleux Il résiste.

« Or le naturalisme a impregné notre monde contempo- « rain d'un ferment d'orgueil qui suggère à des âmes géné- « reuses, qu'elles ont à demander à l'effort de leur volonté « propre et à leurs ressources personnelles, l'œuvre de leur « sanctification...

« La présomption est une confiance outrée en soi.

« A vrai dire, la confiance en soi est toujours outrée, « pour la raison que l'homme n'a rien à soi, de soi; il n'est « rien, ni à son origine, puisqu'il la doit à un acte créateur, « ni dans sa conservation, puisque celle-ci n'est possible que « par la continuation de l'acte primordial de la création.

« Aussi l'humilité contre laquelle pèche la présomption, « est-elle principalement une attitude de l'âme vis-à-vis de « Dieu ».

Et paucis interiectis pulchre concludit: « Faire abstrac- « tion de soi, traverser le moi pour le livrer à Dieu, c'est « pratiquer à la fois l'humilité et le pur amour. L'humilité « et l'amour agissent de conserve: l'un écarte l'obstacle, « l'autre réalise l'élan, les deux se complètent et se compé- « nètrent ».[1]

Corollarium IV. - Ulterius premendo veritatem in praecedenti corollario expositam apparet, vere Christianis non solum auxilium exspectandum et invocandum esse a Deo et a Christo, sed despicienda esse conamina nudae naturae superstructa, imo mortificandam esse naturam, quo magis in ea et per eam gratia efflorescat et fructificet. Id insinuant verba Psalmistae: « Hi in curribus in equis, nos autem « in nomine Domini invocabimus »;[2] et illud tam carum Augustino Semipelagianos debellanti: « Maledictus homo « qui confidit in homine ».[3] Frequentissime in suis orationibus Ecclesia nos monet, nullatenus in nobis, sed in Dei miserentis auxilio fiduciam esse reponendam. Exemplo sint orationes sequentes: « Familiam tuam, quaesumus, Domine,

[1] Op. cit., p. 107 sq.
[2] Ps. XIX, 8.
[3] IEREM., XVII, 5.

« continua pietate custodi: ut quae in sola spe gratiae cae-
« lestis innititur, tua semper protectione muniatur ». [1] -
« Deus qui conspicis omni nos virtute destitui: interius
« exteriusque custodi ». [2]

Inde ex agnitione miseriae spem exauditionis nutrimus:
« Qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus ». [3] Imo
hanc agnitionem uti titulum ad eamdem exauditionem,
afferre docemur: « Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra
« actione confidimus ». [4] Et forma positiva: « Da nobis, quae-
« sumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostrae con-
« scii, de tua virtute confidimus; sub tua semper pietate
« gaudeamus ». [5]

Hanc intuens veritatem, mundo quidem stultitiam, Deo
autem altissimam sapientiam, S. Vincentius a Paulo dice-
bat: « C'est Dieu qui a fait tout cela, et qui l'a fait par telles
« personnes que bon lui a semblé, afin que toute la gloire
« lui en revienne. Mettons donc toute notre confiance en
« lui; car si nous nous appuyons sur quelque avantage de
« la nature ou de la fortune, alors Dieu se retirera de nous...
« Ce prédicateur, ce supérieur, ce confesseur, se fie trop à
« sa prudence, à sa science et à son propre profit. Que fait
« Dieu? Il se retire de lui, il le laisse là, et quoiqu'il tra-
« vaille, tout ce qu'il fait ne produit aucun fruit, afin qu'il
« reconnaisse son inutilité et qu'il apprenne par sa propre
« expérience que, quelque talent qu'il ait, il ne peut rien
« sans Dieu ». [6]

Corollarium V. - Nec satis: ex eadem veritate apparet
gravitas culpae quae in Scriptura vocatur « rapina in holo-
« causto »; quod vitium duplicem gravitatem induit, si homi-
nes Deo devoti in ipso sacro ministerio ei indulgeant. Hinc
S. Philippus Nerius, audiens sodalem sui instituti qui in sua

[1] Dom. V post Epiph.
[2] Dom. II Quadrag.
[3] Fer. II Rogat.
[4] Dom. Sexag.
[5] Fer. IV hebd. IV Quadrag.
[6] Mgr Paul Guérin, *Vie des Saints*, t. VIII, p. 480 sq. Hinc S. Benedictus in *Regula* sua severe inculcat removendos ab arte sua fratres opifices qui in ea gloriantur, quantumcumque eorum ars monasterii utilitati conferat. *

* *Regul.*, c. 57.

eloquentia sibi parumper complacere videbatur, columnam templi manu fortiter pulsans, ipsam concionem turbavit. Audiatur rursus magnus humilitatis doctor S. Vincentius a Paulo ad suos scribens: « Qu'on ne cherche purement que « la gloire de Dieu et le salut des âmes. Car en user autre- « ment, c'est se prêcher soi-même et non pas Jésus-Christ; « et, une personne qui prêche pour se faire applaudir, louer, « estimer, faire parler d'elle, qu'est ce que fait cette per- « sonne, ce prédicateur? Qu'est ce qu'il fait? Un sacrilège, « oui, un sacrilège!... O mon Dieu! ô mon Dieu! faites la « grâce à cette pauvre petite Compagnie, que pas un de ses « membres ne tombe dans ce malheur! ».[1]

Corollarium VI. – Ex eadem veritate fluit et aliud consequens. Quemadmodum perfectissima sacrificii forma est holocaustum, quod in Dei honorem consumitur totum, ita pariter nobilissimus usus donorum a Deo acceptorum in hoc consistit, ut Deo in holocaustum offerantur, consumenda coram altari ad modum incensi, si ita Deo placeat; fructificanda in bonum Ecclesiae et proximi, si ita ipse disponat; nam, ut cuiusdam poëtae verbis utar:

Richesses et talents n'ont d'usage meilleur
Que d'être sans réserve immolés au Seigneur.

Hinc pretium quod oculis Dei habent amoris proprii immolationes intuitu immolationis ipsius Filii Dei. Pulcherrime S. Vincentius: « Prenons aujourd'hui la résolution de le sui- « vre (Notre-Seigneur) et de lui offrir ces petits sacrifices « de notre amour-propre; comme, par exemple: si je fais « une action publique et que je puisse la pousser bien avant, « je ne la ferai pas, j'en retrancherai telle ou telle chose « qui pourrait lui donner quelque lustre et à moi quelque « réputation; de deux pensées qui pourront me venir à « l'esprit, je produirai la moindre au dehors pour m'humilier, « et je retiendrai la plus belle pour en faire un sacrifice à « Dieu dans le secret de mon cœur ».[2] Alta sane doctrina, sed non nisi cum prudenti moderamine in praxim deducenda.

[1] Ibid., p. 470.

[2] Ibid., p. 484 sq. Hinc industrias illas innumeras quibus S. Vincentius ingenii sui dotes celare studebat. Tantis enim eum natura ditarat mentis acumine copiaque

Corollarium VII. – Demum ex eadem doctrina illud ultimum consequens fluit summi pretii. Quo magis homo offert Deo holocaustum suae naturae, eo potentius se evolvit in ipso potentia obedientialis ad gratiam. Hinc accrescunt in eo robur, tranquillitas animi, gaudium et fiducia.

a) Robur: idem enim Apostolus, qui praedicat absolutam suam insufficientiam a seipso,[1] exsultat dicens: « Omnia possum in eo, qui me confortat ».[2] Imo, testante ipso Christo, « virtus in infirmitate perficitur ».[3] – *b*) Tranquillitas animi: nam homo Deo fisus iactat super Dominum curam suam. Ad quod suos hortabatur Christus dicens: « Cum tradent « vos (ad praesides et reges) nolite cogitare quomodo aut « quid loquamini.... Non enim vos estis qui loquimini, sed « Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ».[4] Quae promissio quam magnifice impleta sit, persecutionum martyrumque docet historia. – *c*) Gaudium: nam, etsi ardua iubemur pro Christo tolerare, resonant Magistri verba: « Gaudete « et exsultate! ».[5] Unde de Apostolis primitias ultimae beatitudinis degustantibus dixit Scriptura: « Ibant gaudentes a « conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine « Iesu contumeliam pati ».[6] – *d*) Fiduciam demum, quae ipsam perseverantiam complectitur, iuxta illud veluti triumphans Apostoli: « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis ergo « non separabit a charitate Christi?... In his omnibus supe- « ramus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quod « neque mors neque vita, neque Angeli neque Principatus « neque Virtutes, neque instantia neque futura, neque forti- « tudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia « poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo

verbi, ut inter tot magnos sui temporis viros a nemine superaretur, nisi hac ipsa fama, quam Christi amore tenacissime vitavit.

[1] II Cor., III, 5.

[2] Phil., IV, 13. Hanc fortitudinem, quae iam in sanctis Antiqui Testamenti fulgebat, et quae in primis Christianis, intuitu Regis martyrum, in immensum excrevit, S. Paulus pluries celebravit. *

[3] II Cor., XII, 9.

[4] Matth., X, 19 sq.

[5] Matth., V, 12.

[6] Act., V, 41.

* Hebr., XI, XII; I Cor., IV.

« Iesu Domino nostro ».[1] « Scio enim cui credidi, et certus « sum, quia potens est depositum meum servare in illum « diem ».[2]

Et sane quo magis diffidentiam erga nosmetipsos corde nutrimus, non illam mundanam quae unice deprimit vires et secreta saepe vanitate nutritur, sed illam christianam quae altius sapit et ab alto vires exspectat, eo magis quoque vera in Deum fiducia in nobis roboratur. Pulcherrime auctor libri cui titulus: *Esprit de St François de Sales:* « Comme « je lui demandais un jour ce qu'il fallait faire pour arriver « à une parfaite défiance de soi-même, il répondit: " Se con- « fier parfaitement en Dieu ,,. Et il ajouta que la confiance « en Dieu et la défiance de soi-même étaient comme les « deux bassins d'une balance, et que l'élévation de l'un était « l'abaissement de l'autre. Plus nous avons de défiance de « nous-mêmes, plus nous avons de confiance en Dieu; moins « nous avons de défiance de nous-mêmes, moins nous avons « de confiance en Dieu; si point du tout de confiance en « nous, alors nous l'avons entièrement en Dieu ».[3]

Corollarium VIII. – Demum patet, totam hanc doctrinam nullatenus obesse verae notioni liberi arbitrii, imo eam supponere et corroborare. Praeclare id contra Pelagianos illustrat Hieronymus: « Asserunt se per arbitrii libertatem ne- « quaquam ultra necessarium habere Deum; et ignorant « scriptum: " Quid habes quod non accepisti? Si autem acce- « pisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ,,.[4] Magnas agit « Deo gratias, qui per libertatem arbitrii rebellis in Deum « est: quam nos libenter amplectimur, ita dumtaxat ut aga- « mus semper gratias largitori; sciamusque nos nihil esse, « nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apo- « stolo; " Non est volentis, neque currentis, sed miserentis

[1] Rom., 31 sqq.

[2] II Tim., I, 12.

[3] Part. III, ch. 15. Huc facit pulchre dictum illius rustici ab eodem Sancto valde laudatum. Roganti ubinam invenisset Deum, respondit: « Là où je me suis laissé « moi-même; et où je me suis trouvé moi-même, c'est là où j'ai perdu Dieu ». (Ibid., ch. 28).

[4] I Cor., IV, 7.

« Dei „.[1] Velle et currere meum est: sed ipsum meum, sine « Dei semper auxilio non erit meum: dicit enim idem Apo- « stolus: " Deus est qui operatur in nobis et velle et perfi- « cere „.[2] Et Salvator in Evangelio: " Pater meus usque « modo operatur, et ego operor „.[3] Semper largitor, sem- « perque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, « nisi semper donaverit. Peto ut accipiam: et cum acce- « pero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia « Dei; nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo ».[4] Et paucis interiectis addit: « Quod autem sursum deorsum « iactitant, liberum a nobis arbitrium destrui, audiant e con- « trario eos arbitrii destruere libertatem, qui male eo abu- « tuntur adversum beneficium largitoris. Quis destruit arbi- « trium? Ille qui semper Deo agit gratias, et quodcumque « in suo rivulo fluit, ad fontem refert? an qui dicit: " Recede « a me quia mundus sum:[5] non habeo te necessarium? De- « disti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod « voluero; quid rursum te ingeris, ut nihil facere possim, « nisi tu in me tua dona compleveris? „ Fraudulenter prae- « tendis Dei gratiam ut ad conditionem hominis referas, et « non in singulis operibus auxilium Dei requiras; ne scilicet « liberum arbitrium videaris amittere; et cum Dei contemnas « adminiculum, hominum quaeras auxilia ».[6] Et inferius: « Frustra blasphemas et ignorantiam omnibus ingeris, nos « liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat. « Caeterum nos ex eo differimus a brutis animalibus, quod « liberi arbitrii conditi sumus; sed ipsum liberum, uti dixi- « mus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula « ope indiget, quod vos non vultis; sed id vultis, ut qui « semel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat ».[7]

Quod tantopere verum est, ut liberum creaturae arbitrium aliter intellectum quam iugiter Deo indigens, faceret iniuriam Creatori. « Ita et homo a principio conditionis suae

[1] Rom., ix, 16.
[2] Phil., ii, 13.
[3] Ioann., v, 17.
[4] *Ad Ctesiph. ep. 133,* n. 6. - *P. L.,* t. xxii, col. 1154.
[5] Is., lxv, 5.
[6] Ibid., n. 6, col. 1155.
[7] Ibid., n. 10, col. 1158.

« Deo utitur adiutorio: et cum illius sit gratiae quod crea-
« tus est, illiusque misericordiae quod subsistit et vixit;
« nihil boni operis agere potest absque eo qui ita concessit
« liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non
« negaret; ne libertas redundaret ad iniuriam Conditoris, et
« ad eius contumaciam, qui ideo liber conditus est ut absque
« Deo nihil esse se noverit ». [1]

***

Quum doctrina Quaestionis CIX, in omnibus quasi articulis, ex una parte schemate illustrata et ex altera parte variis adiunctis ditata sit, a brevissima eiusdem Quaestionis synopsi, uti vix possibili et minus utili, abstinendum duximus.

Loco tamen huius synopseos iuvat transcribere pulcherrima verba quibus laudatus Laforêt suam de gratia tractationem claudit: « La grâce nous est nécessaire à un double
« titre: pour réparer les ruines de notre nature déchue, puis
« pour l'élever au-dessus d'elle-même, de manière à la pla-
« cer sur la voie qui conduit à la félicité surnaturelle que
« l'amour de Dieu lui réserve au-delà du tombeau. La grâce
« est nécessaire à notre intelligence, sur le terrain même de
« l'ordre rationel, pour dissiper ses obscurités et la soutenir
« dans ses défaillances; elle est plus nécessaire encore à la
« volonté dont les plaies sont plus vives et plus profondes
« que celles de l'intelligence. Il faut enfin le secours d'en
« haut à notre intelligence et à notre volonté, à tout notre
« être, pour nous élever à la hauteur où la bonté de Dieu
« nous appelle, et y commencer à vivre de cette vie supé-
« rieure dont la vision béatifique ne sera que la consomma-
« tion et l'épanouissement. La grâce donc ... loin de détruire
« la nature, comme l'affirme le rationalisme, la redresse et
« l'exalte d'une manière merveilleuse ». Et pie addit: « Recon-
« naissons cet inappréciable bienfait de Dieu, remercions-
« l'en et tâchons d'en profiter. Confessons humblement notre
« insuffisance personnelle dans l'ordre moral; ne rougissons
« point de faire l'aveu d'une indigence qui n'est que trop
« visible: prions Dieu qu'il supplée à ce qui nous manque,

[1] *Epist. 140 ad Cypr. presbyter*, n. 5. – *P. L.*, t. XXII, col. 1169.

« qu'il nous guérisse, nous soutienne, et que nous soulevant « amoureusement au-dessus de nous-mêmes, il nous intro- « duise et nous maintienne au sein de ce monde supérieur « où l'on goûte dès cette terre les prémices de la joie sans « mélange qui nous est réservée dans le ciel ».[1]

[1] Op. cit., p. 267 sq. – Huic gratissimo animo erga Deum addatur gratissimus sensus erga Ecclesiam, quae, uti sapiens medicus, ex uno latere detigit plagas et miserias nostrae naturae, ex altero fiduciam nostram in Dei gratiam excitat: « Sans « doute, ait El. Mérié, l'Eglise nous apprend l'humilité en dévoilant les plaies de « notre nature blessée, mais elle nous apprend aussi à connaître la merveilleuse « efficacité de la grâce et à mettre notre confiance dans son secours ». * Sed imprimis gratiae instantissimae agendae sunt ipsi Ecclesiae Conditori, Christo, qui nobis inter tot alia scientiam docuit et vivendi et moriendi, ut aeternae eius vitae compartícipes efficiamur. Optime Illmus de la Porte: « Le Christ est venu sur la terre afin « de nous apprendre à vivre et à mourir. Mais la science de la vie et de la mort ne « va pas sans la science de la prière et tout cela se résume en la conformité de l'âme « à la volonté divine ». **

Orandum est igitur nobis et laborandum ut felicem finem assequi valeamus. Imo inter labores primus locus est tribuendus orationi. ***

* Op. cit., p. 331.

** Opus cit., II *Sem. temps de Paques, jeudi.*

*** De connubio inter orationem et laborem pulcherrime nuper tractavit Illmus D. Anselmus Pecci O. S. B. Archiep. Acheruntin. et Materanen. in pastoralibus litteris quibus titulus *Ora et labora*. De excellentia orationis erudite tractat Fredericus Heiler in opere *Das Gebet. Eine religionsgeschichtliche Untersuchung*. Ernst Reinhardt, München, 1920.

SECTIO II.

B) De ipsa gratia quantum ad eius essentiam.

(Quaestio CX).

De ratione et ordine ipsius Quaestionis. – Necessitatem gratiae tum in ordine ad gratiam, tum sub gratia, in Quaestione praecedenti luculenter demonstratam, princeps fundamentum habere vidimus ipsam supernaturalem finis dignitatem et proportionatam in eumdem finem creaturae rationalis ordinationem.

Iam nunc quaerendum est, quid sit illa proportionata ordinatio. Et quidem 1) *utrum* revera aliquid ponat in ipsa anima; 2) *quid* in illa ponat, et quidem *a*) absolute, utrum sit substantia an mera qualitas, *b*) relative, utrum gratia identificetur cum infusa virtute; 3) demum, quodnam sit formale gratiae *subiectum,* utrum substantia an facultates animae.

Ex dictis apparet, gratiam in hac Quaestione intellectam, esse gratiam habitualem, gratum facientem, iuxta quam praecedens Quaestio in duas partes distinguebatur, secundum quod considerabat hominem absque gratia (1-8), vel cum gratia (9-10).

Breviter hoc Membrum pertractabimus, quia partim argumentum iam praeoccupatum est, partim magis evolvetur data opera in tractatu de virtutibus infusis.

ARTICULUS I.

UTRUM GRATIA PONAT ALIQUID IN ANIMA.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Recolantur ea quae in initiali dissertatiuncula de gratia diximus, ubi, distinguentes triplicem gratiae sensum: *a*) bonam voluntatem, qua quis alteri bonum vult (inde italicum *ti voglio bene*), *b*) donum ex hoc

voluntate causatum, *c*) gratitudinem ex benevolentia et dono in anima dilecti et accipientis productam, diximus sensum *c*) vix ad argumentum pertinere; ex sensibus vero *a*) et *b*) priorem alteri tamquam causam effectui praestare.

2) Iam vero hi tres sensus hic recurrunt, sed sub respectu aliquantulum diverso. Quaeritur enim hic directe, utrum gratia ponat aliquid in anima. Iam vero aliter et aliter loquendum est de Deo et de homine, non pro sensu *b*) et *c*), quos patet utrimque aliquid ponere in recipiente donum et grates inde agente, sed pro sensu *a*).

3) Etenim apud homines gratia in sensu *a*) non solum nihil ponit in homine gratiae obiecto, seu in dilecto, nisi per *b*), sed, ex toto vel ex parte, supponit in homine titulum, qui producat gratiam in subiecto, seu in diligente. Homo enim hominem diligere solet ob dotes, sive physicas sive morales, quibus quem diligit, ab alio,[1] saltem in mente oculisve diligentis, distinguitur. Supponit proin titulum verum vel falsum, qui ipsam gratiam provocet. Unde gratia in sensu *a*) vere dici potest effectus, licet sit causa gratiae in sensu *b*).

4) In Deo autem relate ad creaturas inverso se ordine res habet. Dilectio quippe divina, ad modum alicuius paternitatis ad extra fecundae, omnis bonitatis participatae est causa, nullusque in creaturis datur bonitatis sive perfectionis gradus, qui non sit eiusdem dilectionis effectus. Unde gratia in sensu *a*) ad Deum in relatione ad creaturas translata, non solum non est effectus, sed cum gratia in sensu *b*) tam intime connectitur, ut quasi passim pro illa sumatur. Etenim licet gratia interdum usurpetur in sensu aeternae dilectionis, quae est in Deo immutabiliter, usu tamen quasi ordinario pro ipso effectu huius dilectionis in mutabili tempore sumitur.

5) Porro omnis effectus in creatura productus ab ista dilectione fontali procedit. Nihilominus speciali modo, iuxta ibidem dicta, ei tribuuntur opera quae sunt elevationis creaturae rationalis ad ordinem et destinationis eiusdem ad finem supernaturalem. Ita praedestinatio, qua ab aeterno Deus

[1] Abstrahimus nunc a dilectione paterna et materna, quae, utpote partialiter causativa dilecti, aliquid de amore divino speciali titulo participat.

beandos diligit, et dona ad eam in tempore conducentia, proprio sensu gratia vocantur.

6) Huius doctrinae consequens est: sicut invertitur ordo inter dilectionem et titulum, ita quoque in Deo relate ad creaturas inverti ordinem inter electionem et dilectionem. Homo ex titulo eligit quem diligat, quum titulus in dilecto affectum diligentis praecedat. Deus autem, cuius dilectio titulum causat, quos eligat diligit. Cf. I, Q. XXXIII, a. 4.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Non considerat dicta n. 4.

2ª Obi. Confundit causam formalem, quae agit sine medio, cum causa efficienti, quae cum medio agit.

3ª Obi. Supponit gratis, remissionem peccatorum produci sine gratiae infusione. Cf. doctrinam expositam in Q. CXIII, de iustificatione, praesertim art. 2.

Sed contra est. Testimonio heic allato adde omnes sententias in quibus gratia exhibetur tamquam aliquid ipsam animam afficiens, per motionem, per Spiritus Sancti habitationem, per novam generationem, etc., etc.; quae omnia illustrantur in art. seq. et in Quaestione de iustificatione.

In Corpore. En schema huius *Corporis:*

- Gratia ponit aliquid in anima
  - 1) in sensu *dilectionis:*
    - *a*) non in *hominibus* (est enim effectus); sed
    - *b*) in *Deo* (ubi est causa):
      - α) non quidem in sensu *aeternae dilectionis,* quae unice in Deo est; sed
      - β) in sensu *effectus causati in creaturis:*
        - α') in ordine naturae;
        - β') maxime in ordine *supernaturali;*
  - 2) in sensu *doni* (effectus primi): ipsum donum;
  - 3) in sensu *grati affectus* ex dono (effectus secundi): doni recognitionem.

Reliqua patent.

Argumentum huius articuli, simul et sequentis, ita bene exponit Illmus Waffelaert: « Comme cette union est véritable « et réelle, et qu'il ne peut y avoir de changement dans la « personne divine, tout le changement s'opère dans l'autre « terme de l'union, à savoir dans la personne humaine qui, « tout entière, est élevée, et devient par suite de l'infusion « de dons surnaturels accidentels, il est vrai, mais réels et « physiques, participante de la nature divine. La personne

« justifiée participe à la nature divine, dans son âme par la « grâce sanctifiante; dans les facultés de l'âme par les vertus « théologales et les autres dons divins; et même dans son « corps, lequel à sa manière participe à la sainteté et devient « le temple de l'Esprit Saint ».[1]

Corollarium I. – Ex doctrina huius articuli collige discrimen summum quod habetur inter adoptionem humanam et adoptionem divinam. Praeter quam quod humana adoptio passim fieri solet ut naturali proli subveniatur, quod in divinis nullatenus verum est, quippe adoptiva filiatio est ad imaginem Unigeniti Filii Dei; humana adoptio per se nihil intrinsece ponit in adoptato quo ius in haereditatem acquirat. At contra, in adoptione divina non solum aliquod producitur in adoptato, sed ipsa gratia divinitus infusa, utpote participatio divinae naturae, causat adoptionis titulum, qui dein titulus confert ius ad haereditatem iuxta illud Apostoli: « Si filii, et haeredes ».[2]

Corollarium II. – Iam ex hoc articulo patet, reiiciendos esse, utpote deficientes, omnes sententias quae errant circa intrinsecam iustificationem. Quare gratia sanctificans non consistit in mero favore extrinseco, uti contendit Calvinus, nec in imputata Christi iustitia, uti docuit Lutherus, nec imo in rectitudine quae formaliter consistit in obedientia mandatorum, uti erronee putavit Baius; sed in supernaturali quodam dono intrinsece animam afficiente. Quomodo autem istud donum sit concipiendum, penitius superest investigandum.

ARTICULUS II.

UTRUM GRATIA SIT QUALITAS IN ANIMA.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Habemus ex art. 1 gratiam aliquid efficaciter ponere in homine, idest in anima. Quaeritur iam quid hoc sit. Estne substantia? Estne forma substantialis? Estne accidens? Et quodnam accidens: qualitas? Et quaenam qualitas?

[1] *Méditations théologiques*, t. II, p. 25 sq.
[2] Rom., VIII, 17.

2) Iam vero gratiam non esse *substantiam*, demonstratur tum ex termino *a quo,* seu Deo gratiam infundente, tam ex termino *ad quem,* seu anima recipiente. *a*) A parte Dei, gratia substantialis est ipse Deus. Etenim gratia tam intime coniungit Deo, ut sit participatio ipsius substantialis bonitatis divinae, quae, sicuti una est et infinita, non potest communicari per modum substantiae. Sed nec *b*) potest animae ita applicari ut ipsi animae per modum substantiae inhaereat, nisi animam, quod repugnat, deificet. Unicus modus unionis aliqualiter similis habetur in unione hypostatica. Sed nec ibi unio habetur secundum substantias, quae erat falsa imaginatio Eutychetis, sed secundum suppositum. Unde et in ipso Christo gratia increata fuit quidem substantialiter, creata vero, summo utique gradu possibili, nihilominus non substantialiter; repugnat enim.

3) Sed nec per *formam substantialem* gratia communicari potest, propter geminam considerationem iam expositam a parte termini *a quo* et *ad quem. a*) Quid enim esset, extra Deum, illa substantialis forma rei quae nequit existere substantialiter nisi in Deo; imo quae substantialiter est ipse Deus? Insuper *b*) quaenam posset per illam formam substantialem produci assimilatio, servata unitate substantiali in anima gratiam recipiente? Restat igitur ut gratia sit quidem forma, sed mere accidentalis.

4) Forma autem *accidentalis*, nulla alia gratiae muneri correspondet quam *a*) *qualitas,* sive, ut aiunt philosophi, accidens modificativum, seu dispositivum subiecti *in seipso.* Per gratiam enim homo fit intrinsece iustus, sanctus. Et quidem *b*) in primo genere qualitatis, *habitus* scilicet, sive qualitas, difficile mobilis, disponens subiectum ad prompte, faciliter et delectabiliter agendum.

5) Hic autem *habitus,* quemadmodum in art. sequenti magis apparebit, est fundamentum facultatis superioris ordinis, seu novae *potentiae,* quam animae confert, non autem est haec ipsa potentia.

6) Ex hac doctrina iam sequentia fluunt. *a*) Non est ex defectu, sed ex excessu dignitatis simul et ex intrinseca appropriatione, quod gratia nequit esse substantia. Quare si consideras τὸ esse substantiale, in homine natura praestat

gratiae, non autem in Deo, qui est ipsa gratia substantialis; si autem ordinem ipsius esse consideras, gratia infinite praestat naturae. – *b*) De gratiae productione in anima, sicut et de eius destructione, loquendum est secundum quod loquuntur philosophi de accidentibus, quae, quum non habeant *esse suum*, sed sint *esse entis* cui insunt, non nisi improprie fieri et corrumpi dicuntur. Hoc autem discrimen interiacet, quod, quum gratia pertineat ad ordinem supernaturalem, homo secundum illam non dicitur solum transformari, sed et quasi de novo, id est, de nihilo meriti recreari. – *c*) Modus autem quo gratia agit in animam, est modus causae formalis, non autem causae efficientis. Unde distinguendum est inter gratiam quatenus a Deo in animam infunditur, et quae aliquo modo, in quantum una est cum Deo agente, potest uti causa efficiens considerari; et gratiam quatenus animam a qua recipitur, non efficienter, sed formaliter afficit.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat dictum n. 6, *c*).

2ª Obi. Negligit dicta n. 6, *a*).

3ª Obi. Pariter negligit dicta n. 6, *b*).

Sed contra est. Duo in hac thesi ex Scriptura et ex auctoritatibus traditionis occurrunt demonstranda: *A*) gratiam gratum facientem habitualiter animam afficere, *B*) ad modum supernaturalis qualitatis.

A) Primum demonstratur 1°) *ex Scriptura* per omnes locutiones in quibus gratia exhibetur veluti stabilis modus essendi: v. gr., ubi vocatur *nova nativitas, nova vita, renovatio, regeneratio, resurrectio, vivificatio.*

Ita S. Petrus ait: « Benedictus Deus et Pater Domini no« stri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam ma« gnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem « Iesu Christi ex mortuis ».[1] Et S. Ioannes: » Qui non ex « sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volun« tate viri, sed ex Deo nati sunt ».[2] Et: « Omnis qui natus « est ex Deo, peccatum non facit ».[3] Et Paulus: « Non ex « operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam

[1] I Petr., I, 3.
[2] Ioann., I, 13.
[3] I Ioann., III, 9.

« misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis « et renovationis Spiritus Sancti ».[1] Et: « Cum essemus mortui « peccatis, convivificavit nos in Christo ».[2] Ipseque Christus: « Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum « Dei ».[3] Unde iuxta Christum haec est vera vita: « Qui man- « ducat hunc panem, vivet in aeternum ».[4] « Ego veni ut « vitam habeant, et abundantius habeant ».[5] Est ergo gratia aliquid habitualiter animam afficiens ad modum vitae, sed superioris ordinis. Confert proin aliquod esse novum quod ps. Dionysius eloquenter appellat εἶναι θείως[6] conferens novam naturam superiorem prope divinam.[7]

Corroboratur per omnes Scripturae locutiones, quibus anima exhibetur uti Spiritus Dei templum, in quo ipsa divinitas inhabitat, quemadmodum in adiectis quaesitis et corollariis illustrabimus.

Idem evincitur expressione qua utitur Ioannes in prologo sui Evangelii: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri ».[8] Quid hoc significat, nisi gratiam sanctificantem re vera animae conferre qualitatem tam sublimem, ut constituat potestatem appellandae filiationis divinae?

Confirmatur per modum quo hoc donum exhibetur tamquam aliquid quod possit amitti. Talis est efficacissima locutio Pauli: « Spiritum nolite extinguere ».[9]

Pariter sequitur ex aliis locutionibus figuratis, in quibus gratia comparatur luci permanenter splendenti, iuxta illud Pauli: « Eratis aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino »;[10] diffusioni liquoris, etc. – Cf. dicenda mox in altera parte huius expositionis.

2°) *Ex traditione catholica* idem pariter probatur. In

[1] Tit., iii, 5.

[2] Ephes., ii, 5.

[3] Ioann., iii, 3.

[4] Ibid., vi, 59.

[5] Ibid., x, 10

[6] *De Eccles. haer.*, c. 2, § 1. - Cf. Hurter, op. cit., p. 143.

[7] De operationibus Spiritus Sancti in anima Christi, in Ecclesia et in singulis animis, pulchre disserit laudatus Abbas Marmion (op. cit., p. 155 sqq.).

[8] i Ioann., i, 12.

[9] i Thess., v, 19.

[10] Ephes., v, 8. Unde S. Benedictus gratiam vocationis pulcherrime appellat « deificum lumen » (*Prael. ad S. Reg.*).

Epist. Barnabae haec pulcherrima leguntur: « Attendite ut « templum Domini magnifice aedificetur. Quo modo? Discite: « accepta remissione peccatorum et spe habita in nomine « Domini, facti sumus novi, iterum ab integro creati: quare « in domicilio nostro vere Deus existit, habitat in nobis... « Quare qui cupit esse salvus, non in hominem respicit, sed « in eum qui in homine habitat ».[1] – Egregie et S. Basilius ait: « Sicut cernendi vis est in oculo sano, sic et operatio Spi- « ritus in anima purgata; et quemadmodum ars est in eo « qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo, qui recepit « eam, semper quidem praesens est, at non perpetuo ope- « rans ».[2] Et S. Cyrillus: « Formatur item in filium Dei intel- « ligibiliter informatus divinarum legum scientia ad speciem « effigiemque excellentem, quae virtutum ornatu in anima « hominis inhaeret ac insidet... Formatur autem in nobis « Christus, Spiritu Sancto nobis divinam quamdam formam « per sanctificationem et iustitiam induente, sic enim in ani- « mis nostris elucet character substantiae Dei ».[3] – Augustinus, cum Pelagio disputans, totus in hoc est ut gratiam per inhabitationem Spiritus Sancti intrinsece animae inhaerentem vindicet. Unde eamdem contendit esse gratiam qua iustificantur adulti et infantes. Quod certe non intelligi posset, nisi gratia esset habitus supernaturalis.[4]

Audiatur S. Doctor sententiam Ioannis commentans: « Uni- « cus natura Dei Filius propter nos misericordia factus est « filius hominis, ut nos natura filii homines, filii Dei per « illius gratiam fieremus ».[5] Et: « Factus est Deus homo, ut « homo fieret Deus ».[6] Quod ita exprimit S. Leo Magnus: « Venit Filius Dei et ita se nobis inseruit, nos quoque inse- « ruit sibi, ut Dei ad humana descensio fieret hominis ad « divina provectio ».[7] Unde alibi exclamat: « Agnosce, o

[1] Ep. n. 16.

[2] *De Spiritu S.*, n. 61.

[3] L. IV in Is., Or. 2.

[4] *De pecc. mer. et remiss.*, l. I, c. IX, praes. n. 19. Haec Augustini sententia, quam Innocentius III vocat probabilem, quam tempore concilii Viennensis Clemens V statuit probabiliorem (in *Clem. de Summa Trinit. et cath. fide*), iam post Conc. Trid. (Sess. V, can. 5) uti certa habenda est.

[5] *Civ. Dei*, l. XXI, c. 15.

[6] *Serm. 31 de Temp.* Cf. *Tract. in Ioann.* in hunc locum.

[7] *De nat. Dom.*, serm. 1.

« Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus natu-
« rae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione
« redire ».[1]

Huc faciunt fortes illae locutiones qua Patres divinitatem S. Spiritus demonstrant ex deificatione adoptiva quam in nobis operatur. « Si creatura esset Spiritus Sanctus, nulla « nobis in ipso esset Dei participatio ». Ita S. Athanasius.[2] Et S. Basilius: « Hoc qui dicit, nec deitatem habitare in « nobis videtur credere, etsi de Deo Ioannes dicit: " Ex hoc « scimus, quod in nobis est, ex Spiritu quem nobis dedit ,, »;[3] et adductis duobus aliis textibus Pauli,[4] pergit: « Itaque « si Deus in nobis per Spiritum habitare dicitur, nonne « manifesta impietas est, ipsum Spiritum dicere divinitatis « exsortem? etc. ».[5] Eodem prorsus modo arguit S. Gregorius Magnus: « Si non est Deus Spiritus Sanctus, prius Deus « efficiatur, atque ita demum me aequalem suum Deum « faciat ».[6] Et: « Si non est adorandus Spiritus, quomodo « me Deum per baptismum efficiet? ».[7] - Haud dissimili modo arguunt S. Cyrillus Alex.,[8] S. Ambrosius,[9] S. Hilarius.[10]

Imo tam fortes sunt huiusmodi locutiones, ut potius inhabitationem personalem stricte dictam Spiritus Sancti suaderent,[11] quam meram externam nescio qualem animae purificationem, quae nihil reale in ipsa anima ponat.

Realitatem huius doni in anima diserte proclamant haec verba S. Hieronymi: « Iste Spiritus repromissionis Sanctus, « qui est arrhabo haereditatis nostrae, idcirco nunc sanctis « datur, ut redimantur et copulentur Deo in laudem gloriae

[1] Ibid., serm. 7.
[2] *Epist. ad Serap.*, n. 23.
[3] I Ioann., III, 24.
[4] I Cor., III, 16; Ephes., II, 21 sq.
[5] *De Spir. S.*, l. III, n. 5. Cf. *Adv. Eunom.*
[6] *Orat. 37.*
[7] *Orat. 37 et 38.*
[8] *Comm. in Ioann.*, l. X et passim.
[9] *De Spir. S.*, l. I, c. 10.
[10] *De Trin.*, l. VIII, n. 21.
[11] Cf. quae de hoc argumento alibi data opera diximus. Quum tota Ssma Trinitas iustificatam animam inhabitet, sequitur iustificantem gratiam habere relationem cum tribus persones Ssmae Trinitatis. De quo argumento egregie tractat Illmus Gay (op. cit., p. 40 sqq.).

« ipsius ».[1] Quam actionem Spiritus ita pulchre describit Prudentius:

Ergo animalis homo quondam, nunc Spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum mortalia vivificantem.[2]

Pulchra comparatione S. Cyrillus Alexandrinus utitur ad hanc divinam informationem illustrandam: « In cordibus « eorum qui ipsum suscipiunt ... naturam suam per communi- « cationem et similitudinem sui ad archetypi pulchritudi- « nem depingit ».[3]

Hanc autem sanctificationem, imo deificationem, nobis a Christo, quippe a Christi humiliatione et passione derivari, egregie declarat his verbis S. Gregorius Magnus: « Unde « Deus humana patitur, inde homo ad divina sublimatur ».[4] Nec aliter S. Ioannes Chrysostomus: « Non frustra nec « vane ad tantam humilitatem ipse (Filius Dei) descendit, « sed ut nos ex humili sublimaret. Natus est enim secun- « dum carnem, ut tu nascereris Spiritu; natus est ex mu- « liere, ut tu desineres filius esse mulieris ».[5] Unde Christus post suum de mortis triumphum discipulis Spiritum Sanctum superne misit.

Id totum eloquenter exprimit solemnis illa antiphona, Orientalis pariter Ecclesiae concentum referens, ac proin catholicae traditionis canorum praeconium: « O admirabile « commercium! Creator generis humani, animatum corpus « sumens, de Virgine nasci dignatus est, et procedens homo « sine semine, largitus est nobis suam deitatem ».[6] Qua ratione, quaeso, nisi ope doni eminenti modo aliquid reale nostrae naturae per ipsum deificatae conferentis?

3) Diserte *auctoritate Ecclesiae* eadem doctrina evincitur contra Protestantes. Aliter quidem et aliter isti locuti sunt, nec, ut optime monet Bellarminus,[7] Lutherus ipse sibi constans fuit. Sed in hoc negative conveniunt quod peccata

[1] *In Epist. ad Ephes.*, c. 1, 14.
[2] *Apoth - P. L.*, t. LIX, col. 934.
[3] *Thesaurus.*
[4] *Homil. 2 in Evang.*
[5] *Homil. 2 in c. 2 S. Matth.*
[6] In festo Circumc. Dom.
[7] *De iustif.*, l. II, c. 1.

non vere remittuntur per internam renovationem,[1] at non amplius imputantur in reatum, quia Christi fides credenti imputatur.[2] Bene laudatus Cardinalis: « Status totius con- « troversiae revocari potest ad hanc simplicem quaestionem: « sitne formalis causa iustificationis iustitia in nobis inhae- « rens, annon ».

Hic autem sedulo adverte, aliam esse sententiam simpliciter affirmativam, aliam insuper exclusivam. Etenim si dico, nos iustificari per imputatam nobis iustitiam Christi, aut per fidem in Christum, possum aliquid praedicare veri, imo verissimi, quatenus tota oeconomia Redemptionis fundatur in substitutione victimae innocentissimae, quae peccata totius generis portavit, et cuius iustitia nobis applicata nos iustos facit. Quod Apostolus ita exponit: « Deus erat in « Christo mundum reconcilians sibi, non reputans ipsis de- « licta ipsorum ... Eum qui non noverat peccatum, pro nobis « peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso ».[3]

[1] Cf. propos. 2 Lutheri damnatam a Leone X: « In puero post baptismum negare « remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare ». – Nec aliter Calvinus: « Iam perspicuum est quam falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli, per « baptismum solvi nos et eximi ab originali peccato » (*Lib. Instit.*, cap. 15, § 10).

[2] « Vocabulum iustificationis in hoc negotio significat iustum pronuntiare, a pec- « catis et aeternis peccatorum suppliciis absolvere propter iustitiam Christi, quae a « Deo fidei imputatur » (*Solida declar. 3 de fidei iustif.*, § 11. – Cfr. Calvinus, *Antid.*, sess. v.

Observa, hunc conceptum in se non esse absurdum. Saepe enim inter homines huiusmodi condonationes fiunt, quia homo non valet ipsam interne animam immutare. At Scripturae demonstrant, hanc doctrinam esse longe insufficientem, imo ei aperte contradicunt. « Nam si quis probat partem affirmantem, eodem tempore repel- « let omnes contrarios errores. Nam si formalis causa iustificationis est iustitia « inhaerens, non igitur iustitia Dei inhabitans,* vel iustitia Christi imputata,** vel « sola remissio peccati *** sine renovatione hominis interioris. Et si iustitia inhae- « rens est formalis causa absolutae iustificationis, non igitur requiritur imputatio « iustitiae Christi, quae iustificationem, alioquin inchoatam et imperfectam, absolvat. « Neque sola fides **** est nostra iustitia, cum fides (ipsis etiam Lutheranis testibus) « non possit absolute iustificare, et ideo (ut loquitur *Confessio Augustana*, art. 4) « *non tam sit*, quam reputetur a Deo iustitia. Itaque omnes illi errores, aut non « ponunt iustitiam inhaerentem, sed intrinsecam, aut si ponunt inhaerentem, nolunt « eam absolute iustificare ». Et recte concludit: « Proinde omnes refutantur, si pro- « betur iustitia inhaerens quae absolute simpliciterque iustificet ». *****

[3] II Cor., v, 19, 21. - Cf. Bossuetium, *Declar. Fidei orthod.*, c. 1, art. 1.

* Quae fuit sententia Osiandri.

** Ita cum Illyrico non pauci.

*** Ita potius Calvinus.

**** Id propugnabat passim Lutherus.

***** Card. Bellarminus, op. cit., loc. cit., c. 2.

Sed quaestio superest, quo modo in nobis hoc iustificationis opus producatur. Reponunt novatores: mera imputatione, aut fide, aut per aliud huiusmodi. Catholici vero: intrinseca transformatione per gratiam animae inhaerentem eamque vere iustam efficientem. Quam doctrinam sancivit Concilium Tridentinum. Tum in Sessione V, tum in Sessione VI gratiam iustificantem passim talibus verbis describit, ex quibus certo appareat uti donum habitualiter animam efficiens. Principaliora testimonia adduxisse sufficiat. En quomodo in capite 7, Sessionis VI, Concilium causam formalem iustificationis definit: « Unica formalis « causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua « nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, *renovamur* « *spiritu mentis nostrae,* et non modo reputamur, sed vere « iusti nominamur et *sumus,* iustitiam *in nobis recipientes*... « Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita « passionis D. N. Iesu Christi communicantur, id tamen in « hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae pas- « sionis merito per Spiritum Sanctum *charitas Dei diffundi-* « *tur in cordibus eorum* qui iustificantur, atque *ipsis inhae-* « *rel,* unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum « haec omnia simul *infusa* accipit homo per Iesum Chri- « stum, *cui inseritur,* fidem, spem et charitatem ». Et canon 11 ita sonat: « Si quis dixerit, homines iustificari vel « sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum « remissione, exclusa gratia et charitate, quae *in cordibus* « *eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhae-* « *reat;* aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum « favorem Dei, a. s. ». Quo ex canone habes duplex argumentum: *a*) directum, ex verbis linea subductis; *b*) indirectum, ex exclusionis processu. Etenim posito gratiam non esse aliquid habitualiter ipsam intrinsece animam afficiens, quid superest nisi aliquis favor Dei? Atqui id sufficere Concilium damnavit. Ergo. Accedit canon 24: « Si quis dixerit, « iustitiam acceptam non *conservari,* atque etiam *augeri* « coram Deo per bona opera; ... a. s. ».

Corroboratur haec doctrina per condemnationem prop. 42 Baii: « Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit « formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« iustitia; non autem in gratia aliqua *animae infusa,* qua « adoptatur homo in filium Dei et *secundum interiorem « hominem renovatur ac divinae naturae consors* efficitur, « ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene « vivere et Dei mandatis obedire possit ». – Minus gravem esse errorem Baii errore Calvini et Lutheri, manifestum est. Dum Protestantes iustificationem concipiunt extrinsecam, Baius eam intrinsecam ponit; sed non formaliter per gratiae supernaturalis donum productam. Qui error fluebat ex idea falsa quam Baius habebat de ordine supernaturali, uti iam alibi et in praesenti nostro tractatu exposuimus.

B) Iam vero hoc donum, quod habitualiter animae inhaerere probavimus, per modum *qualitatis* eidem inhaerere, demonstratur ex omnibus locis quibus intuitu gratiae qualitas supernaturalis iustificato tribuitur, v. gr. esse iustum, sanctum, Dei filium adoptivum. Illustratur quoque per Scripturae locutiones in quibus gratia vocatur lux, unctio, bonus odor. Insuper est consequens auctoritatum superius allatarum, adducta philosophica argumentatione, quam in analysi quaesiti per processum decrescentem exposuimus. Ad rem Cyrillus Alexandrinus: « Spiritus nos similes Christo reddit, « per sanctificationis videlicet *qualitatem,* imago enim et « facies velut quaedam est Salvatoris nostri Christi, Spi« ritus divinam in nobis figuram per seipsum quodammodo « exprimens ».[1]

Inde Concilium Viennense[2] vocat donum habituale « gra« tiam *informantem* ... » et Catechismus Concilii Tridentini ita gratiam definit: « Est autem gratia, quemadmodum « Tridentina Synodus ab omnibus credendum poena anathe« matis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum « fit remissio, sed divina *qualitas* in animo inhaerens, ac « velut splendor quidem et lux, quae animarum nostrarum « maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splen« didiores reddit. Atque id ex sacris Litteris abunde colli« gitur, cum gratiam infundi dicant, eamque Spiritus Sancti « pignus soleant appellare ».[3]

[1] *Hom. pasch.*, 10. – *P. G.*, LXXVII, 618. διὰ τῆς ἐν ἁγιασμῷ ποιότητος.
[2] Loc. cit.
[3] *De baptismo*, p. II, c. 2, n. 50.

Ex his omnibus auctoritatibus recte concludit Suarez: « Censeo veritatem hanc esse definitam de fide a Concilio « Tridentino, saltem in hoc sensu, quod gratia qua sumus « permanenter iusti, est res aliqua creata, distincta ab acti- « bus, et cessantibus illis in homine permanens ».[1]

Hanc gratiae qualitatem ita pulchre describit Bossuetius: Est « cette qualité spirituelle que Jésus répand dans nos « âmes; laquelle pénètre le plus intime de notre substance; « qui s'imprime dans le plus secret de nos âmes, et qui se « répand dans toutes les puissances et les facultés de l'âme; « qui la possède intérieurement, la rend pure et agréable « aux yeux de ce divin Sauveur, la fait être son sanctuaire, « son temple, son tabernacle, enfin son lieu de délices ».[2]

Bene haec sequenti argumento illustrat Billuart: « Effe- « ctus et finis gratiae, quatenus est participatio divinae natu- « rae, sunt reales et physici; ergo et ipsa participatio; causa « enim cuius effectus et finis sunt reales et physici, est realis « et physica. Probatur antecedens: Effectus gratiae sancti- « ficantis, ut est participatio divinae naturae, sunt virtutes « supernaturales, quae ad illam sequuntur ut proprietates; « finis est visio beatifica; atqui hae virtutes et ista visio « sunt reales et physicae; ergo ».[3]

In Corpore. Distincta gratia transeunter movente, a gratia permanenter inhaerente, S. Thomas ex analogia inter ordinem supernaturalem et naturalem concludit, a fortiori hanc alteram gratiam animae infundi ad modum formarum seu qualitatum supernaturalium.

In *Summa contra Gentiles* considerationi hic expositae, aliam S. Thomas addit, petitam a continuitate motus hominis in finem, quae continuitas exigit auxilium continuum.[4]

[1] Loc. cit., c. 6, n. 6. Pariter Card. Satolli scribit: « De fide est, quod gratia « non sit moralis participatio, sed physica et realis » (*De grat.*, q. II, art. 3, concl. 2).

[2] *Œuvres*, ed. Lachat, VII, p. 81.

[3] *De grat.*, diss. IV, art. 3. Quod argumentum directe probat doctrinam art. 1.

[4] En verba S. Doctoris: « Quod in aliquem finem dirigitur, oportet quod habeat « continuum ordinem in ipsum; nam movens continue mutat quousque mobile per « motum finem sortiatur. Quum igitur auxilio divinae gratiae homo dirigatur in « ultimum finem, ... oportet quod continue homo isto auxilio potiatur, quousque ad « finem perveniat. Hoc autem non esset, si praedictum auxilium participaret homo « secundum aliquem motum aut passionem, et non secundum aliquam formam ma- « nentem et quasi quiescentem in ipso; motus enim et passio talis non esset in

Optime S. Bonaventura: « Si gratiae est reformare et « vivificare, sic de aliis, cum omnis talis actus sit ab aliquo « tamquam a principio formali, non enim est informatio, nec « reformatio, nec vivificatio, et sic de aliis, sine forma, necesse « est aliquod donum poni in anima quod sit animae ipsius « informativum; sed Deus nullo modo potest esse forma « perficiens, quamvis se possit habere in ratione formae « exemplaris. Ergo praeter donum increatum, quod Deus « est, ad hoc quod anima gratificetur, necesse est ponere « donum creatum ». [1]

Observa discrimen inter modum arguendi S. Thomae et S. Bonaventurae. S. Thomas demonstrat necessitatem qualitatis permanentis in ordine ad actus supernaturales in finem tendentes; S. Bonaventura eamdem necessitatem evincit ex hoc ipso quod iustificatio in anima quoad esse producit.

Obiicies 1ª. Nonne satis est si dicas, gratiam esse quemdam *modum* intrinsece quidem inhaerentem, sed re ab anima indistinctum?

Resp. 1) Hic modus non sufficit ad salvandas auctoritates supra allatas. 2) Praeterea, in naturalibus quidem frequens, fundamento caret, ubi agitur de donis ad supernaturalem ordinem pertinentibus.

Obiicies 2ª. Quid, e contra, si Deus creet ens, cuius substantia sit supernaturalis? Nonne in tali ente gratia esset ipsa huius entis substantia?

Resp. 1) Vidimus alibi, [2] tale ens repugnare, quum supernaturale quoad substantiam excedat exigentiam omnis crea-

« homine nisi quando actu converteretur in finem, quod non continue ab homine « agitur, uti praecipue patet in dormientibus. Est ergo gratia gratum faciens aliqua « forma ac perfectio in homine manens, etiam quando non operatur ». * Ad quae verba optime scribit laudatus P. Thom. Pègues O. P.: « La grâce n'est donc point « seulement un secours d'ordre transitoire et par mode d'être fluide, si l'on peut « ainsi dire, comme tout mouvement communiqué par un moteur à un mobile, à la « manière dont le pinceau mû par l'artiste reçoit de lui de pouvoir exprimer sur « la toile des sentiments et des pensées qui ne sauraient avoir en lui un être stable « et permanent; elle est aussi un secours d'ordre qualificatif, par mode d'être qui « affecte le sujet et demeure en lui comme sa propriété ou son principe propre « d'action ».

[1] *II Sent.*, dist. 26, q. 2. Quae verba et directe probant doctrinam art. 1.

[2] In tractatu praecedenti, p. 24 sq. Cf. Card. Satolli, hoc loco, concl. 3, p. 89.

* L. III, c. CLI.

** Op. cit., p. 595 sq.

turae etiam possibilis. 2) Quum gratia sit participatio divinae naturae, substantia respondens gratiae est ipse substantialiter Deus. 3) Concessa existentia talis entis substantialiter supernaturalis, sicuti haec ipsa substantia non nisi improprie vocaretur supernaturalis, quia ex hypothesi responderet naturae huius entis, ita tali enti substantialiter supernaturali gratia stricto sensu non amplius esset gratia.

Quaeres. I. - Nonne nimis parum dicitur, *accidentalem* vocando unionem maxime intimam quae per gratiam producitur inter animam et Deum?

Resp. Accidentalis proclamatur haec unio, quatenus producitur per modum habitus ipsi animae immediate inhaerentis, non per modum substantialis praesentis divinitatis, qualem veneremur in Christo.

Habet tamen aliquid, quo alias uniones accidentales superat. Istae enim passim afficiunt animae potentias, non autem ipsam animae essentiam. E contra gratia sanctificans immediate informat ipsam essentiam animae. Quare ad hanc unionem specialissimi generis exprimendam, nova aliqua terminologia esset inducenda.

Quo magis autem aliquis cum Petavio strictiori sensu, prorsus personali, intelligit habitationem Spiritus Sancti in anima iustificata, eo fundatius unionem quae ope iustitiae inter Deum et animam oritur, substantialis unionis nomine decorandam existimet.

Hoc sensu, et cum moderamine huic opinioni alibi applicato, intelligenda et sumenda sunt quae de hoc subtili argumento scribit Card. Mercier:[1] « Soit que l'on regarde la grâce « sanctifiante à son origine, soit qu'on la regarde dans son « terme, elle est nécessairement liée à la substance de l'âme « et à l'efficience immédiate de la Substance divine, d'une part, « à la présence de la Substance divine, comme objet immé- « diat de Foi, d'Espérance, d'Amour, d'autre part.

« Ce rattachement immédiat, nécéssaire, par le nœud de « la grâce à Celui qui est notre Principe et notre Fin, mérite « une appellation autre que celle d'union accidentelle. Il

[1] Legatur integra collatio *Sixième entretien* unde haec verba desumuntur.

« n'existe point d'unions spirituelles de ce genre dans la « nature, parce que la nature n'agit que sur les puissances, « pouvoirs dérivés d'action, et le sujet récepteur de l'action « d'autrui n'agit lui-même que par ses puissances. L'union « de l'âme sanctifiée à Dieu se fait sans l'intermédiaire natu- « rel d'aucun accident créé, directement de substance a « substance: l'union surnaturelle de ces deux termes réclame « une désignation à part: nous avons entendu Saint Gré- « goire de Naziance l'appeler οὐσιώδης *substantialis*, union « substantielle.

« Depuis que l'érudit et savant théologien Petau a re- « noué plus étroitement les liens de la théologie spécula- « tive avec la tradition patristique, cette appellation est « devenue courante: dans le sens que nous nous sommes « appliqué à préciser, nous y souscrivons sans hésiter ».[1]

Quaeres II. – Quomodo concipienda est ista qualitas animae inhaerens? Estne aliqua qualitas viva an mortua? – Haec quaestio, quae et de gratia actuali moveri potest, uti ex proxime dicendis apparebit, nobis videtur procedere a falso conceptu quo gratia consideratur uti nimis distincta a subiecto cui inhaeret, et quem ad ordinem supernaturalem elevat. Quum vitaliter animam elevet, nequit modo sibi proprio ab hac vitalitate esse aliena. Non est utique qualitas vivens per se, sed neque dici potest mortua, quum imo vitae superiori dandae ac stimulandae conferat. Bene Cardinalis Satolli quaestioni utrum gratia sit aliqua qualitas viva an mortua, ita reponit. « Inconveniens quidem suis ter- « minis apparet, nec digna ut serio agitetur. – At dicunt se « quaerere, utrum gratia sit qualitas ex se activa perinde, « ut non habeat opus aliquo alio principio aut vi ad agen- « dum. – Neque ista loquendi ratione deformitas removebi- « tur: nam quid lectoribus videretur, si peterem, animam « esse formam vivam aut mortuam? Gratia Dei vita ae- « terna ».[2]

[1] Op. cit., p. 389 sq. Quid de hac Petavii sententia censeamus, alibi data opera exposuimus.

[2] Op. cit., p. 90.

Quaeres III. - Quid iam de gratia actuali? - *Resp.* Quum sit quid transiens, reducitur ad *motionem*, quae et ipsa aliquid supernaturalis habet tum in modo quo immediate a Deo est, tum in se, quatenus, si disponit ad gratiam nondum habitam, ex hoc ipso dicit aliquam cum illa proportionem saltem initialem; si autem datur gratiam habitualem iam habentibus, excitat facultates ut virtute supernaturali secundum habitualem hanc gratiam agant.[1]

Si autem penitius investigetur, in quonam realiter haec motio consistat, in varias partes abeunt theologi, quorum sententiae ad duas classes redigi possunt.

1) Qui docent, gratiam actualem non solum involvere illustrationes intellectus, inspirationes voluntatis et motus facultatum sensitivarum, - sive mediate sive immediate producta, - in quibus maxime gratia operans consistit; sed, et quidem immediate, cooperationem ad ipsum actum deliberatum voluntatis: illi actualem gratiam, seu motionem, - quo nomine olim vocari solebat, - censent esse virtutem fluentem, a Deo animae impressam, et quae est eliciens principium nostrarum operationum. Ita Augustiniani et Thomistae passim, licet aliter et aliter hanc sententiam explicent. Quam sententiam tum in se profundiorem, tum modo loquendi Scripturarum magis consonam existimamus.[2]

2) Qui autem actum deliberatum nostrae voluntatis magis distinguunt ab excitatione gratiae indeliberatos actus nostrarum facultatum provocante, ac proin actum deliberatum a voluntate ita poni contendunt, ut haec motio initialis non nisi concursum simultaneum ei praestet: illi passim reiiciunt existentiam harum qualitatum fluentium, iuxta axioma philosophicum: « Actus moventis in moto est motus mobilis ».[3]

Sed theologi qui ad hanc scholam pertinent, non eamdem omnes tenent sententiam. Missa sententia illorum qui censent, non dari gratias immediate agentes in voluntatem,

[1] Cf. doctrinam expositam in Q. praec., art. 5 et 9.

[2] Accedit sententia Suarezii,* qui admittit specialem assistentiam Spiritus Sancti. Sed haec sententia non videtur nisi evasio. Quaeritur quomodo haec assistentia, quae a nemine negatur, agat in nobis.

[3] Cf. Palmieri, *De gratia actuali*, thes. 18.

* *De gratia*, l. III, c. 4, n. 19.

sed mediate tantum per intellectum, – [1] sunt qui virtutes fluentes non excludant nisi pro gratia adiuvante, admittunt autem pro gratia excitante. Alii distinguunt secundum quod gratia movet hominem iam habitibus infusis ornatum, aut eisdem destitutum. Pro istis admittunt virtutem fluentem gratiae excitantis, non autem pro illis. [2]

Placet afferre conclusionem cl. Van Noort: « Non nega-
« mus, elevationem operum nostrorum ad ordinem super-
« naturalem fieri posse per immediatam assistentiam Spiri-
« tus Sancti supplentis vicem comprincipii interni, sed cen-
« semus hanc elevationem suavius explicari per virtutem
« fluentem divinitus datam, quae facultatem naturalem tran-
« seunter afficiat et una cum ipsa constituat principium eli-
« ciens adaequatum actus salutaris ». [3]

Quaeres IV. – Quomodo se habent ad invicem iustificatio intrinseca inhaerens animae et inhabitatio Spiritus Sancti? – *Resp.* Iustificatio potest veluti in triplici instanti considerari: 1) quatenus per divinam virtutem supernaturali actione producitur; 2) quatenus animam intrinsece informat et elevat; 3) quatenus haec informatio ob suam indolem, id est ob consortium divinae naturae, sive adoptionem filialem quam involvit, complacentiae divinae praesentiam appellat.

Haec proin complacentia est inseparabilis a iustificationis dono, imo hoc donum eo tendit ut anima eo ornata fruatur supernaturali praesentia divina. Est tamen distincta ab ipsa iustificatione. Imo in quantum est inhabitatio ipsius divinitatis, pertinet ad gratiam increatam, dum iustificatio per se est gratia creata. [4] Habemus itaque mirabilem circulationem: gratia increata diligit animam quam sanctificat, et haec sanctificatio, ac veluti templi consecratio, appellat praesentiam gratiae increatae, a qua procedit, iuxta sententiam Christi: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit,

[1] Konings, *De gratia actuali*, n. 26.
[2] Schiffini, *De gratia*, n. 155.
[3] Op. cit., n. 15, p. 53.
[4] Cf. textum Card. Billot afferendum ubi de distinctione inter gratiam creatam et increatam.

« et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et man-
« sionem apud eum faciemus ».[1]

Quaeres V. – Nonne haec participatio divinitatis est etiam moralis? – Si moralis participatio opponatur reali, nescimus quo haec oppositio spectaret, nisi ad excludendam participationem substantialem, qualem habuit Christus, quippe « in « quo plenitudo divinitatis habitabat corporaliter ».[2] Sed hoc excludit ipsa vox « participatio ». Quum autem sit participatio eminenter sanctificans, moresque ad exemplar divinitatis instruens, summe moralis potest insuper appellari.[3]

Corollarium I. – Apparet rursus ex doctrina fundamentali in hoc articulo illustrata, quantopere Ecclesiae doctrina sit obvia et vera, quod iam alibi non semel monuimus: « Christus est veritas »,[4] et Verbum est « plenum gratiae « et veritatis ».[5] De veritate gratiae cordibus nostris per Spiritum Sanctum infusae valet illud quod de veritate eucharisticae praesentiae dicit S. Cyrillus Hieros.: « Cum ipse de « pane pronuntiaverit ac dixerit: " Hoc est corpus meum ", « quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse asse- « veranter dixerit: " Hic est sanguis meus ", quis usquam « dubitaverit, ut dicat non esse eius sanguinem? ».[6] Christus ipse dixit se Spiritum Sanctum in suos immissurum; dixit, se cum Patre mansionem facturum apud diligentes se.[7] Paulus pluries affirmat veritatem gratiae per Spiritum Sanctum in cordibus diffusae et nobis datae.[8] Quis, nisi in

[1] Ioann., xiv, 23.

[2] Coloss., ii, 9.

[3] Cf. Card. Mazzella, *De grat.*, disp. v, art. 7.

[4] i Ioann., v, 6.

[5] Ioann., i, 14.

[6] *Catech. mystag.*, 4. – Recolo, me paucis abhinc annis, uti examinatorem cleri in Urbe, patrio sermone interrogasse clericum ex anglicanismo ad catholicam Ecclesiam nuper conversum. A quo quum petiissem, utrum ex ipsis verbis a Christo in coena prolatis possit realis eius praesentia sub speciebus eucharisticis demonstrari, ille cum noto Britannico *humour* respondit: * « Puto rem esse satis facilem. Etenim « Christus non dixit: Hoc non est corpus meum ». Et sane, omnes protestanticae evasiones huc reducuntur, ut corpus Christi non sit, quod Christus suum esse corpus declaravit.

[7] Ioann., xiv, 23.

[8] i Cor., ii, 16; ii Tim., i, 14; Tit., iii, 5-8.

Dei verba rebellis, affirmet, haec non nisi secundum aliquam extrinsecam iustificationem et sanctificationem esse intelligenda?

Nec obiicias 1) inhabitationem Spiritus Sancti, quae tamen explicite affirmatur in Scripturis, a plerisque catholicis intendi iuxta sermonem appropriatum. Nego prorsus paritatem. Scriptura enim nullibi utitur formula exclusiva. Et theologi catholici affirmant realitatem inhabitationis Spiritus Sancti, licet simul teneant, hanc non esse tertiae personae SS. Trinitatis ita propriam, ut non conveniat cum Patre et Filio. Nam ipse Christus dixit, se cum Patre et venturum et mansionem facturum apud illos qui ipsum diligunt.[1] Quare nedum illa sententia in strictum sensum Scripturarum offendat, potius cum variis Scripturarum sententiis melius concordat.[2]

Nec obiicias 2) talem participationem divinitatis, qualis per hanc doctrinam describitur, esse impossibilem, ac proin locutiones Scripturae quae de ea agunt, esse sensu figurativo, non reali intelligendas. – Non ad nos spectat directe demonstrare, hunc habitum supernaturalem, qui nos reddit divinae naturae participes, esse possibilem. Nos arguimus a facto revelationis ad possibilitatem rei revelatae. Quod nobis sufficit. Ad adversarios spectaret huius elevationis demonstrare impossibilitatem. Quod nunquam praestare poterunt. – Sed ex ipso naturae ordine suspicari possumus possibilitatem ut omnipotens Deus supra suas vires extollat hanc naturam a se creatam, eamque propius ad seipsum trahat. Etenim anima nostra, intellectu et voluntate dotata, iam in se fert adumbratam imaginem non solum Dei, sed

[1] Loc. cit., Ioann., xiv, 23.

[2] Excedit proin quando de inhabitatione Spiritus Sancti, uti personaliter eidem propria, exclamat Laforêt: « Comment ne pas prendre à la lettre ce langage si clair « et si précis, et ne pas dire avec l'Apôtre que l'Esprit de Dieu, qui est l'Esprit « sanctificateur, nous est réellement donné dans la justification et habite véritable « ment en nous? ». * In hunc loquendi modum « tam clarum, tam praecisum » offendit utique doctrina Protestantium; non autem illa theologorum, qui eum iuxta appropriationis legem, in mysterio SS. Trinitatis summi momenti, ob solidissimas rationes, imo ob ipsum loquendi modum Scripturarum interpretantur.

* Op. cit., 209 sq. – Cf. quae de inhabitatione Spiritus Sancti scripsimus t. iv, p. 837 sqq.

et Sanctissimae Trinitatis;[1] cur esset impossibile Deo, hanc imaginem, altiori perfusam splendore, reddere ipsius divinae vitae consortem? Gratia est in hac vita germen huius altioris dignitatis, quae per lumen gloriae totam suam virtutem expandet.[2]

Corollarium II. – Ex doctrina catholica de vera, intrinseca, reali sanctificatione, quam gratia gratum faciens in anima operatur, fluit quid censendum sit de distinctione, quae a Protestantibus urgeri solet, inter iustificationem et sanctificationem. Fateor tamen utramque posse accipi in sensu proprio (catholico) et improprio (protestantico). Sane iustificatio impropria non implicat sanctificationem propriam. Sed iustificatio impropria involvit pariter quamdam impropriam sanctificationem. Unde Calvinus, qui tamen expressius distinctionem inter utramque urget, monet: « Neque « tamen negandum est quia perpetuo coniunctae sint ac « cohaereant duae istae res, sanctificatio et iustificatio ».[3] Sed in sensu catholico iustificatio propria involvit sanctificationem propriam. Etenim hae duae non differunt nisi ratione. Et sane Angeli omnes sunt sanctificati, utpote ad ordinem supernaturalem elevati; non autem iustificati, quatenus nunquam peccaverunt. Pariter in Adamo iustitia originalis erat quidem sanctificatio, non autem iustificatio. Imo in Christo unio hypostatica, fons omnis gratiae, qua anima Salvatoris fuit perfusa, vocatur sanctificatio,[4] sicut ipse Christus appellatur Sanctus per excellentiam.[5] At in homine lapso et reparato iustificatio habet relationem ad terminum

[1] Caute tamen adhibenda est haec comparatio, ne ipsa humana natura iam videatur esse participatio quaedam naturae divinae. In quo forsan excedit Illmus Lambrecht, quando ait: « Etenim angelus et anima rationalis, sicut per suas potentias « participant intellectum et voluntatem Dei, ita per suam substantiam participant « naturam Dei, quae intellectualis est ». *

[2] De possibilitate et convenientia nostrae exaltationis ad ordinem supernaturalem fuse disputat in laudato opere Liagre. - Cf. quae de hac quaestione superius iam diximus in nostra dissertatione praevia.

[3] *Instit.*, l. III, c. 2, § 6.

[4] Christus vocat seipsum, « quem Pater sanctificavit et misit in mundum » (IOANN., X, 36).

[5] LUC., I, 35.

* Op. cit., p. 144.

a quo, ad statum peccati; sanctificatio autem exprimit terminum *ad quem*. Unde dici potest, iustificationem magis referri ad Deum Iudicem, sanctificationem autem ad Deum ex bonitate bona sua communicantem. Sed non ideo actus iustificandi est mere externus.

Ex his patet, quanta aequivocatione laboret, quod Hodge hac de re scribit: « Romanists confound or unite justification « and sanctification. They define justification as " the remis- « sion of sin and infusion of new habits of grace ". By remis- « sion of sin they mean not simply pardon, but the removal « of every thing of the nature of sin from the soul. Justi- « fication, with them, is purely subjective, consisting in the « destruction of sin and the infusion of holiness. In oppo- « sition to this doctrine, the Reformers maintained that by « justification the Scriptures mean something different from « sanctification ».[1]

Nihilominus, quod tamen non esse urgendum ipse loquendi modus Scripturae demonstrat,[2] inter iustificationem et sanctificationem potest distinctio realis inveniri, si iustificatio restringitur ad operationem initialem iustificandi, scilicet transmutandi peccatorem in iustum; sanctificatio vero intelligitur intrinseca sanctitas, quae vitae decursu per opera bona sub gratia facta, iugiter augmentum accipit, iuxta illud Apostoli: « Nunc vero liberati a peccato, servi « autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctifica- « tionem (scilicet iugiter uberiorem), finem vero vitam aeter- « nam ».[3]

Ex his rursus patet, quid veri, quid falsi sit in sequentibus verbis eiusdem auctoris: « Justification differs from sanc- « tification. – 1) In that the former is a transient act, the « latter a progressive work. – 2) Justification is a forensic « act, God acting as Judge, declaring justice satisfied so far « as the believing sinner is concerned, whereas sanctification « is an effect due to the divine efficiency. – 3) Justification « changes, or declares to be changed, the relation of the « sinner to the justice of God; sanctification involves a

[1] *Systematic Theology*, vol. III, p. 118.
[2] Act., XXII, 11.
[3] Rom., VI, 22.

« change of character. The former, therefore, is objective, « the latter subjective. – 5) The former is founded on what « Christ has done for us; the latter is the effect of what he « does in us. – 6) Justification is complete and the same in « all, while sanctification is progressive, and is more com- « plete in some than in others ». [1]

Corollarium III. – Quum participata nostra divinitas non sit substantialis, uti in Christo, sed per permanentem qualitatem supernaturalem animae inhaerentem, est participatio analogica, in qua proin habentur convenientia et differentias. Quas bene ita illustrat cl. De Baets: « Convenientiam: « sicut natura divina in Deo, ita natura divina participata « in nobis, est ratio intelligendi verum et amandi bonum « modo qui solius Dei est proprius: in Deo et in nobis « intellectualitas quasi specificatur ab objecto suo, quod est « ipse Deus.

« Differentias: in Deo est substantialis, infinita, compre- « hensiva, identificata cum actu secundo, sive simpliciter « actualis. - In nobis attingere nata est utique ipsum Verum; « sed est accidentalis, limitata in se et in modo quo obie- « ctum attingit, et potentialis ». [2]

Adde, in Deo esse immutabilem, in nobis esse per stadium huius viae semper capacem augmenti; in Deo esse inamissibilem, in nobis, heu! per peccatum amitti posse, usquedum per visionem obiectum suum attingat.

Corollarium IV. – E genuino conceptu gratiae sanctificantis, quae est veluti participata diffusio divinitatis per modum permanentis qualitatis, apparet quam periculosus et falsus sit conceptus Rosminianus, iuxta quem, « sicut se « habet ens universale ad animam, ita Deus seu ipsum esse, « in quantum est Verbum Dei, coniungitur animae, consti- « tuens eam in esse supernaturali ». [3] In qua comparatione utrimque habetur error gravissimus. Etenim nec anima distinguitur satis ab ente universali, nec ens supernaturale

[1] Op. cit., p. 213. Cf. cl. DE BAETS, op. cit., p. 26 sq.
[2] Op. cit., p. 45.
[3] Cf. Card. SATOLLI, op. cit., p. 89.

a Verbo Dei. Insuper erronee concipitur habitudo Verbi Dei ad ens universale; nec apparet in quonam consisteret ens supernaturale, cuius essentia iam esset participatio entis universalis.

Corollarium V. – Quum gratia, seu effusio, seu inhabitatio Sancti Spiritus,[1] sit aliquid summe reale, sequitur, animam gratia ornatam possidere in se praesentiam Dei altioris generis prae illa qua Deus est ubique praesens; quae praesentia praestat homini excellentem dignitatem et sacrum characterem, quo dicatur in templum Dei. Hanc bene depingit Illmus Gay: « Dieu, qui gouverne toutes choses autour « de nous, est personnellement présent en nous, au fond de « nos âmes, au centre de notre être, au plus intime de notre « essence. Il n'y est pas seulement par sa présence d'immen- « sité, comme il l'est dans l'arbuste qui nous ombrage ou « dans le sol qui nous soutient, il y est par une présence « de choix et de libre complaisance; il y est dans des rela- « tions avec nous que son seul titre de créateur n'implique « aucunement; dans une union si étroite et si profonde, « qu'elle dépasse toutes celles dont la nature peut nous « donner l'expérience ou l'idée.

« Il y est comme il n'est nulle part, excepté en lui-même, « et pour une fin si supérieure que, comme lui seul était « assez bon pour nous y destiner, lui seul aussi a la puis- « sance de nous y faire atteindre.

« Il est là, principe actif, source toujours coulante, foyer « toujours ardent de notre vie surnaturelle, éclairant, sanc- « tifiant, déifiant par sa grâce l'essence même de notre âme, « et étendant à toutes nos puissances, par ces émanations « de la grâce que nous appelons les vertus, cette lumière « et cette sainteté toutes divines ».[2]

Quo magis proin Christianus in pietatis sensu proficit, eo

[1] Pulchre hanc inhabitationem describit Beatus Ruysbroeck uti septiformem fontem intima animae irrigantem: « Hiermee komt de Heilige Geest in 's menschen ziel, « als een levende bronwel uitvlietend in zeven rivieren: dat zijn de Goddelijke « gaven die de ziel sieren, en ordenen, en volmaken tot het eeuwige leven ». *

[2] Apud EL. MÉRIC, op. cit., p. 268 sq.

* *Het boek van het rijk der Gelieven,* cap. 6.

libentius se recolligit in seipso, [1] ut in cordis sui intimo Dei in se praesentiam degustet. [2]

Vi huius praesentiae specialissimae omnes quos adornat gratia, participant de ista supernaturali pulchritudine, quam sublimissimo gradu contemplans in Christo, Pater dixit: « Hic « est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ». [3] Hinc, quemadmodum Christus seipsum vocavit templum Dei, [4] omnes gratia ornati sunt et huius dignitatis participes.

Audiatur S. Paulus hanc veritatem solemniter proclamans, indeque gravitatem peccati, imprimis impuritatis, instanter deducens: « Nescitis quia templum Dei estis, et « Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei « violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei san- « ctum est, quod estis vos ». [5] Imo tantopere sumus Dei templum, ut inde simus Dei magis quam nostri. « An nescitis « quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, « qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ». [6] Quare indignabundus: « Tollens ergo membra Christi, faciam « membra meretricis! Absit! ». [7] Hinc in ritu dedicationis

[1] De hac intima cum Deo quotidiana recollectione pulcherrime tractat auctor epistolae *ad Celantiam Matronam* (inter op. Hieron. epist. CXLVIII).

[2] Bene V. Cremers, S. I.: « Hoe meer de heiligen toenemen in liefde tot hunnen « Schepper, hoe sterker ze zich de geheime verwantschap met God bewust worden, « hoe meer zij zich ook gaan vereenzamen in de hoogste zielekasteelen van hun « reinste ik, om er onverstoord de wonnige zaligheid te genieten van God's ver- « bindt, waardoor hij zich aan God als 't ware geankerd voelt ». *

[3] MATTH., XVII, 5.

[4] IOANN., II, 19.

[5] I COR., III, 16, 17.

[6] Ibid., VI, 19.

[7] Ibid., VI, 15. - Cf. II COR., VI, 16, ubi ad hanc dignitatem templi Dei applicat verba Dei in LEVIT., XXVI, 12. Dupliciter haec carnis vitia sunt indigna Christianis, quum ipsis iam ethnicis non ignota esset impuritatis malitia. Testes sint hi versus, quibus Martialis in pollutionem invehit:

Hoc nihil putas? Scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Ipsam, crede mihi, naturam dicere rerum;
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est. **

* *Bode van het Heilig Hert,* Juli 1919, p. 180.

** *Epigr.,* 42, l. 9 *in Ponticum.* – Quantopere ab ista nobiliore aestimatione deficiant neo-pagani continentiae osores, lege apud cl. ARTH. VERMEERSCH, S. I., in recentissimo praeclaro opere cui titulus: *De castitate et de vitiis contrariis,* p. 160 sqq., Romae, Università Gregoriana. – Brugis, Charles Beyaert, 1919.

Ecclesiae multa symbolice hanc spiritualem animarum nostrarum consecrationem significant. Pulchre S. Augustinus: « Quotiescumque, fratres carissimi, altaris vel templi festi- « vitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et « sancte ac iuste vivimus, quidquid in templis manufactis « agitur, totum in nobis spirituali aedificatione completur. « Non enim mentitus est ille qui dixit: " Templum enim « Dei sanctum est, quod estis vos „; et iterum: " Nescitis, « quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in « vobis est? „. Et ideo, fratres carissimi, quia nullis prae- « cedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri tem- « plum Dei, quantum possumus cum ipsius adiutorio labo- « remus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est, in nobis « ipsis inveniat quod oculos suae maiestatis offendat ».[1]

Porro quemadmodum singulae animae sunt sponsae Christi, et tamen una est eius sponsa Ecclesia, ita singuli Christiani sunt templum Dei, et simul lapides caelesti templo inserendi. Quod poëtice canit Ecclesia in hymno Dedicationis:

Urbs Ierusalem beata dicta pacis visio,
Quae construitur in caelis, vivis ex lapidibus.

Et sicut per passiones praeparamur ad conregnandum cum Christo, iuxta dictum Apostoli: « Si tamen compatimur, « ut et conglorificemur »,[2] ita

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides
Suis cooptantur locis per manus artificis,
Disponuntur permansuri sacris aedificiis.

Iam vero dedicatio templi cordis nostri per Spiritum Sanctum nobis superne infusum, sicuti deleto peccato purgat et spiritualibus bonis adornat, dicente Augustino: « Habi- « taculum cordis nostri evacuetur vitiis et virtutibus replea- « tur: claudatur diabolo et aperiatur Christo »; ita ut finem attingat, exigit ut a peccato abstineatur, et virtutum exercitio incumbatur: « Sicut enim, pergit S. Doctor, malis ope- « ribus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitae nobis ianua « clauditur; ita absque dubio bonis operibus aperitur ».[3]

[1] *Serm. 252 de temp.*
[2] Rom., viii, 17.
[3] Ibid.

Corollarium VI. – Ex dictis apparet, verae inhabitationis Dei in anima iusti non obesse peccabilitatem, quae remanet conditio vitae praesentis, nec concupiscentiae fomitem aliaque vulnera, quae nec ipsa delentur, etiam post iustificationem a Christo acceptam.

Quare illogice et arbitrarie ex remanentibus hisce infirmitatibus, quae saepius in levia peccata inducunt, Protestantes argumentum sumunt contra catholicam doctrinam de vera iustificatione et sanctificatione intrinseca, et in favorem extrinsecae iustificationis Lutheranae et Calvinistae. Exemplo sint verba Hodge: « Here we find one of the characte-« ristic and far-reaching differences between the Romish « and the protestant systems of doctrine and religion. Ac-« cording to the Roman system, nothing of nature of sin « remains in the soul after regeneration ... But according « to the Scriptures, the universal experience of Christians, « and the undeniable evidence of history, regeneration does « not remove all sin ».[1]

Facile est de doctrina falsis depicta coloribus triumphare. Sed quod docent catholici, est omnino consonum divinis Scripturis, ex quibus aeque collatis utrumque constat: ex una parte, per baptismum peccatum originale prorsus deleri, et Christianum esse intrinsece iustificatum et sanctificatum; ex altera vero parte, Christianum, etsi vero peccato vi baptismatis omnino liberum, non ideo reddi impeccabilem, nec imo in eo deleri vulnera lapsae naturae in peccatum proclivis.

Corollarium VII. – Demum ex doctrina in hoc articulo exposita de habituali qualitate supernaturali animam intrinsece afficiente, sequitur, gratiam sanctificantem non esse ipsam gratiam actualem in animam iugiter influentem. Non defuerunt quidem theologi qui ita putarint. Sed haec sententia conciliari nequit cum modo loquendi Scripturarum et Patrum, nec cum doctrina Concilii Tridentini. Insuper duo confundit valde distincta: qualitatem stabilem, cum actione divina iuxta hanc qualitatem ad novos actus mo-

[1] Ibid., p. 220.

vente, aut ad eamdem qualitatem disponente; quemadmodum ex ipso ordine naturali constat. Demum apparet falsa ex ipso modo quo parvuli in baptismo gratiam sanctificantem recipiunt, quin gratiae actualis, conscientiae defectu, capaces existant.[1]

ARTICULUS III.

UTRUM GRATIA SIT IDEM QUOD VIRTUS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Doctrina in hoc articulo a S. Thoma vindicata iam continetur implicite in argumento praecedentis *Corporis*. Ibi enim Angelicus ex formis naturas ad agendum habitualiter disponentibus concludit ad infusionem talium formarum supernaturalium. Iam vero si penitius inspicimus formas naturae, puta rationalis, invenimus formas quasdam esse veluti fundamentum cui aliae superstruuntur, et quidem triplici gradatione: datur enim primo, radicaliter, ipsa forma substantialis animae; secundo, huic formae *esse* naturae danti, superstruuntur facultates intellectus et voluntatis, *operari* naturae respicientes; tertio, ex exercitio harum facultatum oriuntur virtutes, has facultates formaliter perficientes, per habitus eisdem virtutibus correspondentes, puta, scientiae in intellectu, temperantiae in voluntate.

2) Si ergo comparatio S. Thomae perfecta est, oportet ut pariter in formis supernaturalibus isti tres gradus reperiantur. Quod ita esse ipse Angelicus probat. – Etenim *a*) formae substantiali naturali respondet *gratia* gratum faciens stricto sensu dicta; quae quidem forma esse nequit substantialis, propter rationes in articulo praecedente expositas; dat autem formaliter esse supernaturale. *b*) Duplici autem facultati, intellectui scilicet et voluntati, respondent *fides* et *charitas;* dum *spes* se habet aliquo modo sicuti *memoria* eorum quae per fidem promittuntur. Demum *c*) virtutibus naturalibus respondent aliae virtutes supernaturales.[2]

Bene id ex participatione naturae divinae ita evolvit Billuart: « Per naturam divinam intelligimus id quod in

[1] Cf. Illmum LAMBRECHT, op. cit., p. 136 sqq.
[2] Cf. et *De Veritate,* Q. XXVII, a. 2.

« Deo concipitur ut radix divinarum perfectionum et prin-
« cipium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum
« intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, omnia
« extra se propter se faciendi. Atqui gratia sanctificans hanc
« fontalem et primitivam Dei perfectionem physice imitatur
« et exprimit.... Homo iustus vi gratiae sanctificantis radi-
« caliter disponitur et propendit in Deum intuitive viden-
« dum, in ipsum amore beato diligendum et ad omnia pro-
« pter ipsum facienda: insuper est radix virtutum infusarum
« quae sunt divinorum attributorum imagines et perfe-
« ctiones ». [1]

3) Discrimen autem in hoc apparet, quod, quum virtutes naturales sint per se acquisitae, - etsi dantur quaedam quae in complexione physica iam quasi contineri videntur, - virtutes supernaturales sunt omnes infusae. Possunt nihilominus per exercitium augeri, et secundum hoc similitudinem ordinis supernaturalis cum ordine naturali perficiunt.

4) Non omnes autem theologi hanc S. Thomae doctrinam sequuntur. [2] Etenim sunt quidam, qui cum S. Bonaventura putent, priorem positionem nonnisi per quamdam appropriationem intelligendam esse, quatenus, uti ait: « Gratia
« est una sicut est substantia, et est semper in actu conti-
« nuo: et primo dicitur respicere substantiam: non quia sit
« in illa absque potentia, vel per prius quam in potentia,
« sed quia habet esse in potentiis ut continuantur ad unam
« essentiam; virtus vero dicitur esse in potentiis, quia in
« eis est et referuntur ad operationes diversas ». [3]

5) Hanc autem sententiam S. Bonaventura putat magis consonam rationi, tum quia gratia est conversio ad Deum, conversio autem formaliter per potentias fit; tum quia gratum reddit, per oppositionem ad culpam, quae in potentiis per liberum arbitrium erat. De quibus rationibus in sequenti articulo et data opera in tractatu de virtutibus infusis agetur.

[1] *De gratia,* diss. IV, art. 3. - Cf. Card. SATOLLI, *De gratia,* Q. II, art. 3, concl. 2.

[2] Cum S. Thoma stant, praeter Thomistas, inter alios, Suarez, Valentia, Ripalda.

[3] II Dist. XXVI, a. 1, q. 5. Cum S. Bonaventura stant praecipue Scotus, Vega, Bellarminus, Vasquez, Estius, Antoine; quibus potest adiungi Magister, quippe qui inter virtutem et gratiam non admittebat nisi distinctionem rationis. Sententia S. Thoma magis magisque communis evadit, uti recte monet A. Pègues O. P. (op. cit., p. 605).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit gratiam radicalem cum prima manifestatione eiusdem.

2ª Obi. Non distinguit inter bonum radicale naturae et bonum eidem superstructum.

3ª Obi. Valet quidem in quantum demonstrat, gratiam non reduci posse ad aliam qualitatem quam ad habitum. Non autem valet in quantum ex habitu concludit ad identitatem cum virtute. Non enim oportet ut omnia cui nomen habitus convenit, inter se conveniant; praesertim quum in praecedentibus ostensum sit, dari habitus radicales, quibus alii superstruuntur.

Sed contra est. Ex auctoritate, sive Scripturae, sive Conciliorum, praesens controversia solvi nequit. – Nullus enim in Scripturis occurrit locus, in quo gratia expresse a charitate distinguatur; dum e contra in multis videantur gratia et charitas indiscriminatim adhiberi. – Nec tamen hoc contra intentum militat, quum certum stet, haec duo numquam ab invicem separari. Pariter ex modo quo Paulus discipulis in initio epistolarum gratiam optat, nihil sequitur pro intento; gratia enim ibi complexum significat supernaturalium donorum, quae in charitate terminantur.

Maximum Scripturarum argumentum nobis indirecte contineri videtur in appellationibus, quae opus iustificationis exprimunt per essentialem modum essendi. Tales sunt: potestas filios Dei fieri, regeneratio, consortes fieri divinae naturae, etc.; quae per se indicant aliquid quasi organice completum in ordine supernaturali; unde hae locutiones argumentationem S. Thomae corroborant. Quare Angelicus in *Corpore* testimonium princeps huius generis adducit.

Princeps autem auctoritatis ecclesiasticae argumentum derivatur ex verbis Concil. Viennensis: « Opinionem secun-
« dam, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in
« baptismo *informantem gratiam et virtutes,* tamquam pro-
« babiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum
« theologiae magis consentaneam, et concordem sacro appro-
« bante Concilio duximus eligendam ». [1] Sensus enim obvius huius declarationis distinguit ex una parte gratiam iustifi-

[1] Loc. cit.

cantem, ex alia parte virtutes, id est fidem, spem, charitatem, aliasque a charitate inseparabiles. [1]

Auctoritas autem Augustini in *Sed contra est* adducta vix concludit. Etenim Augustinus contra Semipelagianos decertans contendit, ipsum initium esse iam a gratia. Unde gratia quam ibi intendit, non est perfectum opus iustificationis, sed via ad illam.

In Corpore. Praemissa sententia eorum qui inter gratiam et virtutem non admittunt nisi differentiam rationis, S. Thomas ex ipsa definitione virtutis probat, illam indigere altero cui superstruatur; quod alterum in ordine supernaturali est ipsa gratia. Demum Angelicus doctrinam suam illustrat per comparationem inter lumen gratiae et lumen naturale rationis.

Huic argumentationi iuvat aliam considerationem adiungere, quam S. Thomas affert in *Sed contra est,* II Sent., dist. XXVI, Q. 1, a. 4: « Illud in quo conveniunt diversa in « specie, et illud in quo eadem distinguuntur, non possunt « esse idem per essentiam. Sed omnes virtutes conveniunt « in hoc quod est opera meritoria reddere; distinguuntur « autem in hoc quod determinatos actus educunt. Ergo illud « quod est principium merendi est aliud per essentiam ab « eo quod est principium distinctionis actuum. Sed princi- « pium merendi est gratia; principium autem distinctionis « in actu est determinata species virtutis: quia qualis est « virtus, tales habitus reddit ». Haec ratio valet quidem ad demonstrandum virtutes distingui a charitate, minus autem eam valere putamus ad demonstrandum, gratiam et charitatem realiter distingui inter se.

Obiicies. – Nonne in sententia S. Bonaventurae facilius explicatur, quomodo fides et spes possint remanere sine

[1] Cf. cum hoc loco sententiam Conc. Trid., Sess. VI, cap. 7: « In ipsa iustifica- « tione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum « Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem ». Quae sententia minus explicita est. Nihilominus videtur insinuare, quod iustificatio est formaliter insertio in Christum, per radicalem gratiam, quacum infunduntur simul virtutes, fides, spes, charitas Sed res est incerta. - Firmius longe hoc argumentum deducitur ex can. 11: « Si quis « dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola remis- « sione peccatorum exclusa *gratia et charitate,* etc. »; ex quibus verbis apparet, Patres Concilii, adnumerando charitatem gratiae et utramque coniungendo per copulam *et,* gratiam uti distinctum quid a charitate prae oculis habuisse.

gratia? – Concedendum esset, si fides et spes remanentes amissa gratia, essent adhuc virtutes simpliciter; sed non amplius sunt nisi virtutes secundum quid, utpote carentes simul fundamento et complemento. Unde evanescit obiectio. Ita Caietanus hoc loco arguit contra Scotum.

Quaeres. – Quid de donis Sancti Spiritus? – Quum haec dona respiciant alia directe virtutes theologicas, alia virtutes morales, de eis loquendum est sicut de virtutibus sive theologicis, sive moralibus relate ad ipsam gratiam.[1]

ARTICULUS IV.

UTRUM GRATIA SIT IN ESSENTIA ANIMAE SICUT IN SUBIECTO, AN IN ALIQUA POTENTIARUM.[2]

I. De ipsa Quaestione. – 1) Tantopere huius articuli solutio ex praecedente fluit, ut S. Bonaventura, postquam reiecit distinctionem realem inter gratiam et virtutes, concludat: « Concedendae sunt igitur rationes ostendentes quod gratia « inest animae secundum potentias ». Quod ideo credidit S. Bonaventura dici posse, quod animae essentiam putavit esse sufficiens substratum accidentis supernaturalis (cf. *Resp.* ad 2m).

2) Pariter S. Thomas, iuxta principia sua, nequit dubitare quin gratia sit in animae essentia sicut in subiecto. Gratia enim est directe illud quod facit « divinae esse naturae »; ergo est in ipsa essentia, seu in natura quam elevat. Virtutes autem directe sunt illud quo homo, quoad naturam elevatus, in potentiis quoque in hac elevata natura assimilatur Deo. Quae potentiae sunt subiectum virtutum, sicut gratiae subiectum est animae essentia.

3) Ex hoc iam sequitur, gratiam principium esse omnis meriti, non quidem directe, sed per virtutes quae in ea radicantur; quemadmodum anima est omnis activitatis principium, mediantibus potentiis quae ab ipsa fluunt.

[1] Cf. quae de his donis scripsimus in opere nostro cui titulus: *La Confirmation*, Sect. III, chap. 3.

[2] De haec quaestione fusius agemus, Deo dante, in proximo nostro tractatu de virtutibus infusis.

4) Hic autem a duplici imaginatione falsa sedulo caveatur. *a*) Quando distinguitur inter animam et potentias, non ponitur anima qualiscumque, sed talis anima, iuxta naturae ipsius leges proportionata ad tales potentias quas appellat. Unde anima potest vere potentiarum causa earumque rectrix appellari. *b*) Pariter, quemadmodum proportionis lex exigit ut potentiae commensurentur essentiae, ita unitatis et perfectionis lex exigit, potentias simul cum essentia creari.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter solvi potest. *a*) Sumendo in Augustini asserto gratiam in sensu habitualis doni iustificantis, tunc solvitur per dicta n. 4 *a*) in ultima sententia. *b*) Sumendo gratiam in sensu motionis transeuntis, tunc manifestius patet, gratiam esse sessorem moventem, liberum autem arbitrium equum motum.

2ª Obi. Non considerat dicta n. 3.

3ª Obi. Procedit iuxta falsam imaginationem 4) *a*).

4ª Obi. Procedit iuxta falsam imaginationem 4) *b*).

Sed contra est. Vide quomodo argumentum hic adductum corroboret id quod diximus in *Sed contra est* articuli praecedentis.[1]

In Corpore. Nihil post iam dicta heic superest explicandum. Observa pulchram conclusionem argumenti, in quo per gratiam et virtutes mira in homine supernaturalis similitudo cum Deo exsurgit.

Unde S. Bonaventura, etsi alteri opinioni addictus, solutionem superius citatam ita exorditur: « Communis opinio « tenet, gratiam primo respicere animae substantiam, et vir« tutes primo respicere potentias,[2] ut sic per gratiam in « virtutibus fiat reformatio imaginis creatae, quae consistit « in trinitate potentiarum et unitate naturae».

Corollarium. – Ex doctrina in hac Quaestione exposita conclude, gratiam, distinctam a virtutibus uti habitum, esse habitum *ad esse* supernaturale; virtutes autem esse habitus *ad operari* supernaturaliter. Conclude insuper, gratiam actualem esse qualitatem fluentem, quae, quum in recto *ad ope-*

[1] Cf. Conc. Trid., sess. VI, c. 3.
[2] De hoc altero vix disputatur.

rari datur, in recto movet potentias, sive iam ad ordinem supernaturalem elevatas, si hominem moveat gratia habituali iam ornatum, sive, mediante gratiae virtutumque habitibus, ad ordinem supernaturalem elevandas.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.[1]

1) Gratia, utpote effectus dilectionis efficacis Dei, ponit aliquid realis in anima, quam Deus diligit speciali illa aeternaque dilectione, qua creaturam in finem supernaturalem dirigit (art. 1). – 2) Id autem non est mere aliquid transiens ad modum alicuius motus, sed, iuxta analogiam cum providentia qua Deus dirigit creaturas in finem naturalem, est a fortiori aliquid habitualiter, ad modum qualitatis seu supernaturalis formae, animae inhaerens (art. 2). – 3) Quae qualitas, distincta a virtutibus, respondet, licet in forma accidentali, ipsi animae essentiae, quae radix est potentiarum, ita ut iuxta eamdem analogiam, gratia respondeat essentiae, in eaque sit tamquam in subiecto; virtutes autem, utpote corrispondentes potentiis, in eisdem quoque tamquam in subiecto sint (art. 3 et 4).

[1] Quatuor horum articulorum doctrinam ita comprehendit Card. Billot: « Gratia sanctificans non est merus extrinsecus favor Dei, * nec tegumentum aliquod « peccatorum per imputatam iustitiam Christi, ** imo nec rectitudo formaliter consistens in obedientia mandatorum, *** sed supernaturale donum animae infusum et « inhaerens, quo naturae divinae vere consortes efficimur, et ordinamur ad vitae « aeternae beatitudinem in visione Dei. Rectissime etiam a plerisque asseritur ab « infusis virtutum habitibus realiter distincta, non in animae potentiis, sed in eius « essentia subiectata ». ****

* Qui est sensus Calvini.

** Qui est sensus Lutheri.

*** Qui est sensus Baii.

**** Op. cit., l. VII, p. 130 sqq.

SECTIO III.

C) De gratiae divisione.

(Quaestio CXI).

De ratione et ordine Quaestionis. - Demonstrata necessitate gratiae tum ad gratiam, tum sub gratia (Q. CIX), illustrata insuper natura ipsius, tum uti est habitus, tum uti est motio (Q. CX), iam oportet varias gratiae divisiones inspicere penitius, ut inde et perfectior eiusdem intelligentia acquiratur, et harmonia oeconomiae supernaturalis affulgeat.

Iam vero ratio viaque postulant ut in huiusmodi divisione prius a generibus ad species descendatur, dein distincta genera vel species inter se conferantur. Ita S. Thomas, in art. 1, generica praestituta divisione in gratiam gratum facientem ac gratiam gratis datam, in art. 2. et 3 ad species primi generis, et quidem sub duplici adspectu operationis et successionis, descendit; in art. 4 de altero genere gratiae gratis datae idem praestat. Demum utriusque generis gratias inter se confert.

En igitur ordinem huius Quaestionis schemate contractum.

Gratia dividitur in:
- I) gratum facientem:
  - 1) respectu operationis: in gratiam operantem et cooperantem (art. 2);
  - 2) respectu successionis: in praevenientem et subsequentem (art. 3);
- et II) gratis datam: iuxta enumerationem Apostoli (art. 4);
- Conferuntur ratione dignitatis ad invicem (art. 5).

Quum autem praeter distinctiones heic a S. Thoma illustratas aliae insuper invaluerint, de eis post absolutam Quaestionem in appendice tractabimus.

Agemus itaque 1) de gratia gratum faciente et gratis data; 2) de gratia operante et cooperante; 3) de gratia proveniente et subsequente; 4) de gratia externa et interna; 5) de gratia excitante et iuvante; 6) de gratia habituali et actuali; 7) de gratia increata et creata; 8) de gratia Dei et Christi; 9) de

gratia elevante et medicinali; 10) de gratia supernaturali quoad substantiam et quoad modum; 11) de gratia sufficiente et efficaci; 12) de auxilio *sine quo non* et de auxilio *quo;* 13) de gratia simpliciter et de gratia pro gratia.

1) De gratia gratum faciente et de gratia gratis data.

ARTICULUS I.

UTRUM GRATIA CONVENIENTER DIVIDATUR PER GRATIAM GRATUM FACIENTEM ET GRATIAM GRATIS DATAM.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Lex est humani sermonis: ubicumque varia entia in generica ratione ita conveniunt, ut aliquod ex illis specifica eaque valde notabili notione ab aliis distinguatur, eodem appellatione specifica designato, genericum nomen iam aliorum fiat quasi, saltem negative, specificum. Exemplum habes in vocabulo « animal », quod ad irrationalia animalia significanda passim usurpatur, dum animal rationale, etsi et ipsum animal, nonnisi hominis appellatione designatur.[1]

2) Idem in gratiae generibus occurrit. Communissimum enim gratiae est esse *gratis datam:* secus, teste Apostolo, iam non esset gratia. Sed inter omnia dona quae in ordine ad finem supernaturalem homini gratis conferuntur, sunt insuper dona quae tam proxime cum fine coniungant, ut qui illa acceperit, iam sit Deo gratus et ad finem plene ordinatus. Inde quod rationalitas est in distinctione animalium, gratum facere est in distinctione gratiarum. Omnes quippe gratiae quae per se non faciunt gratum, conservant communissimum nomen gratiarum *gratis datarum* prae gratiis *gratum facientibus.*[2]

3) Si autem in donis, seu gratiis *gratis datis,* inveniri poterit ratio specialis gratuitatis, prae gratum facientibus, aderit insuper in his gratiis, praeter legem sermonis hucusque

[1] Miror, considerationes a nobis de hac trita hominis definitione in vol. nostro VII expositas, tam acerbe a quibusdam viris criticis fuisse exceptas, quasi hanc definitionem recusassemus. Quod longe fuit a mente nostra. Sed, ob singularem indolem et dignitatem hominis, eam, una cum aliis scriptoribus optimi nominis, non undequaque felicem iudicavimus, et pace horum criticorum, adhuc iudicamus.

[2] Vides, in hoc modo derivandi terminologiam iam implicite contineri excellentiam gratiae gratum facientis, sicuti rationalitas praestat animalitati.

expositam, specialis ratio positiva ut ita vocentur. Iam vero talis ratio non absolute abest. Etenim haec dona *gratis data* non solum praescindunt a titulo naturae, sed a quovis titulo hominis iam iustificati, iam sancti; quare non sine iure specialius gratis data nuncupantur.

4) Sed quaeres, quid de gratia actuali? Estne gratiae gratis datae, an gratum facienti adnumeranda? – *Resp.* 1) De gratia actuali collata habitualem gratiam habenti, prope inutilis videtur quaestio; pertinet enim aliquo modo ad vitalitatem ipsius gratiae gratum facientis; cui proin tamquam quasi complementum adscribenda est, eodemque cum ea generico nomine vocanda. Et re vera facit Deo non solum gratum, sed et gratiorem, per augmentum gratiae habitualis, ad quod per meritum operis tendit. – 2) De gratia autem actuali in ordine ad iustificationem collata, distinguendum videtur. Si tam intimus sit eiusdem cum iustificatione nexus, ut quasi pars unius motus appareat, poterit non improprie eodem nomine designari. Facit enim gratum, quatenus participat de termino motus. Si autem sit mera praeparatio remota, imo si inefficax, termino carens, nonnisi improprie eam *gratum facientem* vocabis. Poterit tamen hoc nomine insigniri, quatenus semper pertinet ad ordinem interioris gratiae, quae, nisi creatura obsit, ad gratiam gratum facientem conducit. – Unde mirum non est, Scholasticos olim gratiam actualem ad iustificationem praeparantem, gratiis gratis datis adnumerasse, uti mox illustrabimus de S. Bonaventura.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Est ludus verborum. *Faciens* non intelligitur relate ad Deum efficienter, sed relate ad ipsum hominem formaliter, qui tunc homo cum ipsa gratia quam habet et propter eam est Deo gratus.

2ª Obi. Confundit gratiam lato sensu cum gratia stricto sensu. Discriminis rationem S. Thomas in responso egregie exhibet. Quam doctrinam hoc schemate comprehensam tene:

			Naturae	Gratiae
Debitum duplex:	1) proveniens *ex meritis* (antecedenter)		deest	deest;
	2) proveniens *ex ipsa natura* (consequenter):	non quidem in Deo, sed in natura	adest	deest.

3ª Obi. Negligit dicta n. 1 et 2. Corroboratur responsum; imo retorquetur argumentum per dicta n. 2.

Sed contra est. Fatendum est, hanc argumentationem per se vix concludere. Etenim ut gratias in gratum facientes et gratis datas recte dividas, non sufficit quod in Scripturis duplex proprietas gratiae tribuatur; sed insuper requiritur ut ei tribuatur tamquam duplex proprietas distinguens. Tunc solum argumentatio valeret, si in hoc altero adducto loco τὸ gratis dari praedicaretur de tali gratiarum genere, cui gratum facere non posset applicari. Iam vero non ita se res habet.[1]

Quare efficacius argumentum conficitur ex ℣. 31, c. XII, epist. I. S. Pauli *ad Corinthios,* in quo S. Paulus, expositis donis, quae vocantur gratis data, ad alia transit, quae vocantur gratum facientia. Qua differentia posita tamquam fundamento, quum legitimum sit speciali appellatione designare genera in ipsa Scriptura distincta, legitima quoque erit appellatio, quae aliunde, licet non eodem fine, in Scripturis occurrit, dummodo eam his generibus convenire constet.

In Corpore. Adverte 1) quomodo haec argumentatio S. Thomae iam contineat germen solutionis articuli ultimi huius Quaestionis. Etenim inter varia in finem ordinata, illud praestat quod propius fini coniungit.

Adverte 2) quomodo definitio doni gratis dati corroboret hoc quod superius n. 3 exposuimus.

Appendix de mente S. Bonaventurae.

Uti recte monent editores operum Doctoris Seraphici, non semper iste eodem modo loquitur de gratia quam nos actualem vocamus. Interdum enim eam adnumerat gratiae gratum facienti, interdum gratiis gratis datis. Res pendet a definitione gratiae gratis datae. Si per eam solummodo intelligitur gratia data homini ut ad iustificationem *alterius* cooperetur, gratia quam vocamus nunc actualem, non est gratis data. Quo in sensu ipse Bonaventura non uno loco gratias gratis

[1] Aliud esset, si S. Thomas de donis gratis datis attulisset illud MATTH. x, 8: « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite: *gratis accepistis, gratis date* ». Ibi enim agitur directe de gratiis gratis datis; dum e contra in cap. II. ep. *ad Romanos* S. Paulus potius agit de gratia gratum faciente.

datas intelligit.[1] - Alibi tamen expresse gratiam actualem, dispositivam scilicet ad iustificationem, inter gratias gratis datas collocat. Audiatur ipse S. Doctor: « Vix aut numquam « liberum arbitrium destituitur omni gratia gratis data; quo- « niam nomine gratiae gratis datae non solummodo intelli- « gimus illas quas enumerat Apostolus primae ad Corinthios « duodecimo: " Alii datur per Spiritum ", etc., sed etiam « vocatur hic gratia gratis data, quidquid illud sit, quod « superadditum est naturalibus, adiuvans aliquo modo et « praeparans voluntatem ad habitum vel usum gratiae, sive « illud gratis datum sit habitus, sicut timor servilis, vel « pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive etiam « aliquis actus, sicut aliqua vocatio vel locutio, qua Deus « excitat animam hominis, ut se requirat ». Sistamus parum- per. Ex explicatione quam ipse dat de latiori sua definitione gratiae gratis datae, apparet, hanc gratiam in mente S. Docto- ris esse aliam veluti habitualem, preparatoriam ad iustifica- tionem, quidquid illud « sit », « superadditum naturalibus » - unde omnem suspicionem Semipelagianismi vitat; aliam vero actualem, quam hodie vix ullus gratiis gratis datis adnumerat.

Pergit nunc illustrando quo spectet ista gratia, et qua ratione a gratia gratum faciente sit distinguenda. « Sine hac « gratia gratis data vix aut numquam aliquis habens usum « liberi arbitrii reperitur; et sine hac concedendum est, libe- « rum arbitrium nunquam sufficienter disponi nec posse se « disponere ad gratiam gratum facientem, sicut dicit Bernar- « dus expresse in libro de Libero Arbitrio, capitulo decimo « quinto: " Conatus liberi arbitrii ad bonum cassi sunt, si a « gratia non adiuvantur, et nulli, si non excitantur ". Et post « dicit quod " gratia excitat liberum arbitrium, dum seminat « cogitatum ". Si igitur prima dispositio quae fit ad gratiam « gratum facientem, est cogitatio, et haec non est absque « dono gratiae gratis datae; impossibile est, quod liberum « arbitrium, omni gratia destitutum, ad gratiam gratum « facientem disponat seipsum ».

Modus autem quo S. Doctor mentem suam magis explicat, non parum confert ad intelligendam rationem ob quam exci-

[1] V. gr. II. Dis. XXVII, a. 1, q. 1 ad 2; et IV. Dist. VII, a. 1, q. 3 ad 2; Dist. XXIV, p. 1, a. 2, q. 1, a. 5.

tantem primum gratiae motum inter gratias gratis datas collocet. « Ratio autem huius est haec : non quia gratia gratum « faciens necessario praeexigat dispositionem gratiae gratis « datae,[1] sed quia ipsa est quid divinum et res existens super « liberum arbitrium, quod nunquam assurgit nec ad cogno- « scendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo a sur- « sum excitetur et per aliquod donum gratiae gratis datae, « quod tenet quasi medium inter donum gratiae gratum fa- « cientis et naturalem libertatem voluntatis ». Et concludit discursum. « Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, « si excitetur per aliquod donum gratiae gratis datae, potest « ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si « autem omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam « posset ad illam disponi ». Gratia igitur illa excitans et ad gratiam gratum facientem disponens est in mente S. Bonaventurae medium aliquid, veluti pons, viribus naturae superstructus ad hominem ad superiora gratiae gratum facientis elevandum. Est proin illa initialis gratia gratis data, – contra Semipelagianos, – quia vires naturae superat, – nondum tamen est gratum faciens, quia nondum reddit acccipientem divino munere Deo gratum.

Unde alibi S. Bonaventura hanc gratiam nonnisi *specialiter* gratiam vocat, quasi distinctam a quovis alio iuvamine quo Deus naturae vires adiuvat; dum *proprie* gratia est gratia gratum faciens. « De gratia Dei, in quantum est adiutorium « ad merendum, haec tenenda sunt, quod gratia dicitur gene- « raliter, specialiter et proprie. Generaliter dicitur adiutorium « divinum creaturae liberaliter et gratis impensum, et indif- « ferenter ad quemcumque actum; at sine huiusmodi adiu- « torio gratiae non possumus aliquid efficere nec durare in « esse. Specialiter vero dicitur gratia adiutorium divinitus « datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus Sancti « donum, quo perveniat ad meriti statum; et talis dicitur « gratia gratis data, et sine hac nullus sufficienter facit quod « in se est, ut se praeparet ad salutem. Proprie vero gratia « dicitur adiutorium datum divinitus ad merendum, quod

[1] Falsitas huius asserti apparet non solum in iustificatione parvulorum per baptismum, sed in potentiori motione divina, qua adultus potest in instanti de paccatore converti in iustificatum.

« quidem dicitur donum gratiae gratum facientis, sine quo « nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad aeternam « pervenire salutem. Ipsa enim, tamquam radix merendi, « omnia merita antecedit; propter quod dictum est, quod « praevenit voluntatem, ut velit; subsequitur autem, ne « frustra velit ». [1]

Hanc S. Bonaventurae doctrinam censemus esse pulcherrimam. Et sane vitat hoc inconveniens quod omnis gratia actualis eodem indiscriminatim appelletur nomine gratiae, tamquam species gratiae gratum facientis. Et tamen, magnum est entitative discrimen inter prima gratiae incitamenta quae peccator declinat, et ulterius gratiae commercium quo iam iustificatus sancte agit. Quis enim dicat, non multum, etiam entitative, interfuisse inter primos stimulos gratiae contra quos Paulus calcitravit, et Spiritus influxum quo Apostolus zelo Christi aestuabat?

Caeterum non S. Bonaventura dumtaxat dilatavit campum gratiae gratis datae. Etenim in sua *Summa theologica* Alexander Halensis tum fidem informem, tum gratiam sermonis inter gratias gratis datas adnumerabat, utpote disponentes ad iustificationem, sive illius qui eam habet (uti talis fides), sive illorum ad quos destinatur (uti gratia sermonis).

Concludamus igitur tum gratiam gratis datam, tum gratiam gratum facientem, intelligi posse dupliciter. 1) Si gratiam gratum facientem intelligis sensu stricto, gratia actualis praeparatoria, nondum iustificans, nondum ad eam pertinet; si latiori, ad eam pertinet, uti ad eam saltem disponens. - 2) Si gratiam gratis datam stricto sensu intelligis gratiam collatam in iustificationem aliorum, gratia actualis disponens subiectum ad iustificationem, non pertinet ad eam; si autem latiori sensu gratiam gratis datam intelligis auxilium excedens vires naturae in ordine ad iustificationem sive eius ad quem datur, sive aliorum, tunc gratia actualis ad iustificationem disponens, iure inter gratias gratis datas adnumeratur, uti facit hoc loco S. Bonaventura. Unde vides, modum loquendi Seraphici Doctoris corroborare quod superius in fine n. 4 dicebamus.

[1] *Brevil.*, v pars, cap. 2.

2) De gratia operante et cooperante.

ARTICULUS II.

UTRUM GRATIA CONVENIENTER DIVIDATUR PER OPERANTEM ET COOPERANTEM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iam ad subdivisiones gratiae gratum facientis accedamus. Haec autem subdivisio, uti iam monuimus, aliter et aliter institui potest, iuxta respectum quem quis prae oculis habeat. Si in gratia respicis respectum ad *operationem* Dei et liberae voluntatis humanae, obtines divisionem in hoc articulo intentam; si autem respicis *successionem* ipsam gratiarum a motu primo ad terminum, obtines divisionem de qua agetur in art. sequenti. De aliis divisionibus in appendice, ordine superius indicato, agemus.

2) Iam vero ille respectus ad operationem Dei et ad operationem liberae voluntatis humanae potest considerari tum in gratia habituali, tum in motione gratiae actualis; insuper potest considerari tum a parte ipsius doni per gratiam collati, tum a parte gratuitae Dei voluntatis a qua profluit. De singulis hisce respectibus exhibeamus doctrinam ex variis Angelici scriptis collectam. Quae doctrina summi momenti est ut genuina mens Aquinatis appareat de gratiae cooperatione cum homine. Distinctio enim inter gratiam operantem et cooperantem aliter et aliter adhibetur a S. Thoma eiusque discipulis, et a non paucis theologis recentioris aetatis.

3) De prima, scilicet de gratia habituali, patet interpretatio: gratia quippe vocatur operans, quatenus est opus divinum gratam Deo reddens personam cui confertur; cooperans autem, quatenus est principium meriti, gratum reddens ipsum opus quod animat.[1]

4) Si autem consideras gratiam actualem, – semper S. Thomam sequimur, – gratia operans est motus causans « voluntatis actum »,[2] interiorem scilicet actum voluntatis, in quo « voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens »; gratia

[1] Ita procedit prima interpretatio huius distinctionis in II. Sent. Dist. XXVI, q. 1, a. 5.

[2] Cf. Ibid.

autem cooperans ibi incipit, ubi « mens nostra et movet et « movetur », et proin « operatio non solum tribuitur Deo, sed « etiam animae ». Haec autem gratia complectititur *a*) actum exteriorem seu exsecutionem voluntatis, ad quem Deus dupliciter concurrit: α) interne, voluntatem ipsam conservando, imo corroborando; β) externe, opus iuvando;[1] *b*) ipsam perseverantiam in volitione et in opere.[2]

5) Hae autem duae interpretationes seiunctim considerant gratiam habitualem et gratiam actualem. Quid iam si simul sumantur? – Respondet S. Thomas:[3] tunc dicetur gratia operans, quatenus anima a Deo gratia informatur; cooperans vero, quatenus inclinat ad actum tum internum, tum externum, et secundum quod praestat facultatem perseverandi usque in finem.

6) Discrimen inter interpretationem n. 5 et n. 4 datam, apparet praecipue in hoc quod, dum in n. 4 gratiae operanti tribuitur actus internus, et gratia cooperans duo continet: actum externum et perseverantiam; iam in interpretatione n. 5 actus internus tribuitur gratiae cooperanti, tria complectenti. Apparens contradictio solvitur, si consideras, actum internum esse quidem a gratia elicitum et inde dici gratiae operantis; sed esse simul actum liberum, et ideo non esse sine cooperatione voluntatis, dummodo utrumque concipiatur uti simul eidem actui, et quidem subordinate, concurrens.

7) Hucusque consideravimus dumtaxat distinctionem ex parte ipsius doni nobis collati. Si iam eamdem consideramus ex parte ipsius gratuitae Dei voluntatis, dicendum erit cum S. Thoma,[4] quod gratia operans est « ipsa iustificatio impii, « quae fit ipsius doni gratuiti infusione ». Cooperans autem erit gratia in quantum voluntas Dei in libero arbitrio per gratiam operatur.

8) In omnibus his interpretationibus, quas ex variis S. Thomae scriptis desumpsimus, unum est constans: scilicet in actu interno non distingui tamquam duo primam illustra-

[1] Hinc pulcherrima illa Augustini oratio: « Domine, fac ut velim: sed non « sufficit ut velim: adiuva me ut plene velim, et impleam quod velim ». (*Serm.* 163, 10).

[2] Ita S. Th. in secunda interpretatione ibidem.

[3] In secunda interpret. *de Verit.*, Q. XXVII, a. 5.

[4] *De Verit.*, Q. XXVII, a. 5, ad 1m.

tionem intellectus motionemque voluntatis, ac eidem motioni consensum. Unde theologi, qui cum Hurter[1] primum operanti gratiae, alterum cooperanti assignant, vix pro se Aquinatem adducere possunt.[2]

9) Adverte autem sedulo, non idem esse affirmare, gratiam operantem attingere et ipsum actum elicitum voluntatis, etsi liberum; et negare, liberam voluntatem huic operanti gratiae cooperari. Haec duo scilicet stant simul: et liberum arbitrium cooperari, et gratiam operari. Quomodo? Praecise quia gratia operans operatur ipsum velle nostrum, iuxta sententiam S. Pauli superius allatam. Quare putamus hanc divisionem gratiae, iuxta S. Thomae mentem, magnam iniicere lucem in modum quo Angelicus efficaciam gratiae moventis concipiebat.

Etenim, quum cooperatio minus dicat quam operatio, maluit S. Thomas concipere liberum arbitrium cooperans gratiae, quam gratiam cooperantem libero arbitrio. Nec placuit ei utramque, et gratiam et voluntatem gratia motam, concipere uti cooperantes, ne nimis ab invicem seiuncta viderentur, et veluti in eadem linea uti duplex motor haberentur. E contra, ubi agitur de complendo seu exsequendo quod voluntas stimulante gratia libere elegit, hoc potius fit operans, et gratia servando et iuvando fit cooperans.

10) At manifesto S. Doctoris modo loquendi abuteretur, qui gratiam operantem ita intelligeret agentem in nobis sine nobis, quasi facultates nostrae sub operante gratia nihil praestarent; quod neque valet de initiali illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis, quae, nisi vitaliter exciperentur, nihil efficerent prorsus: a fortiori agit liberum arbitrium, ubi transitur ad actum internum libere complendum.

11) Sententiam S. Thomae qualem exposuimus, sequitur inter alios Bellarminus. Placet afferre ipsa verba huius celebris theologi. Censet enim « gratiam operantem illam esse « quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, « qualis est conversio, sive ab infidelitate ad fidem, sive a pec- « catis caeteris ad poenitentiam; gratiam vero cooperantem

[1] Loc. cit., p. 17.
[2] Cf. Estium, in II Dist. 26, § 7.

« esse illam quae efficit consequentes actus voluntatis, quales « sunt velle orare, velle quaerere sacerdotem, vel bona « opera facere, et alii similes. Quos continuo sequuntur actus « externi, ita ut gratia operans nihil aliud sit nisi auxilium « speciale efficax respectu primi actus voluntatis; gratia vero « cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequen- « tium ».[1] Inter recentiores eamdem sententiam propugnat Card. Satolli.[2] Card. Billot, explicans quomodo interior actus voluntatis tribuatur gratiae operanti, licet voluntas non ab agendo abstineat, haec scribit: « Sensus igitur est quod in illo « effectu mens nostra est mota et non movens, quatenus libe- « rum arbitrium se habet solum ut consentiens, nondum ut « imperans; solum ut obsequens suggestioni quae a Deo est, « nondum ut se movens in terminum cuius praeconcepta « volitio sit. Sicut quando aliquis ab alio persuadetur ut « incipiat aliquid velle, consideratur tamquam ab eo motus « etsi libere consentiat; et quando iam agit in virtute suae « determinationis, tunc tantum consideratur tamquam se « movens, etsi possit esse et movens simul et motus, si adhuc « ab alio adiuvatur, sive quoad confirmationem voluntatis « sive quoad exsecutionem operis ».[3] Quae verba nitide nobis Angelici mentem exhibere videntur.

12) Non desunt tamen, praesertim recentiores theologi, qui gratiae operanti tribuant actus indeliberatos intellectus et voluntatis, actum vero internum liberi arbitrii deliberatum assignent gratiae cooperanti. Quam sententiam tunc passim applicant gratiae excitanti et adiuvanti, uti mox dicemus. Iuxta Ioannem a S. Thoma gratia operans est duplex motio Dei, qua ipse solus movet et tangit duplicem potentiam ordine quodam, intellectum scilicet et voluntatem; gratia cooperans est qualitas impressa potentiae ad eliciendum actum liberum ad quem actum et Deus influit, concursu comitante.[4] Haec sententia nullo modo improbari potest. Censemus tamen, hanc

[1] *De gratia et lib. arb.*, l. I, c. 14, a. 8.

[2] Hoc loco.

[3] *De gratia*, p. 140. - Cl. Van der Meersch censet quoque hanc esse genuinam S. Thomae mentem, licet ipse potius in aliam interpretationem gratiae operantis et cooperantis, recentioribus theologis communiorem, propensus videatur (op. cit., n. 291-293).

[4] Disp. 23.

interpretationem celeberrimae divisionis esse minus profundam altera, quae genuina nobis S. Thomae explicatio videtur, et quam Angelicus ab ipso Augustino hausit, uti ex mox afferendis textibus apparebit.

13) Quod si quaeras, utrum gratiae operans et cooperans realiter distinguantur, solutio petenda est a modo quo quis utramque accipit. In mente S. Augustini et S. Thomae gratia operans, quum iam actum internum involvat, magis distinguitur a gratia cooperante, quae proin manifestius a priore realiter differt. In altera sententia solutio erit affirmans vel negans iuxta doctrinam quam quis amplectitur de nova entitate requisita ut actus deliberationis compleatur. De quo opportuniori loco quaestio movebitur, ubi varia concordiae gratiae et liberi arbitrii systemata discutiemus.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* – Non distinguit modum agendi efficienter et formaliter.

2ª Obi. – Procedit ac si motus liberi arbitrii, qui ad iustificationem sequitur, non esset a gratia. Haec obiecto magnam habet vim pro theologo Molinista. – Utraque procedit contra terminum *operantem;* prima contra huius termini respectum ad ipsam animam; altera contra respectum huius termini ad facultatis humanae concursum.

3ª Obi. - Procedit contra terminum *cooperantem,* ac si melius diceretur de facultate relate ad gratiam, quam de gratia relate ad facultatem. Cf. dicenda infra ubi de solutione

4ª Obi. - Procedit contra utrumque simul terminum. Cf. pariter dicenda ubi de solutione.

Sed contra est. Distinctio inter gratiam operantem et cooperantem exhibetur in Scripturis, et per catholicam traditionem corroboratur.

1) In *Scripturis* habes gratiam *operantem* his locis expressam: « Omnia enim opera nostra (Domine) *operatus es* in « nobis ».[1] – « Deus est enim, qui *operatur* in vobis et velle « et perficere ».[2] – Imo utramque gratiam ex hoc unico

[1] Is., xxvi, 12.
[2] Phil., ii, 13.

loco demonstrat Augustinus.[1] – *Cooperans* autem gratia in sequentibus locis occurrit. *a*) Quoad executionem operum: « Non ego autem, sed gratia Dei *mecum* ».[2] – *b*) Quoad perseverantiam: « Scimus autem, quoniam diligentibus Deum « omnia *cooperantur* in bonum, iis qui secundum propositum « vocati sunt sancti ».[3]

2) *Catholica traditio* eamdem distinctionem vindicat:

a) Ex *Conciliis:* α) *Arausicanum II* ita habet: « Quoties « bona operamur, Deus in nobis atque nobiscum, ut opere« mur, operatur ». (c. 9). – β) *Tridentinum* pariter[4] distinguit aperte illud quo gratia Dei praeveniendo excitat, et quo homo assentit et cooperatur.

b) Ex *lege orandi.* Sufficit afferre orationem sequentem: « Actiones nostras quaesumus, Domine, adspirando praeveni « (operando), et adiuvando (cooperando) prosequere, ut cun« cta nostra oratio et operatio, a te semper (operante) inci« piat, et per te (cooperantem) coepta finiatur ».

c) Ex *Patrum* testimoniis. Notissimus S. Augustini locus,[5] ad quem heic S. Thomas alludit, quemque a theologis in varios sensus detortum, quasi ex integro, etsi longiorem, referre iuvat. « Quis istam etsi parvam dare coeperat cha« ritatem,[6] nisi ille qui praeparat voluntatem, et *cooperando « perficit, quod operando incipit?* Quoniam ipse ut velimus « *operatur* incipiens, qui volentibus *cooperatur* perficiens. « Propter quod ait Apostolus: « Certus sum quoniam qui ope« ratur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi « Iesu ».[7] Ut ergo velimus, *sine nobis operatur;* cum autem « volumus, et sic volumus ut faciamus, *nobiscum coopera« tur;* tamen sine illo vel *operante ut velimus,* vel *coope« rante cum volumus*, ad bona pietatis opera nihil valemus. « De operante illo ut velimus, dictum est: " Deus est enim

[1] Cf. textum inferius adducendum.

[2] I Cor., xv, 10.

[3] Rom., viii, 28.

[4] Sess. vi, c. 5 et 6.

[5] *De Grat. et lib. arb.*, c. 17.

[6] Scilicet qua Petrus dixerat Domino: « Animam meam pro(te ponam » (Ioann., xiii, 37).

[7] Phil., i, 6.

« qui operatur in nobis velle „.[1] De cooperante autem cum « iam volumus et volendo facimus: "Scimus, inquit, quoniam « diligentibus Deum *omnia cooperantur* in bonum „ ».[2] Non putamus, ex hoc loco deduci posse, cum Hurter,[3] Augustinum operanti gratiae solum tribuere excitationem voluntatis, cooperanti autem electionem seu consensum et impletionem operis. E contra, ex una parte ponit operationem ut velimus, ex altera cooperationem ut, quod volumus, faciamus; sive ex una parte, velle, ex altera, volitum exsequi. Hoc autem ipsum velle iam operanti gratiae tribuit.

S. Bernardus[4] magis appropinquare videtur ad hunc modum loquendi moderniorum. Distinguit enim quatuor gratias: excitantem, sanantem, roborantem, servantem. Excitans seminat cogitatum; sanans immutat affectum; roborans perducit ad actum; servans praeservat a defectu sive dat perseverantiam. Posito autem quod gratia operans ea sit quae operatur sine libero arbitrio, cooperans autem ea quae cum libero arbitrio operatur, dicit Bernardus ex his quatuor solum primum praevenire liberum arbitrium; tria alia ita ipsum comitari, ut iam adsit cooperatio. Sed in hoc modo loquendi Bernardi duo observa: 1) non distingui tamquam duo, - sicuti recentiores illi facere solent, - motum in liberum arbitrium et ipsum internum voluntatis actum; dicit enim simpliciter: sanat, cum immutat affectum; 2) terminum *cooperari* ita adhiberi, ut liberum arbitrium potius dicatur gratiae cooperari, iuxta verbum Pauli: « gratia Dei mecum ».[5]

Gratiam operantem, cooperante libero arbitrio, pulcherrime ita discribit beatus Ruysbroek: « Ubi Deus et anima « conspirant in unitate amoris, ibi Deus dat lucem suam supra « omne tempus, et anima dat liberum assensum, per virtu- « tem gratiae, in brevi ictu temporis; et ibi amor nascitur « in anima ex Deo et ex anima: nam amor est medius nexus « inter Deum et amantem animam ».[6]

[1] PHIL., II, 13.

[2] ROM. VIII, 28.

[3] Loc. cit. Eodem modo haec verba interpretari videtur cl. de BAETS (op. cit., *De gratia Christi*, p. 130).

[4] *De lib. arbitr.*, n. 47. Vid. textum allatum in *Sed contra est*, art. 2. Q. CIX.

[5] COR., XV, 10.

[6] *De siering der geestelijke bruiloft*, c. 1.

In Corpore. Processus est limpidus. Distincta gratia actuali a gratia habituali, et determinato sensu gratiae operantis et cooperantis, S. Thomas distinctionem applicat ad utramque gratiam actualem et habitualem.

Et schema argumenti:

- Gratia dicitur *operans* (Deus movens, mens mota) et *cooperans* (Deus movens, mens simul mota et movens):
  - I) tum de gratia *movente* (seu actuali):
    - 1) *operans:* ad volendum, seu ad actum interiorem;
    - 2) *cooperans:* ad agendum, seu ad actum exteriorem:
      - *a*) interius confirmando voluntatem;
      - *b*) exterius facultatem operandi praebendo;
  - II) tum de gratia *habituali* dono:
    - 1) *operans:* in quantum est principium iustificans;
    - 2) *cooperans:* in quantum est principium operis meritorii.

Quaeres. – Quomodo potest S. Thomas, quin sibi contradicat, in definitione gratiae operantis et cooperantis, vel in analysi actus interni voluntatis, hunc actum in uno loco attribuere gratiae operanti, in alio autem loco gratiae cooperanti? - *Resp.* 1) Quando S. Thomas actum interiorem voluntatis adnumerat gratiae cooperanti, opponit gratiam actualem gratiae habituali; non autem distinguit in ipsa gratia actuali. 2) Quum interior actus voluntatis sit totus a Deo, quatenus actio Dei se extendit directe usque ad ipsum affectum quo volumus, ad ipsamque voliti supernaturalem electionem, verissime Deo totum tribuitur, praesertim quando nullum deliberationis stadium electionem praecessit. Nihilominus, quum sit de essentia volitionis ut nos velimus, ipse interior voluntatis actus iam cooperationem ponit. 3) Utrobique S. Thomas considerat gratiam in voluntatem agentem et interiorem voluntatis actum, tamquam unum quid, sed duplicem habens respectum. Contradictio autem esset, si, quemadmodum isti recentiores volunt, hic haberemus duo: excitationem voluntatis et consensum ad excitationem. Quare difficultas petita ex hoc duplici modo loquendi S. Thomae facit contra ipsos. 4) Quando autem gratiae non

consentitur, ipsa divina motio, deficiente utique mobili, in stadio imperfecto remanet, nec stricte nomen meretur gratiae moventis. Secus haberemus, gratiam operantem eam esse gratiam quae non operatur. Et quid iam dicendum esset de textu Pauli, ubi dicitur Deus in nobis operari ipsum velle?

In responsione ad 3m adverte Angelici sententiam: « homo per gratiam operantem adiuvatur a Deo ut bonum « velit ». Unde vides, nullo modo S. Thomam a volitione boni excludere activitatem hominis ipsius; sed talem, quae non non sit per gratiam mota. Insuper adverte, iuxta S. Thomam hoc loco, gratiam esse agens principale, non solum uti operans est, sed etiam uti est cooperans. Secus patuisset responsum hoc modo: gratia principaliter operatur, dist.: operans, concedo; cooperans, nego. Quare et Paulus sibi solum tribuit partes cooperantis secundario: « Non ego autem, sed « gratia Dei (tamquam agens principale) mecum (secundario « agente) ».[1]

In resp. ad 4m. Assertum hoc: gratia operans et cooperans eadem est gratia, melius intelligetur, ubi agemus de gratiae causa, deque nexu inter unam et alteram gratiam. Interim audiatur Lombardus. « Hic considerandum est, cum « praedictum sit, per gratiam operantem et praevenientem « voluntatem hominis liberari ac praeparari ut bonum velit; « et per gratiam cooperantem et subsequentem adiuvari ne « frustra velit: utrum una et eadem sit gratia, idem unum « munus gratis datum quod operetur et cooperetur; an diversa, « alterum operans, et alterum cooperans. Quibusdam non « irrationabiliter videtur quod una et eadem sit gratia, idem « donum, eadem virtus, quae operatur et cooperatur; sed « propter diversos eius effectus dicitur operans et cooperans. « Operans enim dicitur in quantum liberat et praeparat « voluntatem hominis ut bonum velit; cooperans, in quantum « eam adiuvat, ne frustra velit, scilicet ut opus faciat bonum; « ipsa enim gratia non est otiosa, sed meretur augeri, ut « aucta mereatur et perfici ».[2]

[1] Cf. textum Augustini citandum in *Sed contra est* art. seq.

[2] II Dist. XXVI in fine: alias in initio dist. XXVII.

Corollarium I. – Ex doctrina huius articuli apparet, quid censeat S. Thomas de doctrina Lutheri aliorumque novatorum, qui liberum arbitrium, maxime sub gratia, tollunt. Nisi enim sub gratia homo re vera operaretur, non diceretur ei gratia cooperari. Absurde enim praedicaretur gratia cooperans dumtaxat gratiae operanti. Iam vero in contingentibus homo liber non potest operari nisi libere.[1] De modo vero concordiae inter gratiam et liberum arbitrium, infra data opera egemus.

Quaeres. – Quid censendum sit de sententia illorum qui in activitate supernaturali distinguunt inter actus supernaturalium virtutum et actus qui procedunt ex infusis donis Spiritus Sancti, quasi personalis activitas supernaturalis in illis actibus servaretur, non autem in istis? « The supernatural « activity, – scribit P. Paulinus Sweeney, O. P.,[2] – that issues « is of a twofold kind. One, that which flows from the super- « natural *virtites* (like Faith, Hope and Charity), remains « autonomous. It proceeds from the creature as the prin- « cipal cause. His actions are his own. The other, which pro- « ceeds from the *Gifts* of the Holy Ghost, is not autonomous « nor propre to the creature. It is but an instrument in the « hands of God in its production. Thus, for instance, the « act of belief is the proper and autonomous act of the intel- « lect vested with the habit of faith. A judgment, on the « other hand, proceeding from an intellectual Gift of the « Holy Ghost (like Understanding, Knowledge and Wisdom) « is not the work of reason, but a divine inspiration ».[3] Verba ad quae auctor heic alludit, ita sonant: « Sapientia « dicitur intellectualis virtus, secundum quod procedit ex « iudicio rationis: dicitur autem donum, secundum quod « operatur ex instinctu divino ». Sed in sequentibus Angelicus mentem suam ita illustrat, ut nullatenus sub actione donorum vitalem, imo liberam operationem recipientis excludat. Etenim, uti dicit, « sic (homo) agitur a Spiritu Sancto

[1] Cf. quae de hominis libero arbitrio scripsimus in nostro VII volumine p. 358 sqq. Cf. EL. MÉRIC, *Energie et liberté.*

[2] *Tablet.* Saturday, jan. 3. 1910, p. 17.

[3] I-II, Q. LXVIII, a 1 ad 4m).

« quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrii, unde indiget « habitu ». [1]

Non est igitur admittenda distinctio qualem propugnat laudatus scriptor. Sit quidem sub afflatu donorum Spiritus Sancti maior efficacia gratiae ac maior facilitas eidem obtemperandi; ita tamen ut actionibus donorum afflatu positis activitas personalis concurrrat, haud secus ac passim in exercitio supernaturali virtutum.

Corollarium II. – Ex modo quo S. Thomas exponit distinctionem inter gratiam operantem et cooperantem apparet, gratiam actualem non absolvi initialibus illustrationibus et inspirationibus quibus respondent in nobis actus indeliberati, [2] et ob quos vocatur operans; sed ulterius complecti motionem quae interiacet inter actum indeliberatum et deliberatum, ob quam motionem vocatur cooperans. Censemus proin theologos illos qui gratiam actualem ad primos motus initiales limitant, [3] recedere a vero sensu distinctionis qualis a S. Thoma propugnatur, et nimis concipere actionem liberae voluntatis uti separatam a gratia eam movente. Sane voluntas cooperatur gratiae operanti; ita tamen ut gratia cooperetur voluntati operanti sub gratia operante.

Corollarium III. – Collige rursus inde quantopere doctrina S. Thomae de gratia operante et cooperante Christianam humilitatem foveat, quum etiam accepta gratia operante nondum aliquid valeamus in ordine salutis, nisi gratia nobis cooperetur. Id sentiunt quotquot veram pietatem corde nutriunt, licet a scholasticis quaestionibus prorsus alieni. Hac mente filio seminarium vixdum ingresso scribebat pius quidam pater: « Telle est notre faiblesse que lorsque « le Seigneur nous a tout donné, nous avons besoin de son « aide pour en profiter ». Et adolescentulos filios laetos de

[1] Ibid., art. 3 ad 2m).

[2] Evidens est, hanc distinctionem magis valere de inspirationibus quae respiciunt voluntatem, quam de illustrationibus quae illuminant intellectum. Etenim discrimen inter actum indeliberatum et deliberatum ibi incipit, ubi intervenit libe rum arbitrium.

[3] Cf. Card. Mazzella (*De Gratia.*, disp. I, art. 4, 5); Jungmann (*De Gratia*, part. I, c. 1); Palmieri (*De Gratia act.*, cap. 1, art. 1); Kilber (*De Gratia*, disp. V, c. 1, art. 2).

praemiis in gymnasio relatis sapienter commonebat: « Offrez « à Dieu, qui donne non seulement le talent, mais encore « la grâce de s'en servir, à Dieu de qui vient tout bien, la « gloire de vos succès ». Et addebat: « Que votre âme reste « en paix. Soyez sans présomption dans le triomphe, comme « vous devez être sans découragement dans les contrariétés. « Quand vous vous regarderez bien, vous trouverez toujours « qu'il n'y a pas lieu de s'enorgueillir. Faites la ferme réso- « lution de n'employer jamais vos facultés et vos connais- « sances que selon la volonté de Dieu ».

Id diserte exprimunt orationes liturgicae à nobis superius allatae. Largius enim motionem gratiae concipiunt, quam ut ad initiales actus indeliberatos limitetur. Idem insinuat aut imo involvit duplex appellatio qua gratiae actio in Scripturis describitur. Non enim vocatur dumtaxat appellationibus quae initialem motum exprimunt, sed exhibetur uti tractio. « Nemo potest venire ad me, ait Christus, nisi Pater, « qui misit me, traxerit eum ».[1] Et sponsa Cantici rogat: « Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuo- « rum ».[2] Iam vero haec tractio, ubi agitur de libere sequendo, optime illustrat gratiam cooperantem. Ambo enim in ea simul occurrunt: liber assensus, quo tractus currit; et efficacia tractionis, qua movetur dum currit.[3] Quomodo haec simul ire possint, inferius investigabimus.

3) De gratia praeveniente et subsequente.

ARTICULUS III.

UTRUM GRATIA CONVENIENTER DIVIDATUR IN PRAEVENIENTEM ET SUBSEQUENTEM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Primo intuitu gratia operans ita se habet ad cooperantem, ut illa praecedat, haec sequatur. Quare in Commentario Magistri S. Thomas concludit quod « utraque dicitur idem quod praeveniens et subsequens ».[4]

[1] Ioann., vi, 44.
[2] Cant., i, 3.
[3] Pulcherrime id illustrat Augustinus in tractatu suo xxvi in Ioannem.
[4] ii Dist. xxvi, q. 1, a. 5.

2) Non tamen haec aequatio undequaque inverti potest. Etenim latius patet distinctio gratiae praevenientis et subsequentis quam operantis et cooperantis. Ratio est duplex. *a*) Gratia dicitur operans et cooperans solum pro gratia status viae; gratia autem praeveniens et subsequens simul complectitur viam et terminum patriae. (Cf. textum Augustini afferendum in *Sed contra est,* et S. Thomam in allato loco). *b*) Insuper successio quae indicatur per gratiam praevenientem et subsequentem, maioris est latitudinis quam ea quae communiter intelligitur de gratia operante et cooperante. In ista enim distinctione successio non attenditur nisi in obliquo; in illa autem consideratur in recto. Etenim in gratia operante et cooperante consideratur duplex causalitas; in gratia autem praeveniente et subsequente magis consideratur ordinata successio effectuum.

3) Hos autem effectus Angelicus in allato loco reducit ad tres, dum in *Corpore* praesentis articuli enumerat quinque. Sed concordia sequenti schemate redditur manifesta.

	1us eff.	2us eff.	3us eff.
II Sent., Dist. XXVI:	esse divinum;	opus meritorium;	vita beata.

In hoc articulo:	sanatio animae;	velle;	operari;	perseverare;	gloriam attingere.
	1us eff.	2us eff.	3us eff.	4us eff.	5us eff.

Vide proin 1um effectum utrobique esse eumdem, licet diversimode vocetur. In primo loco iuxta hoc quod dat; in altero iuxta hoc quod dando sanat. - Pariter effectus 3us primi loci respondet effectui 5o secundi loci. Medius autem effectus in primo loco synthetice expressus subdividitur in altero iuxta tripartitionem quam iam in articulo praecedenti exposuimus.[1]

4) Unde iuxta haec tria: velle, operari, perficere seu perseverare, divisio praesens completur, tertium introducendo terminum inter gratiam praevenientem et subsequentem. Habemus ita gratiam *praevenientem,* quae proprie dat velle; *concomitantem,* quae proprie dat operari; et *subsequentem,* quae proprie dat perficere seu perseverare. Bene rursus Laforêt: « La grâce actuelle intérieure, considérée en tant

[1] Pulcherrime haec continentur expressa in fine Sequentiae *Veni, Sancte Spiritus: Da virtutis meritum, — Da salutis exitum, — Da perenne gaudium.*

« qu'elle prévient l'intelligence et la volonté de l'homme « pour l'œuvre du salut, se nomme grâce *prévenante;* en « tant qu'elle nous accompagne et nous soutient dans la « réalisation du bien, elle s'appelle grâce *concomitante;* et « enfin on lui donne le nom de grâce *subséquente* en tant « qu'elle suit la bonne volonté qu'elle a inspirée et nous donne « la force de continuer à vouloir et à faire le bien ».[1]

Hos varios respectus egregie exprimit et illustrat oratio liturgica: « Deus virtutum, cuius est totum quod est opti- « mum;[2] insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et « praesta in nobis religionis augmentum; ut quae sunt bona, « nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias ».[3]

5) Nihilominus, sensu minus proprio, possunt gratia praeveniens et subsequens, vel praeveniens, concomitans et subsequens, ad totam scalam quinque effectuum applicari; ita ut repraesentent simpliciter praeteritum et futurum. Iuxta hunc minus proprium usum S. Thomas heic solvit quaesitum; dum in Commentario Lombardi appellationem magis propriam exponit.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit dilectionem aeternam Dei cum effectu eiusdem in tempore.

2ª Obi. Dupliciter peccat. 1) Supponit, distinctionem procedere secundum essentiam, et non potius secundum effectus. 2) Non attendit, inter gratiam gratum facientem praevenientem et gratiam opus meritorium producentem, dari discrimen quod habetur inter donum habituale et hoc donum actuali motione fecundatum.

3ª Obi. Erronee supponit, plures actus non esse ad aliquam speciem reductibiles, quemadmodum totum complectimur tempus quando dicimus: praeteritum, praesens et futurum.

Sed contra est. Citationem hanc geminam S. Thomas desumpsit ex Augustino, quem integrum citare iuvat; est enim locus classicus:[4] « Nullos videtur (Scriptura) attendisse

[1] Op. cit., loc. cit., p. 180.

[2] Cf. illud Iacobi: « Omne donum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum » (Iac., I, 17).

[3] Or. Dom. VI post Pentec.

[4] *De nat. et grat.*, c. 31.

« cum dixit: " Et ipse faciet „,[1] nisi eos qui dicunt: " Nos « facimus, id est, ipsi nos ipsos iustificamus ». Ubi quidem « operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia mi- « sericordia eius praevenit nos. *Praevenit* autem ut sane- « mur, quia *subsequitur* ut etiam sanati vegetemur; prae- « venit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur; praevenit « ut pie vivamus, subsequitur ut cum illo semper vivamus; « quia sine illo nihil possumus facere.[2] Utrumque enim « scriptum est: et " Deus meus, misericordia eius *praeve-* « *niet* me „,[3] et " Misericordia tua *subsequetur* me per omnes « dies vitae meae „».[4]

Sed et Fulgentius: « Praevenit impium, ut fiat iustus; « subsequitur iustum, ne fiat impius; praevenit elisum, ut « surgat; subsequitur elevatum, ne cadat ».[5] Et alibi prae- venientem, concomitantem, subsequentem gratiam egregie definivit. Verba iam superius allata[6] iterum afferre non pigeat. « Ibi, (in S. Litteris), profecto invenio et *praevenientem* « gratiam, qua possit elisus surgere, et *concomitantem,* qua « in via recti possit itineris currere, et *subsequentem,* qua « valeat ad regni caelestis beatitudinem pervenire ».[7] Quae partitio aequivalet termino *a quo,* motui in finem, et ter- mino *ad quem.*

Praevenientem gratiam pulchre illustrat S. Bernardus: « Si ergo Deus tria haec (bonum cogitare, velle et perficere) « operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum « nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo « bonam cogitationem, nos praevenit; immutando etiam « voluntatem, sibi per consensum iungit; ministrando et » consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum

[1] « Revela Domino viam tuam, et spera in eo; et ipse faciet » (Ps., XXXVI, 5).

[2] IOANN., XV, 5.

[3] Ps. LVIII, 11.

[4] Ps. XXII, 6. Vides ex hoc loco, in mente Augustini gratiam praevenientem respondere gratiae qua ad finem vocamur (seu gratiae primae discretionis), subsequentem autem respondere gratiae qua perseveramus (seu secundae discretionis). Unde quando S. Thomas (II Dist., loc. cit.) gratiam subsequentem de ipso statu gloriae, iuxta S. Augustinum, interpretatur, non omnino S. Doctoris mentem exposuisse videtur. Alia enim est gratia ipsius gloriae; alia, gratia ad gloriam.

[5] *Ad Maximum,* c. 11.

[6] In *Sed ctr.,* art. 2, Q. CIX, p. 115 sq.; linea 1ª, p. 116 lege: « possit ».

[7] *Ep. 6 ad Theod.,* c. 8.

« internus opifex innotescit. Sane ipsi nos praevenire nun-
« quam possumus. Qui autem bonum neminem invenit, nemi-
« nem salvat quem non praevenit. A Deo erga sine dubio
« nostrae fit salutis exordium, neque per nos utique, nec
« nobiscum. Verum consensus et opus, etsi non ex nobis,
« non iam tamen sine nobis ».[1]

Lex precandi corroborat usum huius distinctionis. Huc directe facit oratio in *Sed contra est* praecedentis articuli allata; necnon oratio in solemnitate paschali: « Vota, quae « *praeveniendo* adspiras, etiam adiuvando *prosequere* ». « « Actiones nostras adspirando praeveni et adiuvando prose-
« quere ».[2] Tua nos, quaesumus, Domine, gratia semper et
« praeveniat et sequatur: ac bonis operibus iugiter praestet
« esse intentos ».[3]

Implicite eamdem distinctionem insinuant liturgicae orationes in quibus nexus inter gratiarum iuvamina ostenditur: « Deus innocentiae restitutor et amator, dirige ad te
« tuorum corda servorum; ut spiritus tui fervore concepto,
« et in fide inveniantur stabiles et in opere efficaces ».[4] –
« Adesto, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem
« largire poscentibus: ut iis, qui te auctore et gubernatore
« gloriantur, et congregata restaures et restaurata conser-
« ves ».[5] - Huc facit pulcherrima oratio S. Augustini: « Prae-
« sta mihi primum ut bene te rogem: deinde ut me agam
« dignum quem exaudias; postremo ut liberes ».[6]

Accedit modus loquendi *Conc. Tridentini.* « Quae virtus
« (Christi scilicet vitis per gratiam palmites fecundantis
« bona eorum (iustificatorum) opera semper *antecedit,* et
« *comitatur* et *subsequitur* ».[7]

In Corpore. S. Thomas duo facit. Enumerat ex ordine effectus gratiae, a prima iustificatione usque ad collationem gloriae. Dein considerans gratiam ad modum moventis mobile per viam ab uno termino ad alterum, relative vocat unam

[1] *De Grat. et lib. arb.*
[2] Litan. Maior.
[3] Dom. XVI post. Pentec.
[4] Fer. IV, hebd. II Quadrag.
[5] Fer. V hebd. II Quadrag.
[6] *Soliil.,* l. I, c. 1, n. 2.
[7] Sess. VI, c. 13.

gratiam alteri praevenientem aut subsequentem, secundum quod in sua via ad terminum movendus se habet ad easdem.

Sed praeter illum externum respectum relativum, adest in gratia ipsa respectus internus, ob quem, iuxta dicta superius, divisio legitimatur.[1]

Textus autem in fine ex Augustino allatus vix videtur valere ad demonstrandum respectum externum relativum, de quo argumentum procedit. Hipponensis enim ibi non quatuor sibi succedentia enumerat, bis eidem gratiae appellationi diversum significatum tribuendo; sed oratoria redundantia geminam gratiam bis exprimit.

Corollarium I. – Distinctio inter gratiam praevenientem et subsequentem manifestat excellentiam apostolatus ac proin apostolici zeli. Cuius excellentiae symbolum est nobilissima figura Praecursoris, de quo nondum nato Zacharias pater pulchre cecinit: « Et tu puer, Propheta Altissimi voca« beris: praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius! ».[2] Unde ipse missionem suam hisce verbis descripsit: « Vox « clamantis in deserto: Parate viam Domino, rectas facite « semitas eius ».[3] Egregie S. Gregorius Magnus, missionum primorum discipulorum Domini illustrans, ait: « Bene autem « dicitur, quia (Dominus) misit illos ante faciem suam in « omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prae« dicatores enim suos Dominus sequitur: quia praedicatio « praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum Dominus « venit, quando verba exhortationis praecurrunt; atque per « hoc veritas in mente suscipitur ».[4]

Ut autem praevenienti gratiae ministerium humanum adnumerari mereatur, oportet ut et ipsum gratia veluti sacretur. Inde summi momenti est ut Evangelii praecones sanctitate emineant, quo efficaciora divinae gratiae instrumenta evadant, iuxta verba Domini: « Vos estis sal terrae, vos estis « lux mundi ».[5]

[1] De hac divisione gratiae S. Thomas pulchre disserit in art. 5, Q. XXVII *De veritate,* in quo et praecedentem divisionem egregie illustrat.

[2] LUC., I, 76.

[3] Ibid., III, 4.

[4] *Homil.* XVII *in Evang.*

[5] MATTH., V, 13, 14.

Nec praedicatio dumtaxat hanc excellentiam habet ut praevenientis gratiae munus adimpleat, sed omne verbum fide affulgens, omne opus ex charitate procedens et Christi bonum odorem spargens, apostolici zeli dignitatem et efficaciam vindicat, iuxta illud Domini: « Ut videant opera vestra « bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est ».[1]

Huc faciunt pulcherrima verba Ss. D. N. Benedicti XV in iam laudatis litteris encyclicis *Maximum illud*. Postquam munus missionariorum vocavit « divinum prorsus longeque « ab humanarum rationum exiguitate remotum », paucis interiectis pergit: « Qui se ad apostolicum munus recte accingit, « unum necesse est ante omnia sibi comparet, utpote maximi « momenti et ponderis, videlicet, quod supra memoravimus, « vitae sanctimoniam. Etenim homo Dei sit oportet, qui « Deum praedicat; oderit peccatum, qui odisse peccatum « iubet. Maxime apud infideles, qui sensu potius quam ratio- « nibus ducuntur, multo plus proficitur fidem exemplis prae- « dicando quam verbis. Esto igitur missionarius omnibus « doctrinis excultus, omni humanitate politus; nisi haec cum « morum innocentia cohaereant, parum aut nihil efficacitatis « habebunt ad salutem populorum, imo plurimum et ipsi et « caeteris obesse possunt. – Sit igitur in exemplum humilis, « obediens, castus, sit praecipue pius, sanctaeque orationi ac « perpetuae cum Deo coniunctioni deditus, sedulo apud eum « causam agens animarum. Quanto enim fuerit Deo coniun- « ctior, tanto plus ei divinae gratiae et adiumenti impertie- « tur ».[2]

Corollarium II. – Ex dictis in hoc toto articulo patet, praevenientem Dei gratia nullatenus impedire quominus, cum nos sub praeveniente eadem gratia ad recipiendam iustificationem praeparamus, aliqualiter possimus dici eamdem iustificationem praevenire. Quod ita pulchre illustrat Bossuetius: « Ainsi à divers égards nous prévenons Dieu et « nous en sommes prévenus. Selon ce que nous sentons, « c'est nous qui prévenons Dieu; selon ce que nous enseigne « la foi, Dieu nous prévient par ces occultes dispositions « qu'il met dans les cœurs. C'est pourquoi les anciens, qui ont

[1] Ibid., 16.

[2] *Acta Apost. Sedis,* anno XI, p. 446, 449 sq.

« précédé saint Augustin, ont raison de dire tantôt que Dieu « nous prévient et tantôt que nous le prévenons; et tout « cela n'est autre chose que ce que le même saint Augu- « stin a développé plus distinctement par ces paroles ». Et adducit celebre Augustini testimonium ex *Enchiridion* desumptum « Totum Deo detur, qui hominis voluntatem « bonam et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam. « Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed « non omnia: quae autem non praecedit ipsa, in eis est et « ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis; et " Mise- « ricordia eius praeveniet me ,,;[1] et " Misericordia eius sub- « sequetur me ,,.[2] Nolentem praevenit, ut velit; volentem sub- « sequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro « inimicis nostris,[3] utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus « in illis operetur et velle? Itemque cur admonemur petere « ut accipiamus,[4] nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo « factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, « ut misericordia Dei praeveniat eos, sicut praevenit et nos: « oramus pro nobis, ut misericordia eius subsequatur et nos ».[5]

Corollarium III. – Etsi modo superius exposito, ob intimum successionis nexum qui inter gratias habetur, nos aliqualiter gratiam praevenire possimus, non tamen efficaciter sine gratia; nihilominus, quum totum opus nostrae salutis a Dei gratia pendeat, Deique sit alios ad altiora destinare, consequens est, nos debere humili subiectione nosmetipsos ita sub Dei actione tenere, ut, absque ulla impatientia gratiam expectemus, nec violento conatu illam praevenire studeamus. Optime Ven. Blosius: « Ipsam Dei gratiam non tentet « impatienter praecedere, sed eam humiliter subsequatur: spi- « ritum, inquam, illuc violenter impellere non conetur, quo « nondum ascendere potest: ne, dum temere praesumit quod « praesumere non debet, sua se violentia deorsum praeci- « pitet, et collisus temeritatis suae poenas exsolvat ».[6]

[1] Ps. LVIII, 11.
[2] Ibid., XXII, 6.
[3] MATTH., V, 44.
[4] Ibid., VII, 7.
[5] Cap. 32. P. L. t. XI, col. 248.
[1] Op. cit., c. V.

Appendix de mente Beati Ruysbroeck.

'Latior sensus dari potest gratiae praevenienti, ut scilicet complectatur omnes gratias sive externas sive internas, quibus peccatores praedisponuntur ut pressioris sensus percipiant gratias quibus iustificentur. Hunc conceptum pulchre evolvit Beatus Ioannes Ruysbroeck, in opere cui titulus: *Ornatus spiritualium nuptiarum,*[1] e quo nonnulla heic depromare iuvat : « Deus gratiam suam dat duplici modo, « praevenientem[2] gratiam, et gratiam quae dat meritum et « vitam aeternam ». Inter utramque hoc interest, quod prior omnibus hominibus datur, vi voluntatis salvificae universalis. Unde nullus se homo in ultimo iudicio de non accepta praeveniente gratia poterit excusare.[3]

Nexum autem inter hanc latioris sensus gratiam praevenientem, sive externam sive internam, et gratiam internam proprie dictam supernaturalem, ad iustificationem aut ad eiusdem augmentum conducentem, Ruysbroeck poëtice et profunde in sequentibus depingit.

Praecurrens enim gratia removet ab anima voluntatem malam, in eaque excitat connaturalem dolorem de peccatis et voluntatem bonam. « Haec est suprema gratia praeve- « niens. Quando homo facit quod suum est, quantum potest, « nec ulterius progredi valet ex infermitate, tunc spectat ad « infinitam bonitatem Dei opus perficere.

« Tunc sublimior lux advenit ex gratia Dei, veluti radius « e sole, et infunditur in animam, praeter meritum et supra « aequum desiderium; etenim in hac luce Deus dat seipsum « ex libera bonitate et pietate, quam nulla creatura mereri « potest, quae hanc lucem nondum possidet. Et haec est « intima inoperatio Dei in animam extra omne tempus, et « commovet animam cum omnibus suis potentiis. Hic sistit « gratia praeveniens, et hinc incipit altera gratia, id est lux

[1] *De siering der geestelijke bruiloft.* Cap. 7.

[2] Hanc indifferenter vocat praecurrentem *voorloopende* vel praecedentem *voorgaande.*

[3] « De voorlopende genade hebben alle menschen gemeen, heidenen en joden, « goeden en kwade..... Op de dag des oordeels zal zich niemand beklagen kunnen, « dat hem niet genoeg is gedaan, had hij willen bekeeren ».

« supernaturalis ». Vides, per gradus, iuxta Beat. Ruysbroeck, a gratia praeveniente latiori sensu intellecta ad gratiam stricte supernaturalem perveniri.

ARTICULUS IV.

UTRUM GRATIA GRATIS DATA CONVENIENTER AB APOSTOLO DIVIDATUR.[1]

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iam de divisione gratiae gratis datae, et quidem in sensu stricto quem huic appellationi in art. 1 tribuimus; scilicet de gratia gratis data uti opposita non solum gratiae sanctificanti et charitati, sed etiam omnibus gratiis internis directe ad iustificationem personalem tendentibus vel ex ea fluentibus.

2) Proinde per se, virtutes fidei et spei, ad charitatem ordinatae, Spiritus Sancti dona, charitatis ipsius quasi complementum, imo gratiae actuales, tum ad iustificationem, tum sub iustificatione moventes, excluduntur a gratia gratis data, cuius heic divisio texenda est.

3) Dicimus per se, nam si dantur virtutes et dona, quae habeat respectum ad lucrandas animas per magisterium, indirecte haec poterunt gratiae gratis datae adnumerari. Talem autem patet esse fidem, quatenus ex abundantia certitudinis auget auctoritatem sermonis; tales quoque sapientiam et scientiam, non quidem quatenus dona sunt Spiritus Sancti, sed quatenus reddunt idoneum ad exponendam vindicandamque veritatem.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter peccat. *a*) Confundit dona naturae cum donis naturam exsuperantibus; *b*) non distinguit inter infinitatem numeri semper augibilis et infinitatem specierum in eodem numero.

2ª Obi. Non distinguit inter duplicem respectum fidei: alium ad charitatem ipsius fidem habentis; alium ad fidem in aliorum animas ingerendam vel confirmandam.

3ª Obi. Non attendit ad rationem distinctivam in eadem specie.

[1] De variis gratiis gratia datis S. Thomas fuse disserit in *Summa etc. Gentiles*, l. III, c. 155.

4ª Obi. Peccat eodem modo quo *obi. 2ª*, negligendo duplicem respectum de quo in n. 3.

Sed contra est. Gratia gratis data multis in locis Scripturae tamquam operis Dei auxiliatrix exhibetur. Ioseph et Daniel somnia interpretantur; Moyses miraculorum dono in missionis argumentum insignitur; Elias et Elisaeus curationum charismate fulgent; sapientiam et scientiam Salomon a Deo infusa recipit; Isaias erudita lingua caelitus donatur. Ipse Christus universis donis a Patre illustratus apparet, operaque portentosa inde a se completa missis a Ioanne, quin et discipulis ac turbis, tamquam authenticae doctrinae documenta exhibet. Ad Patrem conscensurus, plura a suis nomine suo prodigia operanda pollicetur. Demum, postquam Spiritus Sanctus solemni Pentecostes die regnum Christianum miraculis propagandum inchoavit, Paulus enumerat singula charismata lege quasi communi fidelibus in prima Ecclesiae aetate concessa.

Iam vero huiusmodi enumeratio per se non postulat ut omnia distributione exhauriantur. Quare confer cum ista enumeratione alias enumerationes quae occurrunt Mc. XVI; I *Cor.* XII, 28 sq.; XIV.[1]

In Corpore. En schema huius ingeniosissimae expositionis:

- Gratiae gratis datae spectant:
  - I) ad *plenam cognitionem* divinorum:
    - *a*) quantum ad principia: fides;
    - *b*) quantum ad conclusiones principales: sermo sapientiae;
    - *c*) quantum ad cognitionem factorum et eventuum: sermo scientiae;
  - II) ad *confirmationem* eorumdem:
    - *a*) per ea quae solus Deus potest *facere:*
      - α) ad salutem corporum: gratia sanitatum;
      - β) ad alia manifestativa: operatio virtutum;
    - *b*) per ea quae solus Deus potest *scire:*
      - α) futura: prophetia;
      - β) abdita, discretio spirituum;
  - III) ad convenientem *manifestationem:*
    - *a*) quantum ad idomata: genera linguarum;
    - *b*) quantum ad sensum: interpretatio sermonum.

[1] Cf. opus nostrum *La Confirmation,* sect. III, ch. 1, § 2.

Quaeres 1°) quid de *potestate in daemones?*[1] – Haec in daemones potestas est quasi sacramentalis. Insuper potest reduci vel ad operationem virtutum, vel ad gratiam sanitatum: de utraque enim habet.

2°) Quid de *opitulationibus* et *gubernationibus?* - Quum ab Apostolo exhibeantur[2] uti distinctae a virtutibus et gratiis curationum, possunt ad ea reduci quae spectant ad altiorem sapientiam, vel ad discretionem spirituum, quibus aliquis ad animas regendas eisque opitulandum idoneus redditur.[3]

Reliqua patent.

ARTICULUS V.

UTRUM GRATIA GRATIS DATA SIT DIGNIOR QUUM GRATIA GRATIA GRATUM FACIENS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Vidimus hucusque, gratiam gratum facientem directe hominem ordinare ad Deum; gratis autem datam ordinare ad Deum indirecte, quatenus in alios ad Deum dirigendos tendit. Sed quaestio remanet de modo quo gratia gratis data in alios agit. Si enim ita in alios ageret, ut per se in illis gratiam gratum facientem produceret, iam haberet prae hac excellentiam secundum axioma: « Propter quod unumquodque tale, et illud magis ».

2) Sed non ita est intelligenda actio gratiae gratis datae. Pro illis quorum intuitu datur, non potest esse nisi gratia externa; conversio autem in Deum, seu iustificatio non inchoatur et a fortiori non perficitur nisi per gratiam internam. Ergo, si in se utramque gratiam confers, gratum faciens praestat gratis datae. Quod ex hoc solo indirecte constaret, quod gratia gratis data potest consistere cum peccato, non autem gratia gratum faciens.

3) Quid iam si utraque gratia consideretur, non quidem in se, sed respectu ad multitudinem cui gratis data destinatur, dum gratum faciens est singularis? - *Resp. a*) Cur gratia gratis data destinatur multitudini, nisi ut in singulis individuis adsit gratia gratum faciens? Atqui fini cedit me-

[1] Cf. Marc., xvi.

[2] 1 Cor., xii, 28.

[3] Cf. de eodem argumento *Summa ctr. Gent,* l. iii, c. 155.

dium, praesertim nonnisi indirecte operans; ergo. – *b*) Caeterum gratia gratum faciens, quum intimo nexu ipsi Deo coniungat, participat de excellentia ipsius Dei, ad quem tota multitudo salvandorum ordinatur.

II. Ad Textum. – *1ª Obi.* Non distinguit inter bonum commune uti est in multitudine et uti est separatum ab ea Neque respicit ad subordinationem utriusque gratiae (cf. dicta n. 3).

2ª Obi. Supponit falso, gratiam gratis datam producere per se in aliis gratiam gratum facientem.

3ª Obi. Negligit legem subordinationis, quae inversa est in utraque gratia ac in facultatibus naturae humanae.

Sed contra est. Optime S. Thomas argumentum desumit ex Pauli verbis: « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro »,[1] et non ex verbis: « Aemulamini autem charismata meliora » (Ibid.). Nam haec altera nihil aliud significant quam: inter haec charismata aemulamini meliora. Unde, postquam in c. XIII Apostolus demonstravit « excellentio- « rem viam » charitatis, redit in initio c. XIV ad assertum: « Sectamini charitatem, aemulamini spiritualia; magis « autem ut prophetetis ». Ac si diceret. Ostendi vobis excellentiam charitatis. Quare sectamini illam. Nihilominus aemulamini alia dona Spiritus (ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά), imprimis donum prophetiae, quod praestat dono linguarum.[2]

In Corpore. Ad plenam huius argumenti intelligentiam perpende superius dicta n. 2.

Excellentiam gratiae gratum facientis prae gratia gratis data pulchre ita exhibet S. Bonaventura: « Dicitur gratia « gratum faciens, quia habentem facit Deo gratum; quum non « solum gratis detur a Deo, verum etiam sit secundum Deum « et propter Deum; quum ad hoc sit ut per ipsam opus ema- « nans a Deo revertatur ad Deum, in quo, ad modum cir- « culi intelligibilis, consistit omnium spirituum rationabilium « complementum ».[3]

[1] I Cor. xiii, 1.
[2] I Cor. xiv, 1. – Cf. totum hoc caput, in quo praesens thesis evolvitur.
[3] *Brevil.*, p. v, c. 1.

Appendix de aliis divisionibus gratiae.

Illustratis itaque iuxta S. Thomam tribus divisionibus gratiae, superest ut de aliis superius enumeratis eodem servato ordine breviter discurramus.

4) De gratia externa et interna. [1]

Haec divisio in gratiam *internam* et *externam*, quae mediae aetatis tempore vix occurrit, – de ea enim S. Thomas tacet, – instauratis a Jansenianis de gratia iuxta Augustinum controversiis antiquis, ab Adriano VI, tunc Lovaniensi professore, rursus invecta est.

1) *Externa* gratia sunt, v. gr., exempla Christi, praedicatio Evangelii, miracula: verbo omnia quibus extrinsece homo ad Deum trahitur. Hanc externam gratiam fatebantur ipsi Pelagiani; sed, ita iam monuimus, est gratia improprie dicta.

2) *Interna* gratia est iustificatio, illuminatio intellectus, excitatio voluntatis: verbo Spiritus Sanctus sive habitualiter animae inhaerens, sive actualiter animam movens. Haec est gratia proprie dicta, ad quam confitendam Augustinus Pelagianos urgebat.[2]

Independenter a controversiis Pelagianis haec distinctio est non mediocris momenti, in illustranda oeconomia salutis et providentiae divinae. Suaviter enim simul et fortiter Deus in ordine supernaturali agere solet. Unde, quemadmodum gratia praeveniens, iuxta mentem Beati Ruysbroeck superius allatam, complectitur initiales motus, quibus Deus corda hominum ad se trahit; ita quoque gratiae internae passim gratiis externis praeveniuntur et quasi praeparantur. Quae imo ab exordio possunt esse ordinis mere naturalis, unde paulatim mentes et corda hominum supra naturam elevantur.

Itaque Beatus Ruysbroeck gratiam praevenientem, hoc latiori sensu acceptam, distinguit in externam et internam. Externam ita describit: « Praeveniens gratia Dei movet

[1] De gratiis externis et internis bene disserit Bourdaloue (*Retraite spirit. 3e jour. IIme Méditation de l'abus des grâces.* – T. IV, p. 538 sq.).

[2] Cf. *De gratia Chr.*, c. 10.

« hominem externe et interne. Externe in morbo, aut in « perditione externi boni, parentum vel amicorum, aut in « publica humiliatione. Vel commovetur in praedicatione, « vel in bonis Sanctorum aut piorum hominum exemplis, « verbis vel operibus. Ita Deus tangit et movet externe ».

Internam autem praevenientem sive praecurrentem gratiam ita describit: « Interdum homo tangitur interne, reco- « lendo poenas et passionem Domini; aut considerando sua « peccata, brevitatem vitae, timorem mortis et inferni et « aeternarum inferni poenarum, et aeterna gaudia caeli, et « clementiam qua Deus ei in peccatis pepercit, expectando « eius conversionem ». Imo inter huiusmodi gratias praecurrentes etiam adnumerat spectaculum mirabilium quae Deus creavit: « Vel homo contemplatur mirabilia quae Deus « creavit in utroque regno caelesti et terreno, in omnibus « creaturis. Sunt opera praevenientis gratiae Dei, quae homi- « nem commovent multiplici modo externe et interne ». Quin et intima scintilla animae quae bonum desiderat et malum odit, est naturalis inclinatio in Deum, ac proin potest hisce praevenientibus lato sensu gratiis adnumerari. Insuper est Deus universalis irradiatio et universalis lux, « quae illumi- « nat caelum et terram, et omnem attingit creaturam iuxta « eius necessitatem et dignitatem ».[1]

Hinc tam saepe in psalmis invitamur, ut opera Dei contemplemur et celebremus, quatenus hoc fine ab ipso Deo tot pulchritudinis radiis collustrantur, ut ad Deum animam hominis adducant. Totus proin creaturarum mirabilis ordo est tamquam immensa gratiarum externarum tabula vel symphonia, cui qui fideliter et pie oculos praebet et aures, per sensibilia ad agnoscendum Summum Auctorem laudandumque adducitur. Nil mirum proin, sanctos viros huic contemplationi fuisse tantopere addictos, ut adspectus floridi campi, aut solis cum maiestate in occasum vertentis, in extasim eos raperet. Beatus ille qui constanti nisu hac mente naturam contemplatur![2] Non solum illum nulla creata species ab

[1] Loc. cit.

[2] Imo beatior, qui per contemplationem naturae conatur assurgere ad verbum quod Deus sibi per ipsam dicit. Nam creaturarum species non est solum verbum Dei nobis, sed ipsi Deo sibi. Quod nuper pia virgo coram vasto oceani spectaculo

increato Auctoris splendore avertit, sed quae infirmos seducunt, ad sublimia talem incitant. Externae proinde gratiae omni reverentia sunt colligendae, quo uberius anima internas excipiat atque degustet.

Quaeres I. – Quid a de Incarnatione, estne gratia externa an interna? – *Resp.* Ipsi Christo est summa gratia interna. Nobis est gratia simul externa et interna: externa, quatenus Christus nos externe trahit per exempla et doctrinam, estque nobis substantialiter externus, in quantum est homo, nisi nobis per Eucharistiam actualiter coniungantur. Interna autem dici potest Incarnationis gratia: *a*) in quantum ab Incarnatione nobis venit gratia interna qua iustificamur; *b*) in quantum unum cum Christo mysticum corpus efformamus.

b) Quid de gratiis *gratis datis?* – Sunt externae illis quorum intuitu conferuntur: v. gr. miracula, prophetiae, etc. Sunt autem internae illis quibus conferuntur; non autem eodem sensu quo gratia gratum faciens. Cf. dicta, ubi de hac distinctione data opera egimus.

Quaeres II. – Si gratia qua Deus mentem nostram illuminat et voluntatem nostram movet, distinguitur, uti interna, ab alia gratia quae externa vocari solet, ut melius a Pelagiano errore recedatur, nonne mendose S. Thomas tractationem de gratia in *Summa Theologica* inscripsit: « De exteriori principio humanorum actuum, scilicet gratia Dei ».[1]

Nonnulli, uti monet Suarez, ita iudicarunt; sed perperam. Independenter a controversia Pelagiana, Deus ipse, quatenus est distinctus a nobis, etsi maxime intime in nobis agat, potest extrinsecum principium vocari; quod et valet de eius gratia, cuius ope in nos agit. Admissa autem hoc principio movente, ad contradistinguendam motionem Dei internam, quam Pelagius negabat, ab externa, quam praedicabat, rectissime gratia propric dicta appellata est principium intrinsecum. Bene Suarez: « Si ergo fortasse *gratiam Dei* in illo

ita exprimebat: « Oh! si on pouvait comprendre quelque chose de ce que le bon « Dieu se dit lui-même de lui-même par cette nature déconcertante de doux et pro- « fonds mystères, dont chaque manifestation doit être une définition du grand Créa- « teur! ».

[1] I-II, Q. CIX.

« titulo exterius principium appellavit D. Thomas, non ideo « fuit quia gratia non sit principium interne nos iuvans, « quod postea in tota doctrina luculentissime docet, sed « quasi per denominationem extrinsecam, quia extrinsecus « advenit, et quia est veluti instrumentum principalis agentis « extrinseci: sicut potest impetus lapidi proiecto immissus « principium extrinsecum talis motus appellari: non enim « est inusitata locutio ». Et addit: « Ut tamen omnino a « Pelagianis fugiamus, Deum extrinsecum principium seu « motorem vel adiutorem ope gratiae, gratiam vero, per quam « nos iuvat, internum principium earumdem operationum « appellabimus: quamvis enim inter gratias aliquae sint « extrinsecae, nihilominus quae propriissime et quasi per « antonomasiam, inter creata dona, gratiae appellantur, nobis « intrinsecus inhaerent, et vel sunt opera, vel aliquo modo « operationum principia ». [1]

5) De gratia excitante et adiuvante.

Frequens est apud theologos distinctio inter gratiam *excitantem* et *adiuvantem*. Quae distinctio, in natura et actione gratiae fundata, corroboratur modo loquendi Scripturarum et Patrum, necnon Ecclesiae ipsius auctoritate.

Sane 1) quum homo indigeat, maxime in his quae ordinis supernaturalis sunt, initiali impulsu vel tractione, gratia sub hoc respectu, quatenus mentem illuminat et voluntatem stimulat, recte vocatur *excitans*. Quum autem, etsi iam excitata, libertas hominis, praesertim lapsi, difficultatem experitur ad agendum iuxta excitantis gratiae dictamina, nec valet propriis viribus opus ad quod excitatur perficere, gratia, quatenus hoc praestat, iure vocatur *adiuvans*.

2) Utramque gratiam multipliciter exprimunt aut saltem insinuant *Scripturae*. *a*) Excitans gratia intenditur, quotiescumque initialis gratiae motus exprimitur: « Converte nos, « Domine, ad te, et convertemur »; [2] « Illumina oculos meos, « ne unquam obdormiam in morte »; [3] « Trahe me: post te

[1] *Tract. de gratia*. Proœmium. - Ed. Viver, 1868, t. VII, p. IX.
[2] THREN. V, 21.
[3] Ps. XII, 4.

« curremus »;[1] « Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus « qui misit me, traxerit eum ».[2] Expressius autem: « Ecce, « sto ad ostium et pulso »;[3] « Durum est tibi contra stimulum « calcitrare »;[4] « Dominus aperuit cor (Lydiae) intendere his « quae dicebantur a Paulo »;[5] « Surge, qui dormis, et exsurge « a mortuis, et illuminabit te Christus ».[6] Excitantem Dei gratiam Ecclesia docet sacerdotes implorare in exordio divinae laudis: « Aperi, Domine, os meum ad benedicendum « nomen sanctum tuum... intellectum illumina, affectum in- « flamma ». Quae interiacent verba: « Munda quoque cor « meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitatio- « nibus », illustrant bene adspectum negativum gratiae praevenientis, iuxta verba Praecursoris: « Parate viam Domini ».[7]

b) Adiuvans autem gratia tam frequenter in Scripturis occurrit, ut vix sit titulus saepius Deo datus quam « Deus « adiutor ». Quaedam exempla magis explicita attulisse sufficiat: « Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiu- « vandum me festina ».[8] « Exsurge, Domine, adiuva nos ».[9] « Adiuva nos, Deus salutaris noster ».[10] « Adiuva me et salvus « ero ».[11] « Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam ».[12] « Spiritus adiuvat infirmitatem nostram ».[13] « Laboravi, non « ego autem, sed gratia Dei mecum ».[14]

2) Consonat locutio *Patrum*. Nervose Augustinus ait: « Deus hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, « et adiuvat praeparandam »;[15] quibus verbis egregie exprimitur compenetratio et veluti circulatio, quae utramque gra-

[1] Cant. I, 3.

[2] Ioann., VI, 44.

[3] Apoc., III, 20. De multiplici modo, quo gratia animam sollicitat, iuxta illud dictum Cantici, pulcherrime disserit Illmus Gay (op. cit., p. 37 sq.).

[4] Act., IX, 5.

[5] Ibid., XVI, 44.

[6] Ephes., V, 14.

[7] Matth., III, 3.

[8] Ps. LXIX, 2.

[9] Ps. XLIII, 26.

[10] Ps. LXXVIII, 9.

[11] Ps. CXVIII, 117.

[12] Mc., IX, 23.

[13] Rom., VIII, 26.

[14] 1 Cor., XV, 10.

[15] *Enchir.*, IX, 32.

tiam unit ad invicem. Optime et S. Bernardus: « Conatus « (scilicet nostri) ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adiu- « ventur, et nulli sunt, si non excitentur ».[1] Ubi gradatio inter « cassum » et « nullum » ostendit, ab excitante gratia exspectandum esse initium.

3) *Ecclesiae usus* eamdem distinctionem sancit. *a*) Concilium Tridentinum ita loquitur: « Qui per peccata a Deo « aversi erant, per eius excitantem adque adiuvantem gra- « tiam ad convertendum se ... disponuntur ».[2] Concordat lex orandi: « Actiones nostras, quaesumus, Domine, adspirando « praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio « et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur ».[3]

Sed haec ipsa oratio, quae mirabilem gratiae ambitum depingit, qui « a fine ad finem », « fortiter et suaviter » attingit, inducit quaestionem de relatione quae existit inter hanc distinctionem gratiae in excitantem et adiuvantem, et duas alias superius illustratas inter gratiam operantem et cooperantem; praevenientem et subsequentem. De qua relatione non conveniunt inter se theologi. Nec mirum, quum has duas distinctiones, praesertim priorem, aliter et aliter intelligant.

Ita dum Card. Satolli firme scribit: « Divisio gratiae in « excitantem et adiuvantem non est eadem ac gratiae prae- « venientis et subsequentis »,[4] alii theologi concordiam propugnant inter gratiam operantem, praevenientem et excitantem ex una parte, et cooperantem, subsequentem et adiuvantem ex altera. Audiatur Iungmann: « Ratione diversi respectus « ad liberum consensum gratia actualis dividitur in gratiam « *excitantem,* quae et operans et praeveniens dicitur; et « gratiam *adiuvantem,* quae cooperans et concomitans appel- « lari solet ». Et utramque ita explicat: « Illa consistit tum « in illustratione intellectus, tum in voluntatis motione, quas « Deus in nobis, physice quidem, non tamen moraliter et « libere agentibus, atque hinc sine nobis, excitat, ut bene « velimus et bene agamus. Altera consistit in auxilio super-

[1] *De grat. et libero arbitr.*, XIII, 42.

[2] Sess. VI, c. 5; cfr. can. 3. Simili modo loquitur Conc. Araus. II, can. 21.

[3] Rot. Litan. Mai.

[4] Op. cit., in hunc locum concl. 3.

« naturali, quo Deus nobiscum libere agentibus ad actus « supernaturales concurrit et influit ». Et addit: « Eadem « gratia a quibusdam *subsequens* dicitur: quo nomine ab « aliis illa designatur gratia, qua iuvamur ut opus, quod « Deo auxiliante proposuimus, etiam externe exsequamur, « et in bono proposito perseveremus ».[1] Sat concordat modus loquendi Cl. Van Noort, qui fatetur: « Plures ex divisionibus « gratiae hic recensitis diversimode explicari possunt et « explicantur (cf., ex. gr., *S. Th.*, I-II, CXI et lege explicatio- « nes Sylvii et card. Satolli) ». Unde modeste addit: « Exibui « explicationem quae videtur hodie communior, quin con- « tenderim eam menti Ss. Augustini et Thomae in omnibus « convenire ».[2]

Sane, – quod et praecitata oratio liturgica tam expresse docet, ut assertio Card. Satolli inde nobis fidentior aequo videatur, – negari nequit, primo intuitu inter has tres gratiarum distinctiones magnam haberi correlationem. Excitans quippe gratia, presse sumpta, est operans, quatenus sola in nobis producit initiales actus intellectus et voluntatis; rursus est praeveniens, quatenus est initialis, saltem relate ad gratiam adiuvantem. Pariter adiuvans habet de cooperante, quatenus ponit adiutorium quo agens in operando sustentatur, sicut cooperans non agit sine nobis; habet de subsequente, quatenus supponit praevenientem gratiam excitantem.[3]

Non ideo tamen ista tertia distinctio redundat. Habet enim respectum quo ab aliis duabus distinguitur. Etenim *a*) si eam confers cum distinctione inter gratiam operantem et cooperantem, hoc interest, quod ista est de essentia influxus gratiae in creaturam rationalem; unde et abstrahit e conditione

[1] *De gratia,* n. 12.

[2] Op. cit., p. 7.

[3] Evidens est, aliter hanc comparationem instituendam esse iuxta conceptum S. Thomae vel recentiorum circa gratiam operantem et cooperantem. Si, iuxta sententiam Angelici, gratia operans iam involvit internum actum deliberatum quo voluntas moventi gratiae assentitur, ut hunc assensum praestet, iam spatium est gratiae adiuvanti; quare in hac sententia maius apparet discrimen inter gratiam operantem et cooperantem, et gratiam excitantem et adiuvantem; quatenus ex una parte dilatatur spatium gratiae operantis, ex altera, gratiae adiuvantis. Quod adhuc verius est si gratiae efficacia concipitur ad mentem S. Augustini, quum in ea efficacia magis derivetur a vincente auxilio, seu a gratia adiuvante.

nostrae naturae lapsae. Distinctio autem gratiae in excitantem et adiuvantem alludit ad torporem et debilitatem lapsae nostrae naturae, quae indiget veluti e somno excitari et in sua claudicatione sustentari.[1] Quare plus habet gratia adiuvans de gratia medicinali quam gratia cooperans, quae per se ab ea abstrahit.

b) Si iam confers gratiam excitantem et adiuvantem cum gratia praeveniente et subsequente, alia est utriusque divisionis ratio formalis. Illa petitur potius ab infirmitate naturae sub prima motione gratiae; altera a successione gratiarum in intentione divina et in exsecutione. Unde gratia quae subsequens est relate ad praevenientem, potest fieri praeveniens relate ad ulteriorem gratiam ad quam disponit. Qui respectus non habetur in gratia formaliter adiuvante, quae non est nec fit formaliter excitans relate ad aliam gratiam adiuvantem.

c) Unde iam assurgit aliud discrimen. Etenim appellatio gratiae adiuvantis habet sensum magis absolutum quam omnes aliae gratiarum appellationes. Sumi enim potest in sensu latiori vel pressiori. In pressiori sensu opponitur relativae gratiae excitanti, sicut cooperans operanti. Sensu autem latiori involvit et gratiam excitantem. Hinc multae locutiones Scripturarum, in quibus Deus nos adiuvare dicitur, aut rogatur ut iuvamen suum nobis praestet. Unde et Congregatio ad litem de gratia componendam instituta, nomen generale accepit *de auxiliis*.

Excluso autem hoc sensu generaliori, qui iam non intenditur quando gratia adiuvans opponitur excitanti, divisio in gratiam excitantem et adiuvantem magis quam duae aliae divisiones contrahitur ad standum pro gratia actuali. Unde Card. Satolli praecitatam conclusionem claudit his verbis: « Nec pertinet (divisio scilicet de qua agimus) ad donum « habituale, sed fit convenienter de gratia actuali ».

Quodsi quaeratur, utrum inter gratiam excitantem et adiuventem adsit distinctio realis, responderi potest eodem prope modo quo supra, ubi agebamus de gratia operante et coo-

[1] Huc facit dictum Augustini: « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet « et facere quod possis, et petere quod non possis, et *adiuvat* ut possis ». *

* *De nat. et grat.*, c. 43. - Cf. *Conc. Trid.*, Sess. VI, c. 11.

perante. Sententia nostra his paucis contrahi potest. Si aliqualiter identificatur gratia excitans cum operante et adiuvans cum cooperante, et si gratia operans limitatur ad indeliberatos actus intellectus et voluntatis, tunc solutio pendet a modo quo quis entitative distinguit actum deliberatum ab actibus indeliberatis praecedentibus. Si autem haec distinctio intelligitur ad mentem S. Augustini et S. Thomae, tunc nulla ratio apparet cur inter gratiam excitentem et adiuvantem, utrimque presso sensu sumptam, non admittatur distinctio realis.[1]

6) De gratia habituali et actuali.

Iam pluries in praecedentibus articulis de hac distinctione sermo factus est. Iuvat tamen pauca ex professo de ea verba addere. Quid per utramque significetur, manifestum est. Gratia *habitualis* dicit auxilium supernaturale *permanens* ad modum habitus; *actualis* autem dicit auxilium supernaturale ad modum influxus *transeuntis*. Prior producit statum, altera producit motum in ordine ad actum.[2] Hic autem actus vel tendit in habitum nondum possessum, quotiescumque gratia actualis datur in ordine ad gratiam habitualem; vel tendit in activitatem illius qui iam habitu ornatur, ut hic habitus suam vitalitatem exserere possit, et per hanc ipsam vitalitatem augeri. Utrumque gratiae actualis adspectum ita bene illustrat P. Tissot: « La grâce actuelle est pour pré« parer et pour exercer la grâce sanctifiante. Avant que je « sois sanctifié par la grâce d'union, la grâce actuelle, par « son excitation, prépare les voies à son entrée. Après la

[1] Cf. de hoc argumento cl. VAN DER MEERSCH, qui mediam quandam sententiam tuetur, ob sententiam quam alibi propugnat de necessitate gratiae actualis in homine iam habente habitum gratiae infusum (op. cit., n. 292).

[2] Recte cl. DE BAETS utramque gratiam ita exprimit: « Quemadmodum gratia « habitualis tota est in constitutione supernaturalis entis, ita actualis gratia est tota « in proportionata motione ad agendum supernaturaliter ». Et alibi utramque gratiam ita bene describit: « Hij (God) heeft het goddelijk leven in ons gestort door « ons de heiligmakende gratie te verleenen; hij steunt, en geleidt het door dade« lijke gratie. De eerste is iets blijvends dat levend maakt gelijk de ziel het lichaam; « de tweede verwekt en richt de werking, doet bovennatuurlijke werkzaamheid « ontstaan, en geleidt ze tot haar einde ». *

* *'t Lied des Levens*, p. 137 sq.

« justification, la grâce actuelle, par son excitation, met « en activité les forces vives de la sainteté déposée dans « l'âme ».[1]

Haec gratiae distinctio, in Scripturis fundatissima, – aliae enim sententiae Scripturarum de gratia loquuntur uti de habitu, aliae uti de actione seu motione in ordine ad actum, – apud Patres et Scholasticos passim recurrit. Non ideo tamen appellatio est tam antiqua. Vox enim *actualis* ante Conc. Tridentiuum vix occurrit. Apud S. Thomam gratia quam nunc actualem vocare solemus, vocatur a *motione* in qua consistit. Ita in art. 2. Q. CX Angelicus Doctor ait: « Dupli- « citer ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur: uno modo « in quantum anima hominis *movetur* a Deo ad aliquid « cognoscendum vel volendum vel agendum, et hoc modo « ipse gratuitus affectus in homine non est qualitas, sed « *motus* quidam animae. Alio modo adiuvatur homo ex « gratuita Dei voluntate secundum quod *habituale donum* « a Deo animae infunditur ». Et alibi utramque gratiam ita illustrat: « Cum dicit (Apostolus) " secundum donum gratiae « Dei quae data est mihi secundum operationem virtutis eius „ « tangit auxilium sibi praestitum ad mysteriorum exsecutio- « nem. Huiusmodi autem auxilium duplex fuit: unum qui- « dem facultas exsequendi, aliud ipsa operatio sive actua- » litas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et « gratiam, per quas efficitur homo potens et aptus ad ope- « randum: sed ipsam operationem confert in quantum ope- « ratur in nobis, interius movendo et instigando ad bonum ».[2] Posset itaque gratia actualis vocari *movens;* imo forsan melius haec vox naturam ipsius exprimeret quam appellatio *actualis*.

Gratia habitualis, seu adoptionis filialis, Spiritus Dei et Christi diffusus in corda fidelium, est strictissimo sensu gratum faciens. Unde nil mirum si, uti superius monuimus, gratia actualis interdum adnumerata fuerit donis gratis datis.

Iam vero haec gratia actualis proprie dicta, interna scilicet, ordine psychologico agit in intellectum et in volunta-

[1] *La vie intérieure simplifiée et ramenée à son fondement,* III p., ch. 2. *La grâce,* 1897, VI edit., pag. 245.

[2] In cap. III ad Ephes. lect. 2.

tem; in intellectum, ut illuminet, in voluntatem, ut inclinet. Quae utraque motio magis necessaria apparet in homine nondum habente virtutes infusas fidei et charitatis, quam in homine eisdem iam ornato; et in homine fidem habente, sed charitate destituto, maior apparet necessitas motionis voluntatis. Secus, caeteris paribus, minor apparet necessitas immediatae motionis voluntatis, quum ipsa motio intellectus, ob intimum nexum inter utramque facultatem, iam naturaliter agat in voluntatem. Utramque tamen requiri censemus, quo suavius et harmoniosius totus homo supernaturaliter moveatur ad agendum.

Nec sistit gratia actualis in illuminatione intellectus et inspiratione seu stimulatione voluntatis. Agit insuper motione sua in facultates sensitivas, tum cognoscitivas, imaginationes pias adducendo, tum appetitivas, suaves motus excitando, quibus, ut Augustini verbis utar, Deus « suave facit quod « non delectabat ».[1]

Inde, ad ostendendum quantopere gratia in totum hominem agat, et ope facultatum inferiorum pertingat ad facultates superiores, quarum illae sunt simul praeambulum et figura, solet Scriptura describere eius actionem in nos ope expressionum quae a quinque sensibus desumuntur: « Vacate, « et *videte,* quia ego sum Deus »;[2] « *Audiam* quid loquatur « in me Dominus Deus »;[3] « Christi bonus *odor* sumus Deo »;[4] « Quam dulcia *faucibus* meis eloquia tua, super mel ori meo »![5] « Osculetur me *osculo* oris sui ».[6] Aestimativa pariter insinuatur verbis: « Nos autem *sensum* Christi habemus ».[7] Finis autem gratiae, sive gloria, talibus verbis describitur, ut plenitudinem omnis cognitionis et apprehensionis complectatur

[1] *De pecc. mer. et rem.* l. II, cap. 19. Saepe hac voce « delectationis » utitur S. Augustinus, quin tamen semper intelligendus sit de delectatione sensibili. Quare inefficaciter contra systema quod ab eo nomen accepit, arguunt ex hoc quod non semper delectationem experimur, dum agimus bonum arduum. Sed de hoc melius infra.

[2] Ps. XLV, 11.

[3] Ps. LXXXIV, 9.

[4] II COR. II, 15.

[5] Ps. CXVIII, 103; cf. Ps. XVIII, 10 sq. « Iudicia Domini... dulciora super mel et « favum ».

[6] CANT. I, 1; cf. IEREM. I, 9.

[7] I COR. II. 16

et superet. « Satiabor, quum apparuerit gloria tua ». [1] « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis « tuae potabis eos ». [2] « Oculus non vidit, nec auris audivit, « nec in cor hominis ascendit, quae paeparavit Deus iis, qui « diligunt eum ». [3]

7) De gratia increata et creata.

Haec distinctio insinuatur a S. Thoma *in Corp.* art. I, Q. CX.

Increata gratia est aeterna Dei dilectio, a qua in tempore fluxerunt iugiterque fluunt omnia dona divina creaturis, praesertim in ordine supernaturali, collata. De hac gratia increata ait Christus Nicodemo: « Sic Deus dilexit mundum, etc. ». [4] Haec enim gratia increata summam habet suam expressionem in Incarnatione, qua Filius ipse Dei nobis a Patre datus est. *Creata* gratia complectitur omnia bona in tempore iuxta hanc aeternam dilectionem causata. De gratia increata ait S. Thomas: « Quandoque gratia Dei dicitur ipsa « aeterna Dei dilectio ». De altera « Quamlibet Dei dilectionem sequitur aliquod bonum in creatura causatum quandoque, non tamen dilectioni aeternae coaeternum ». [5]

In Christo coniuncta fuit simul gratia increata et creata summo gradu: scilicet ipsa aeterna dilectio substantialis Dei cum summo opere eiusdem dilectionis, unione hypostica, gratiisque uberrima copia possibili in anima Christi diffusis. Unde Christus Samaritanae mulieri dixit: « Si scires donum « Dei », plenitudinem simul gratiae creatae et increatae complectens, unde pergit: « et quis est, qui dicit tibi », – en gratiam increatam – « da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, « et dedisset tibi aquam vivam »; – en gratiam creatam. [6]

[1] Ps. XVI, 15.

[2] Ps. XXXV, 9.

[3] I Cor. II, 9. Cf. Is., LXIV, 4.

[4] Ioann., III, 16.

[5] Loc. cit.

[6] Ioann., IV, 10. Pulcherrime de Christo, Dei dono, scribit Illmus Gay: « Le Verbe « qui naît du Père et de qui procède l'Esprit, se fera chair et vivra humainement. « En fait là est le don de Dieu, là est la grâce, là est l'état surnaturel qui est le « fond de l'état chrétien. Ce don de Dieu, dont Notre-Seigneur parlait à la Samari- « taine avec un tel accent qu'après vingt siècles les âmes en sont encore divine-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Utramque gratiam increatam et creatam S. Paulus sequenti argumento comprehendit: « Si Deus pro nobis, quis « contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed « pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non etiam « cum illo omnia nobis donavit ».[1]

Utramque pariter gratiam ita pulcherrime exponit S. Leo Magnus: « Diligendo nos Deus, ad imaginem suam nos repa- « rat: et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat, dat « unde ipsi quod operatur, operemur, accendens scilicet « mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae charitatis « inflammans,[2] ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, « diligamus ».[3]

Sed ecce haec ipsa tum S. Pauli tum S. Leonis Magni verba, aliam distinctionem inducunt, de qua iam in dissertatione praevia nonnihil diximus, distinctionem scilicet inter gratiam Dei et gratiam Christi. Antequam autem ad hanc novam distinctionem accedamus, sedulo notandum est, gratiam creatam et increatám se non solum unire in ipso Christo, sed in singulis animis gratia gratum faciente ornatis; tum quia, uti membra Christi, participant de vita ipsius Christi; tum quia gratia gratum faciens appellat novam praesentiam Dei, animam iusti amice inhabitantis.[4] Optime id illustrat Card. Billot: « Donum iustificationis non solo dono gratiae creatae et inhaerentis constat, sed et potissimum dono gratiae

« ment émues, il est là dans sa perfection, il a là toute sa plénitude. Dieu ne s'ap- « partient pas plus a lui-même, qu'il n'appartient désormais à cette humanité « sacrée. Là est la grâce, mais la grâce dans sa vérité la plus haute, dans son plus « sublime exemplaire; la grâce dans la substance, dans son déploiement, dans sa « gloire. La grâce est là, en ce sens que tout ce qui peut décorer, illustrer et embel- « lir un être; tout ce qui fait que Dieu peut se complaire en quelqu'un, il le trouve « ici réuni; et par suite, quels que soient la puissance et le besoin que Dieu mette « en nous d'être charmés, attirés, subjugués, ravis, ce Verbe incarné est à ce besoin « et à cette puissance, un objet plus qu'équivalent, un objet inépuisable. Il est « l'amabilité absolue et la grâce en personne ». *

[1] Rom. viii, 31 sq.

[2] Cf. illud hymni *Veni Creator*: « *Accende lumen sensibus, – Infunde amorem cordibus* ».

[3] *Serm.* i *de ieiun.* x *mensis*, c. 1. – *P. L.*, t. xiv, col. 169.

[4] Quo magis haec inhabitatio Spiritus Sancti uti proprie personalis concipitur, cum Patavio aliisque, eo magis gratia creata ad gratiam increatam appropinquat. Sed de hac quaestione alibi data opera egimus.

* *De la vie et des vertus chrétiennes considérées dans l'état religieux. De la vie chrétienne.* 4 édit., p. 20.

« increatae et inhabitantis, quae est ipse Deus unus et trinus, « sese fruendum dans creaturae. Imo gratia creata non datur « nisi in ordine ad increatam: non enim posset homo vel « quaelibet creatura, habere cum Deo societatem, nisi infun- « derentur ei intrinseca principia operationis et beatitudinis « supernaturalis, quae sunt dona gratiae habitualis ».[1]

Adde, non solum a gratia increata omnes gratias derivari, sed in illam tamquam ultimum finem tendere, ita ut gratia increata sit simul *alpha* et *omega* totius ordinis gratiae.

8) De gratia Dei et gratia Christi.[2]

Est, uti patet, distinctio gratiae creatae. Ratio autem huius distinctionis non una est. Gratia *Dei* est gratia quae a Deo confertur sine relatione dependentiae a gratia Christi. Gratia autem *Christi*, seu gratia collata cum relatione dependentiae a Christo, potest subdividi in gratiam Christi Dei-Hominis et gratiam Christi Redemptoris.[3]

Si, quemadmodum nonnulli theologi existimant, unio hypostatica fuit primum opus a Deo intentum, independenter a praevisione peccati originalis, tunc omnes homines absolute, imo omnes Angeli, ita ad Christum Hominem-Deum ordinati sunt, ut nulla gratia illis praedestinata sit, nisi intuitu Christi venturi. In hac igitur sententia nulla est gratia Dei, quae non sit etiam gratia Christi: Dei efficaciter et exemplariter, pro Angelis et primis parentibus; Christi-Redemptoris exemplariter et meritorie, pro hominibus reparatis.

E contra, si cum S. Thoma tenemus sententiam iuxta quam decretum incarnationis subordinabatur praevisioni

[1] *De Deo Uno et Trino*, II, p. III, c. 2, § 2, Thes. XLII, coroll. 1.

[2] Melius ita ponitur divisio quam si dicatur, uti facit cl. VAN NOORT,* « Gratia « originalis et gratia Redemptoris »; nam istae duae appellationes materialiter quidem recte dividunt, non autem formaliter. Redemptor enim est causa efficiens gratiae quae ei assignatur, non autem iustitia originalis. Rectius diceretur: gratia status originalis et gratia status reparati.

[3] De gratia Christi egregie scribit cl. DE BAETS in laudato opere *'t Lied des Levens. Het doode menschdom herleeft in Christus* (Genus humanum emortuum reviviscit in Christo), p. 131 sqq.

* *De gratia*, n. 4.

peccati originalis, alia datur oeconomia gratiae Dei, complectens Angelos et protoparentes usque ad lapsum; alia oeconomia gratiae Christi-Redemptoris, genus complectens reparatum. Humana enim nostra omnia, absque peccato, Verbum incarnatum suscepit, ut ad divina sua nos attraheret, Patrique secum in aeternum coniungeret. Profunde Augustinus: « Factus est homo qui non erat, non amittendo quod « erat: ita factus est Homo-Deus. Ibi habes aliquid propter « infirmitatem tuam; ibi habes aliud propter perfectionem « tuam. Erigat te Christus per id quod homo est; ducat te « per id quod Deus-Homo est; perducat te ad id quod Deus « est ».[1] Hanc esse pro hominibus praesentem oeconomiam, scilicet gratiae Dei per merita Christi, apertissime constat iuxta verba Symboli: « Qui propter nos homines et propter « nostram salutem descendit de caelis ». Ita Conc. Trid., Sess. VI, c. 7, ait: « Huius iustificationis causae sunt ... effi- « ciens: misericors Deus...; meritoria autem: dilectissimus « unigenitus suus D. N. I. Chr., qui, quum essemus inimici, « propter unicam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctis- « sima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, « et pro nobis Deo Patri satisfecit ... ». « Quamquam ... nemo

[1] *In Ioann. Tract.* XXIII, 6. Quae verba optime Abbas Marmion praemisit recentissimo suo libro cui titulus: *Le Christ dans ses mystères.* Mirabilem synthesim Christi ita pulchre describit Lamennais: « Qu'est-ce que le Christ? Le Verbe *fut* « *chair*, le Dieu-Homme, l'être en qui l'amour substantiel a consommé l'union du « fini et de l'infini et qu'il pénètre, qu'il anime, comme il anime Dieu lui-même. Le « Verbe est descendu jusqu'à l'humanité, l'humanité s'est élevée jusqu'au Verbe. « Sous cette forme visible, expression de notre nature, resplendit la forme incréée, « inaccessible aux sens, en qui se contemple le souverain Etre et par laquelle il se « connaît. Le Créateur et la Création, que l'homme résume en soi, sont là tout en- « semble distincts et un, celui-là incorporé dans son œuvre, celle-ci spiritualisée « dans son exemplaire éternel. C'est le Beau complet, le Beau dans ses rapports « avec le Vrai et le Bien ». *

* *De l'Art et du Beau. Considérations préliminaires.* Et in oppositione ad Christum hanc Satanae eloquentem descriptionem facit. « Le Beau dans ses rap- « ports avec le faux et le mal, le Beau séparé de Dieu ou correspondant à l'indivi- « dualité pure, a son type dans Satan, la plus parfaite des natures créées, mais la « plus éloignée de Dieu, la plus perverse, la plus souffrante. La forme reste avec « sa beauté essentielle, impérissable, et l'on frémit en la voyant. Le mal est là, « l'idéal du mal incarné dans cette forme. Les ténèbres rayonnent de cette face; « la haine scintille dans ces yeux, l'orgueil inflexible siège sur ce front. Cette « forme ravissante, isolée du Créateur, isolée de la Création, est suspendue dans le « vide comme un météore effrayant » (Ibid.).

« possit esse iustus, nisi cui merita passionis D. N. I. Chr. « communicantur... ». Et can. 10: « Si quis dixerit homines « sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari... « a. s. ».[1]

Hic autem sedulo observa. Potuisset Deus ita concipere opus redemptionis, ut Filius Dei incarnatus pretium pro toto humano genere et pro singulis hominibus solvisset; homines autem post acceptum reparationis beneficium, iam reliquas gratias a Deo accepissent, uti in statu integro. Sed aliter Deus gratiarum oeconomiam instituit. Voluit enim nullam ad homines reparatos gratiam derivari, nisi a Christo et per Christum.[2] Unde gratia Christi non exprimit dumtaxat ipsam gratiam redemptionis et reparationis, sed omnes prorsus gratias per merita Christi acquisitas.

Quare gratia Christi complectitur omnes gratias ordinis reparatae salutis. Idque non solum quia nulla confertur absque relatione ad opus Christi, sed quia vita membrorum derivatur a vita capitis, vita ramorum a vita vitis, iuxta sententiam Ioannis: « De plenitudine eius nos omnes acce- « pimus, et gratiam pro gratia »;[3] et ipsius Christi: « Ego « sum vitis, vos palmites...; sine me nihil potestis facere ».[4]

Quae Christi verba de vite et palmitibus ita eloquenter illustrat Augustinus: « O magna gratiae commendatio! « Corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Si exi- « stimas a teipso fructum ferre, in vite non es, in Christo « non es; si in Christo non es, Christianus non es. Haec « sunt profunda submersionis superbiae. Noli putare saltem « parvum aliquem fructum posse te ferre. Non ait Christus: « " quia sine me parum potestis facere ,, ; sed " nihil potestis « facere ,, . Sive ergo parum sive multum, sine Christo facere « non potes, sine quo nihil facere potes ».[5]

[1] Caeterum, quum Christus sit simul Deus et homo, gratia Christi-Dei est etiam efficienter Christi-Dei Hominis meritorie.

[2] Cf. seriem collationum LACORDAIRE: *De l'économie providentielle de la réparation* (anno 1851) *Conf.* LXVII-LXXIII.

[3] IOANN., I, 16.

[4] IOANN., XV, 5. - De hoc sublimi argumento lege concionem Lacordaire, cui titulus: *De l'incorporation du Fils de Dieu à l'homme et de l'homme au Fils de Dieu. Conf.*, LXXIII.

[5] *In Ioann.* Tract. LXXXI, 1-3. Optime LAFORET: « Dans l'ordre da salut nous ne « pouvons absolument rien de nous-mêmes sans la grâce de Dieu; la grâce nous

Sed omnes istae gratiae Christi sunt simul gratiae Dei, iuxta verba quae paulo superius Iesus dixit: « Ego sum vitis « vera, et Pater meus agricola est ».[1] Unde totum opus Christi et Dei opus est, et totum Dei per Christum. Pulchre pergit Augustinus: « Nam etsi parum attulerit palmes, eum « purgat agricola ut plus afferat: tamen, nisi in vite manserit « et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso « non potest ferre ».[2]

Utrumque Ecclesia praedicat, quotiescumque preces ad Deum directas claudit formula: per D. N. I. Chr., vel per Chr. D. N. Sed et explicite hunc influxum Christi saepissime proclamat. In solemnitate Natalitia canit: « Concede, quae- « sumus, omnipotens Deus; ut nos Unigeniti tui nova per « carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta « servitus tenet ». Et in Maiori Hebdomada: « Adiuva nos, « Deus salutaris noster: et ad beneficia recolenda, quibus « nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes ». - « Tua nos misericordia, Deus, et ab omni subreptione vetus- « tatis expurget, et capaces sanctae novitatis efficiat ».[3] Et post solemnitatem Paschatis totam Redemptionis oeconomiam in redivivi Christi triumpho absolutam hac pulcherrima invocatione depingit: « Deus, qui in Filii tui humilitate « iacentem mundum erexisti ».[4]

Ad hunc effluxum gratiae Christi in nos efficacius exprimendum ac simul intimum consortium quod inde oritur inter fideles ad invicem, Christus in altaris sacramento non solum redemptricem suam passionem incruento ritu innovavit, sed nobis cibum tribuit et potum, quo ipsi incorporemur,

« est nécessaire pour commencer, continuer et achever toute œuvre salutaire, pour « croire aussi bien que pour espérer et aimer comme il faut. Et comme depuis la « chute nulle grâce n'est accordée aux hommes que par le divin Réparateur Jésus- « Christ et en vertu de ses mérites, il s'ensuit que dans l'ordre de salut ou du notre « vraie fin, nous ne pouvons rien sans Jésus-Christ. De là cette parole du Sauveur, « si souvent répétee par les Conciles et par les Docteurs de l'Eglise: *Sans moi « vous ne pouvez rien faire* ». *

[1] Ioann., xv, 1.

[2] Ibid.

[3] Fer. ii et iii.

[4] Dom. ii post Pascha.

* Op. cit. loc. cit., p. 179.

ipsius spiritu animemur.[1] Huc faciunt pulcherrima verba Augustini: « Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi « non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de « Spiritu Christi.[2] De Spiritu Christi non vivit nisi corpus « Christi ». Et magnum hoc mysterium eleganter et modo populari ita illustrat: « Intelligite, fratres, quid dixerim. Homo « es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quae « anima vocatur, qua constas quod homo es, - constas enim « ex anima et corpore, habes enim spiritum invisibilem et « corpus visibile; - dic mihi, quid ex quo vivit? Spiritus tuus « vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Re- « spondet omnis qui vivit, - qui autem hoc non potest « respondere, nescio si vivit; - quid respondet omnis qui « vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo ».[3] Et concludit: « Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore « esto Christi ». Et pergit S. Doctor, eadem comparatione utens, ad illustrandam mysticam unitatem quae inde inter Christi membra exsurgit: « Numquid enim corpus meum « vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum « de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi nisi de « Spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis Apostolus « Paulus hunc panem: " Unus panis, inquit, unum corpus « multi sumus ,, ». Et post sublimem exclamationem: « O sacra- « mentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! » in has fervidas exhortationes prorumpit: « Qui vult vivere, « habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivi- « ficetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit « putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum « de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum:

[1] Ad hanc corporis mystici Christi unitatem iam appellat *Didachè* loquens de Eucharistia.* Unde mirum, ex hoc loco Henslow argumentum desumpsisse ut contra antiquitatem doctrinae de transsubstantiatione argueret.**

[2] Cf. pulchram collationem Abbatis Marmion: *L'Esprit-Saint, Esprit de Jésus* (*Le Christ vie de l'âme,* VI, p. 145 sqq.).

[3] Habes hic praeclarum exemplar genialis et eloquentissimi modi quo Augustinus captui sat rudis populi altissimas veritates aptare studebat.

* « Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est « unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum ».

** *The vulgate the source of false doctrines,* Ch. VIII. *Saviour and the Eucharist,* p. 59 sq. Quanta audacia hic liber scriptus sit, ipse titulus abunde demonstrat.

« haereat corpori, vivat Deo de Deo.[1] Nunc laboret in terra, « ut postea regnet in caelo ».[2]

Idipsum piissime orat S. Thomas: « O mitissime Deus, da « mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, « quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere ut corpori « suo mystico merear incorporari et inter eius membra « connumerari ». Quod autem altiori modo de nobilissimo sacramento eucharistico, valet et de aliis utpote de tot canalibus per quos Christi vita per Spiritum Christi ad fidelium animas derivatur; quin et per Baptismum initium producitur istius vitae supernaturalis quae comprehenditur per gratiam Dei et Christi.

Realitatem huius corporis mystici Christi optime vindicat Card. Mercier. « Sans doute, ce Corps nous l'appelons " mys- « tique ", c'est-à-dire d'une nature mystérieuse, parce qu'il « est uni au Christ par des liens qui échappent aux regards « de notre expérience sensible. Mais, de même que notre « âme spirituelle, pour être invisible, n'en est pas moins « réelle, et plus réelle que le corps qu'elle anime, attendu « que le corps tient d'elle et son être, et sa vie, et sa moti- « lité; de même la société des enfants de Dieu qui compose « l'Eglise, est réellement le Corps du Christ, attendu que « seul l'Esprit du Christ est capable de lui donner et son

[1] Tota eucharistica fides Augustini hac brevissima formula continetur. Unde valde imperfecte, ne peius dicam, Augustinum legunt illi qui, ex hoc quod altissimus ille theologus in ipso mysterio spiritum vivificantem saepius illustraverit, de vera Christi in altaris sacramento praesentia minus clare eum cogitasse praesumunt. Hanc fidem uti inconcussam Augustinus ubique supponit. Inde dicit: « Accedat, credat ». Quid, nisi cibum esse tantopere divinum ut, qui eum digne sumit, vivat « Deo de Deo »?

[2] *In Ioann.*, tract. xxv, post med. Necessitatem huius mysticae unionis membrorum cum Christo ita bene exponit Rev. Philippus Trucco: « Sebbene la reden- « zione di Cristo sia *universale* quanto alla *sufficienza* ed alla *destinazione,* i sin- « goli uomini non sono effettivamente salvati se non diventano *membri mistici* di « Gesù Cristo e non ricevono l'applicazione dei meriti di lui ». * Et quinque redemptionis elementa constitutiva: dignitatem personalem Dei-Hominis, Crucis sacrificium et pro hominibus oblatum, omnibus destinatum et mysticis membris applicatum, illustrat expressa in celebri sententia, quam Christus Nicodemo protulit: « Sic « Deus dilexit mundum ... ». **

* *Gesù supremo benefattore degli uomini.* Sarzana, Collegio della Missione, 1918, p. 49.

** Ioann., iii, 14-18.

« être surnaturel, et cette vitalité et cette motilité d'ordre « supérieur, qui lui sont propres, fruit de la grâce ici-bas, « de la gloire dans l'éternité ».[1]

Nec minus fortiter item evolvit doctus et pius D. Lambertus Bauduin O. S. B: « Faute d'avoir été bien comprise, « cette expression (Christus mysticus) éveille parfois un « scepticisme défiant, malgré l'ineffable et féconde réalité « qu'elle renferme. De l'union des Chrétiens avec le Christ « résulte un être nouveau; saint Paul dira "une personne « nouvelle",[2] le Christ mystique.

« L'Esprit-Saint, par de multiples analogies, veut nous « faire entendre ce mystère de la vie de la grâce ». Et allatis variis Christi et Pauli sententiis, pergit: « Ce langage mys- « térieux nous fait entrevoir la profonde réalité d'une vie « nouvelle que prend le Christ dans nos âmes. Cet être « nouveau, par opposition au Christ naturel, s'appelle le « Christ mystique. Ce mot n'est pas opposé à reel; c'est au « contraire une realité transcendante, une semence d'éternité « pour notre âme et pour notre corps; mais échappant com- « plètement à une perception sensible, force nous est de « recourir à de pauvres métaphores, qui laissent notre « langage impuissant ». Unde consequens deducit summi momenti: « Le secret de la vraie piété est dans la parfaite « intelligence et réalisation de cette vérité: le Christ vivant « dans les âmes, y reproduisant les phénomènes de sa vie « terrestre, faisant de nous d'autres Christs ».[3]

Hunc influxum pariter exprimit sponsalis relatio quae existit non solum inter Christum et Ecclesiam, iuxta psalmum *Eructavit,* Canticum Canticorum et doctrinam Apostoli de matrimonio christiano,[4] sed inter Christum et singulas animas; quae relatio in professione virginitatis specialem induit eloquentiam. Paulus enim ait: « Despondi vos uni viro, vir- « ginem castam exhibere Christo ».[5] Porro, sicuti sponsa a

[1] Op. cit., p. 67.

[2] Gal. iii, 28.

[3] *Notre piété pendant l'Avent,* p. 43 sq. Unde idem auctor excellentiam orationis collectivae atque liturgicae eloquenter deducit (p. 11 sqq.).

[4] Ephes., v.

[5] ii Cor., xi, 2. De Ecclesia Christi sponsa praeclare Augustinus scribit: « Donec « veniat ad amplexus illos spiritales, ubi secure perfruatur eo quem dilexit et cui

sponso fecundatur, sic anima Christiana omnem suam spiritualem fecunditatem accipit a Christo per Ecclesiam, quae ideo Mater nostra vocatur, quia ex ea nos Deo genuit Christus.[1]

Unctio enim spiritalis, a qua Redemptor nomen suum tenet,[2] a Christo ad omnes derivat. Unde nomen Chrstiani non solum significat Christi sodalem, sed Christi unctione perfusum. Eodem quippe potamur fonte qui de Christi latere profluxit et quem Christus de se exiturum promisit: « Si quis « sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit « Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae ».[3] Hinc cecinit Isaias: « Haurietis aquas in gaudio de fontibus « Salvatoris ».[4] Hinc Spiritus vocatur simul « Fons vivus » et « spiritualis unctio ».

Pulchre S. Augustinus totam hanc doctrinam his verbis comprehendit. « Appareat itaque nobis in nostro Capite ipse « fons gratiae unde secundum uniuscuiusque mensuram se « per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio « fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo « ille ab initio suo factus est Christus, de ipso Spiritu et hic

« suspiravit in ista diuturna peregrinatione, sponsa est: et accepit arrham ma- « gnam, sanguinem Sponsi, cui secura suspirat. Nec illi dicitur: Noli amare, quo- « modo dicitur aliquando virgini iam desponsatae et nondum nuptae, et iuste dici- « tur ... quia non castum ... amare eum cui nescit an nubat ... Quia vero nullus alius « est qui Christo praeponatur, secura amet ista; et antequam illi iungatur, amet, « et de longinquo suspiret; et de longa peregrinatione solus ducet, quia solus talem « arrham dedit ». *

[1] Quum Ecclesia sit Sponsa Christi, officium et dignitatem peculiarem habet ipsa oratio Ecclesiae, uti Sponsae. Unde devotio liturgica excellentiam suam derivat. De qua « Voce Sponsae » pulchre scribit laudatus Abbas Marmion.** Optime affirmat D. Lambertus Bauduin: « Livrons-nous à l'action de la Sainte Eglise; en » un mot, vivons le *mystère de la hiérarchie;* c'est la source première et indispen- « sable de la véritable piété catholique ... ».***

[2] Hinc Christus (Luc., IV, 18) sibi attribuit verba Isaiae LXI, 1. - Cf. illud Psalmistae: « Unxit te, Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis » (Ps. XLIV, 8); et verba Petri praedicantis « Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto » (ACT., X, 28).

[3] IOANN., VII, 37 sq. – Cf. Is., XLIV, 3; etc. – Unde in Psalmo canitur: « Fluminis « impetum laetificat civitatem Dei » (Ps. XLV, 5).

[4] Is., XII, 3.

* *Enarr.* in ps. CXXII, 5. – *P. L.*, t. XXXVII, col. 1633. - Pulcherrima pariter de hoc argumento habet in enarratione in ps. XLIV.

** Op. cit., p. 442 sqq.

*** *Notre prière pendant l'Avent,* p. 12 sq.

« renatus, de quo ille natus ».[1] Iure optimo inde a Paulo Christus appellatur: « Primogenitus omnis creaturae ... et ipse est « ante omnes ».[2] Prophetice de hac unione canit Psalmista: « O quam bonum et iucundum habitare fratres in unum! Sicut « unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam « Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros « Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic manda- « vit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum ».[3]

[1] *De praedest. SS.*, c. 15. De Ecclesia corpore Christi nullus Doctor plenius scripsit Augustino. Plura ex eo nuper collegit cl. Batiffol in sua dissertatione sane egregia cui titulus: *Synthèse antidonatiste de saint Augustin.** Doleo tamen eruditum scriptorem hic illic quaedam duriora de Augustino dixisse, sicut sunt verba sequentia: « Job et la Sybille » (quos S. Doctor « non terrena sed cælesti « societate » ad civitatem Dei pertinuisse proclamat **) « sont, j'en ai peur, pour « Augustin des exceptions rarissimes. N'oublions pas qu'Augustin professera, contre « les Pélagiens, l'erreur que les païens n'ont pas de vertus ». *** Hoc falsum esse, superius illustravimus. Nec placet alia assertio: « La doctrine de l'âme de l'Eglise « n'est pas une doctrine dans laquelle pouvait se complaire le docteur qui, com- « battant le schisme donatiste, a tant appuyé sur la necessité de l'Eglise visible et « de la *Communio Sacramentorum* ». **** Imo, nonne Augustinus aperte dicit, non haereticis esse adnumerandos illos, qui, parentum culpa in Donatistarum castris nati, veritatem sincere quaerunt? ***** Zelus pro unitate Ecclesiae visibilis, quem in hac controversia Augustinus tam salubriter exercuit, nullatenus obest doctrinae de Ecclesiae anima, quam non solus Augustinus non reiecit, - quod ipse Battiffol fatetur, - sed cuius fuit praeco insignis, imo forsan tam princeps, ut iure dici possit cum Specht, ****** formulam « Ecclesiae animam » esse Augustinianam. Caeterum ipse Batiffol in pulcherrima suae dissertationis conclusione Augustini mentem ita exponit: « Dieu a ses prédestinés parmi les ennemis actuels de l'Eglise. Au regard « de la prédestination divine, beaucoup qui sont actuellement hors de l'Eglise lui « appartiennent, en tant qu'ils sont prédestinés. Ils sont hérétiques de nom, mais « Dieu sait qu'ils feront leur salut, et pour lui en puissance ils sont ce qu'ils seront. « Ils n'appartiennent pas à la *Catholica* visible, peut-être ne lui feront-ils pas retour « avant de mourir (Augustin du moins ne le prévoit pas), ils appartiennent néan- « moins à l'Eglise invisible des Saints (nous dirions: à l'âme de l'Eglise), à l'Eglise « définitive des prédestinés, à l'épouse sans tâche et sans ride, à la colombe, au « jardin fermé, à la source scellée, au puits d'eau vive, au paradis planté d'arbres « couverts de fruits ». *******

[2] Col. I, 15, 17.

[3] Ps. CXXXII.

* *Revue Biblique*, n. 3 et 4, 1919, p. 305 sqq.

** *Civ. Dei*, l. XVIII, 47, 23.

*** Ibid., p. 335.

**** Ibid.

***** *Epist.* XLIV.

****** Ibid.

******* Ibid., p. 348 sq. Et citat notissima illa verba. « In illa ineffabili praescien- « tia Dei, multi qui foris videntur, intus sunt, et multi qui intus videntur, foris sunt » (*De bapt.*, V, 3, 8); et illa: « Quam multae oves foris? etc. » (*In Ioannem*, XLV, 12).

Utrumque adspectum gratiae Dei et Christi, necnon gratiae creatae et increatae, Ecclesia intuetur quando beatam Deiparam Virginem invocat: « Matrem divinae gratiae ».[1] His enim verbis significat, eam esse Matrem Illius qui, uti Deus, est auctor totius gratiae, et, uti Deus-Homo, est simul suprema gratia humano generi facta, et mediator omnis gratiae creatae a Christo et per Christum ad singula Christi membra derivatae. Sed et aliquid amplius hac appellatione contineri pie creditur: Mariam scilicet, ex singulari privilegio divinitus ei a Filio et per Filium collato, in redemptionis oeconomia dispensatricem esse gratiarum quae de Corde Filii sui in Christi fratres, indeque in Mariae filios defluunt:[2] quasi Ecclesia praedicet, per Deiparam nobis hauriendum esse de praedictis fontibus Salvatoris.[3] Quare

[1] Unde, si iure Maria praedicatur electa in Dei Matrem, praedicari potest electa in humani generis salutem, iuxta dictum Ambrosii: « In Veteri Testamento virgo « Hebraeorum per mare duxit exercitum; in Novo Testamento Virgo generis aula « caelestis, electa est ad salutem ».* Quam Ecclesia salutandam invitat:

Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptae plaudite. **

[2] De hoc argumento Cl. Van Crombrugghe, in egregio opere cui titulus: *Tractatus de B. Virgine Maria* sequentem propositionem evolvit: « B. Virgo generatim « in negotio reparationis consociata est Christo, sicut olim in re perditionis Eva « consociabatur Adamo: in specie, cum et sub Christo universali fungitur media- « tione tum in opere Redemptionis, tum in fructuum eiusdem operis dispensatione: « quapropter, merito et " reparatrix nostra ,, et " princeps elargiendarum gratiarum « ministra ,, vocatur. Est autem et mater adoptiva nostra ».*** Hinc tenerrimae illae orationes « Sub tuum praesidium » et « Memorare ». Hinc et in antiphona liturgica « Salve Regina » Maria invocatur « vita,**** dulcedo et spes nostra », a quibus laudibus male intellectis frigidi Protestantes pharisaicum scandalum accipere solent.*****

[3] Loc. cit. Cf. quae de devotione erga SS. Cor Iesu scripsimus in nostro tractatu *De Deo-Homine,* t. II. Nuperrime de eodem Christi mysterio optime scripsit Abbas Marmion, *Le Christ dans ses mystères - Le Cœur du Christ,* p. 500 sqq.

* *Epist. ad Siric. Pap.*

** Hymn. ad Laudes B. M. V.

*** *Prop.*, XVII, p. 173 sqq.

**** Cf. Card. Deschamps, *La nouvelle Ève ou la mère de la vie.*

***** De Mariae excellentia et privilegiis, cfr. S. Alphonsus, *Le glorie di Maria ;* Lepicier, *Tractatus de B. Virgine Maria ;* Herzog, *La Sainte Vierge dans l'histoire ;* Terrien, *La Mère de Dieu,* etc. etc. Cf. et quae de B. V. Maria scripsimus in tomo V nostrae *Summae theologicae.*

hic titulus et « in laudem gloriae gratiae » [1] Christi redundat.

Placet de hoc suavi argumento gravem audire Bossuetium: « C'est par Marie que la grâce nous est distribuée, « pour combattre l'opinion de ceux qui nous blâment d'ho- « norer la Vierge comme Mère de Dieu. Ils voudraient « établir une secrète jalousie entre Dieu et la créature, à « cause de l'honneur que nous rendons aux Saints. Gens peu « versés dans l'Ecriture, esprits grossiers et pesants dans « leur prétendue subtilité, qu'ils écoutent sainte Elisabeth. « Elle ne dit pas: " D'où me vient ce bonheur que mon Sei- « gneur vienne à moi „, mais " que la Mère de mon Seigneur « vienne à moi? „. " Sitôt, dit-elle, que la la voix de votre « salutation est venue à mes oreilles, l'enfant que je porte a « tressailli „. Ainsi Marie contribue aux opérations de la « grâce dans nos cœurs; et loin de faire injure à la grâce « en attribuant cette prérogative à Marie, c'est au contraire « honorer la grâce, parce que c'est d'elle que la Vierge tire « toute son excellence ». [2]

[1] EPHES., I, 6.

[2] *Entretien familier pour la fête de la Visitation.* Placet de mirabili praedestinatione B. V. Mariae eiusque altissimo munere audire et gravem Petrum Corneille almam Deiparam hoc tenerrimo carmine alloquentem:

Avant que du Seigneur la sagesse profonde
Sur la terre et les cieux daignât se déployer;
Avant que du néant sa voix tirât le monde,
Qu'à ce même néant sa voix doit renvoyer,
De toute éternité sa prudence adorable
Te destina pour Mère à son Verbe ineffable,
A ses anges pour reine, aux hommes pour appui;
Et sa bonté dès lors élut ton ministère
Pour nous tirer du gouffre où notre premier père
Nous a d'un seul péché plongés tous avec lui.

Unde pie exclamat:

Ouvre donc, Mère-vierge, ouvre l'âme à la joie
D'avoir remis en grâce et nous et nos aïeux:
Toi-même applaudis-toi d'avoir ouvert les cieux,
D'en avoir aplani, d'en avoir fait la voie.
Les hôtes bienheureux de ces brillants palais
T'offrent et t'offriront tous ensemble à jamais
Des hymnes d'allégresse et de reconnaissance;
Et nous, que tu défends des ruses de l'enfer,
Nous y joindrons l'effort de l'humaine impuissance
*Pour obtenir comme eux le don d'en triompher.**

* *Louange à la Ste Vierge.*

Ex hac doctrina fluit excellentia et summa utilitas devotionis filialis erga Virginem Deiparam, quum haec devotio non solum tantae Matris conciliet amorem et iuvamen; sed, ipsi eius divino Filio gratissima, provocet filialem eius erga dilectissimae Matris cultores affectum et benevolentiam.[1]

Id totum eleganti comparatione exprimebat beatus Vianney: « L'homme était créé pour le ciel; le demon a brisé « l'échelle qui y conduisait. Notre-Seigneur, par sa passion, « nous en a reformé une autre; il a ouvert la porte. La très « Sainte Vierge est au haut de l'échelle, qui la tient à deux « mains et qui nous crie: " Venez, venez! „ ». Et pie addit: « O la belle invitation! Que l'homme a une belle destinée! « Voir Dieu, l'aimer, le bénir, le contempler pendant l'éter- « nité! ».[2]

Iuvat hanc expositionem de gratia Dei et Christi claudere syntheticis verbis S. Augustini. Postquam in Christo ostendit exemplar praedestinationis, S. Doctor pergit: « ... Si- « cut praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, « ita multi praedestinati sumus, ut membra eius essemus. « Humana hic merita conticescant, quae perierunt per Adam; « et regnet quae regnat Dei gratia per Iesum Christum ».[3]

Porro inter utramque gratiam Adamo integro, iuxta sententiam quam in tractatu nostro de Deo-Homine exposuimus, et homini lapso collatam, sequentia discrimina apparent. *a*) Ille erat subiectum negative nullo merito suo dignum, hic est demerito positive indignus. *b*) Ille gratiam accepit simpliciter gratuitam, hic sibi gratuitam, sed Christi merito stricto partam. *c*) Illi Deus ex mera benevolentia gratiam contulit, huic insuper ex misericordia. *d*) Demum illi gratia solum ad elevationem, huic insuper ad sanationem est collata. Quod ultimum discrimen nos ad sequentem divisionem conducit.

Corollarium I. - Ex dictis in hac distinctione patet, non uti undequaque synonyma sumenda esse nomina *Sanctifi-*

[1] Cf. quae hoc argumento nuper pulchre scripsit Abbas Marmion (op. cit., p. 537 sqq.).

[2] *L'esprit du Curé d'Ars,* p. 247.

[3] *De praedest. SS.,* c. 15.

catoris et *Redemptoris*. Bene Suarez: « In nomine *Sancti-* « *ficatoris* cavenda est aequivocatio, si cum nomine *Redem-* « *ptoris* confundatur. Haec enim nomina proprie sumpta « diversis rationibus Deo conveniunt: nam esse Sanctifica- « torem, ad Deum, ut Deus est; esse vero Redemptorem, « ad ipsum, ut Deus-homo est, spectat. Unde Sanctificatorem « esse, commune est tribus personis; esse vero Redempto- « rem, proprium est incarnati Verbi.[1] Illud etiam non so- « lum hominibus, sed etiam Angelis; hoc vero solis homi- « nibus,[2] et non in omni statu, sed tantum lapsae naturae « Deus exhibet ».[3]

Corollarium II. – Ex modo quo distinctionem exposuimus inter gratiam Dei et gratiam Christi, sequitur 1) nullam esse gratiam Dei quae non sit etiam gratiam Christi; 2) ita autem Christum esse causam meritoriam gratiarum, ut earumdem distributio a summa, liberrima Dei voluntate pendeat. Quod Scripturae ipsius Christi ore proclamant. Imo altissimum praedestinationis mysterium a Patris sui beneplacito dependere, Christus aperte significavit.

Non leviter proin erravit Malebranchius, quando, ad praedestinationem facilius explicandam, hunc ordinem invertere studuit.[4] Audiatur quomodo Christum loquentem inducat: « Il est indifférent que ce soit Pierre ou Jean qui fasse « un tel effet dans mon temple, lorsque j'agis en qualité

[1] Nisi latiori sensu, quatenus Pater dedit nobis Filium, ut esset, assumpta nostra natura, humani generis Redemptor.

[2] Adverte duplicem respectum valde diversum: influxum gratiae Christi Dei-Hominis in gratiam Angelorum; et influxum Christi Redemptoris in gratiam Angelorum. Qui hunc negat, nullatenus ideo negat et illum.

[3] *Tract. de gratia. Proemium,* p. IX.

[4] En quomodo Fenelonius mentem Malebranchii contrahit: « Jésus-Christ ne « fait pas seulement la perfection de l'ouvrage par sa propre excellence, qu'il com- « munique au tout, il fait encore cette perfection en conservant la simplicité des « lois générales, étant établi par son Père comme l'unique cause occasionnelle de « toutes les grâces. Il les fait répandre sur tous ceux pour lesquels il prie en par- « ticulier, et il sauve ainsi tous ceux qui sont sauvés, sans qu'il en coûte à son « Père des volontés particulières.

« Jésus étant donc établi médiateur ou cause occasionnelle de toutes les grâces « que Dieu distribue, sa prière est ce qui détermine toujours Dieu à donner la « grâce aux hommes. Mais comme Jésus-Christ, en tant qu'homme, est une créa- « ture d'une puissance bornée, il ne peut prier pour tous les hommes. Ceux pour « lesquels il prie en particulier, pour les faire entrer dans le dessein de son édifice

« d'architecte, et non de chef de l'Église; je ne forme point « mes désirs sur tels ou tels matériaux en particulier, mais « sur l'idée que j'ai de certaines propriétés dont l'âme en « général est capable, desquelles j'ai une connaissance par- « faite. J'agis comme un architecte qui, pour exécuter le « dessein qu'il s'est formé, désire des colonnes d'une cer- « taine pierre en général, et non point d'une telle masse « en particulier ».[1]

Ad quae, inter alia, optime reponit Fenelonius: « Cette « élection ne peut venir de Jésus-Christ, puisque c'est par « cette élection que nous sommes donnés à Jésus-Christ. « Jésus-Christ ne prend pas ceux qu'il lui plaît, mais ceux « "que son Père lui donne; tout ce que son Père lui donne « vient à lui; et celui qui vient à lui, il ne le rejette pas. « Personne, dit le Fils, ne peut venir à moi, si mon Père « qui m'a envoyé, ne l'attire ". Cette prédestination gratuite « de la grâce, par laquelle nous sommes appelés à la foi « en Jésus-Christ, est donc tout entière de la part de Dieu ».[2]

Et paucis interiectis, eleganter addit: « Si je veux suivre « le système de l'auteur, et conclure, selon son principe,

« spirituel, ont la grâce; ceux pour lesquels il ne prie pas, en sont privés, et péris- « sent.

« A la vérité, Dieu, par une volonté générale, veut que tous soient sauvés et « reçoivent la grâce; mais comme il ne pourrait la donner à tous, indépendamment « de la cause occasionnelle qui est Jésus-Christ, que par des volontés particulières, « il est plus parfait à Dieu de laisser périr tous ceux qui périssent, que de former « en leur faveur des volontés particulières.

« Mais comment est-ce que Jésus-Christ se détermine à prier pour les uns plutôt « que pour les autres? C'est sur quoi je ne veux pas dire quel est le sentiment de « l'auteur, de peur qu'il ne se plaigne que j'ai formé des fantômes pour les com- « battre. Il dit que Jésus-Christ prie selon que l'ordre le demande, selon que l'édi- « fice spirituel que Dieu veut élever, a besoin de pierres vivantes. Quand Jésus- « Christ voit que Dieu a besoin en cet édifice de dix avares, il les demande, et ils « sont convertis. Quand il a besoin de dix ambitieux, il prie de même en leur faveur, « et sa prière attire leur conversion.

« Ainsi, on pourrait douter si l'auteur veut que Jésus-Christ choisisse selon « son bon plaisir les hommes pour lesquels il prie, ou bien s'il est déterminé à « prier pour ceux dont l'ordre inviolable lui montre que l'édifice a besoin; comme « on voit qu'un architecte tantôt choisit les pièces qu'il lui plaît, et tantôt est as- « sujetti à en prendre quelques unes d'une certaine figure plutôt que d'autres, par « rapport au dessein qu'il a formé, et à l'ordre qu'il doit donner à son ouvrage ».*

[1] *Médit.* XIV, n. 15. Cf. *Médit.* XII.

[2] Op. cit., cap. XXVIII.

* *Réfutation du syst. du P. Malebr. sur la nature et la grâce,* ch. 1.

« que la source de la prédestination est dans la volonté « humaine de Jésus-Christ, je ne puis plus dire: " O profon- « deur de la sagesse de Dieu! „ mais seulement: " O profon- « deur de la sagesse humaine de Jésus-Christ!„ ». Unde recte concludit: « Si on soutient que l'âme de Jésus-Christ a prié « pour un homme plutôt que pour un autre, sans être déter- « minée à ce choix par le Verbe, on renverse le mystère « de la prédestination ».

Et alibi haec scribit: « Il ne s'agit pas de savoir si l'âme « de Jésus-Christ a pu choisir certaines circonstances, au « lieu de quelques autres qui revenaient toujours au même « dessein;... Mais je dis que si l'âme de Jésus-Christ, en « qualité de cause occasionnelle dans l'ordre de la grâce, « détermine la volonté de Dieu sans être déterminée aupa- « ravant par celle de Dieu même, il s'ensuit que dans toutes « les choses qui regardent l'ordre de la grâce et le salut « des hommes, où il est cause occasionnelle, qu'en un mot « dans tout ce qui est de sa mission, il fait sa propre vo- « lonté; et, bien loin qu'il fasse celle de Dieu, c'est Dieu « qui fait la sienne ».[1]

Nec satis. Aliud systematis Malebranchii vitium in hoc consistit quod ad Pelagianismum aut Semipelagianismum logice conducit. Quod Fenelonius sequenti dilemmate evolvit. Agitur scilicet de bonis dispositionibus vel qualitatibus naturalibus quae Christum in hoc systemate moveant ut pro quibusdam prae aliis oret, ac ita eos praedestinet: « Quit- « tons toutes les subtilités par lesquelles on peut éluder « et obscurcir une autorité si manifeste. Ou vous croyez « que cette bonne disposition naturelle n'est point une règle « qui détermine Jésus-Christ, ou vous croyez que c'est une « règle qui le détermine: si vous croyez que ce n'est point « une règle qui le détermine, voilà donc Jésus-Christ qui, « selon vous, se détermine pour le choix de ses frères adop- « tifs sans aucune raison et sans aucune règle. C'est dans « cette élection arbitraire et comme fortuite que consistera « le mystère de la prédestination. Si vous soutenez, au con- « traire, que cette disposition naturelle est une règle qui

[1] Cap. XV. Et arguit ex IOANN. IV, 34; V, 19; VII, 16; VIII, 28 sq.; XVII, 4.

« détermine le choix de Jésus-Christ, vous ne pouvez plus « nier aux Sémipélagiens que Dieu, indifférent au salut de « tous, ne soit déterminé à préférer les uns aux autres par « leurs dispositions naturelles, et qu'ainsi le mérite humain « ne soit la loi de la prédestination éternelle: d'où il faudra « conclure que ce n'est point Dieu qui prévient par son « choix la volonté humaine, et qui *la prépare*, mais que « c'est au contraire la volonté humaine qui se prépare elle-« même à la grâce et qui en détermine le cours par sa bonne « disposition ».[1]

Et haec satis sint de isto falso et periculoso systemate, quod invertit etiam ordinem iuxta quem, uti supra vidimus, Dei gratia causat titulum et non a titulo praehabito causatur. Quem ordinem alibi Fenelonius hisce verbis egregie illustrat: « Les hommes ne peuvent rien choisir prudemment « qu'autant qu'ils sont déterminés par une raison de vou-« loir, c'est-à-dire par un bien qui leur paraît plus grand « d'un côté que celui que l'autre côté leur présente. Mais « Dieu est libre d'une liberté bien plus haute. Il n'a besoin « d'aucune raison qui le détermine, parce que il met la « raison du côté de son choix, et qu'il porte le bien de « quelque côté qu'il se tourne. Il ne choisit pas un homme « parce qu'il le trouve bon; mais il le fait bon parce qu'il « le choisit, et c'est son choix qui porte dans cet homme « ce qui le rend digne d'être choisi ».[2]

9) - De gratia elevante et medicinali.

Etenim in conditione naturae integrae, sive angelicae, sive humanae, unica ratio exigens gratiam petitur ab ipsa disproportione inter naturam sibi relictam et finem supernaturalem ipsi destinatum. Inde absoluta necessitas gratiae naturam elevantis, tum ut actibus suis in eumdem finem tendere, tum ut vitaliter eodem fine frui valeat.

Posito autem protoparentum lapsu et inde secuta origi-

[1] Ibid.
[2] *Lettres sur la grâce et la prédestination*, - IIe *Lettre. Sur la prédestination.*

nali corruptione naturae,[1] iam huic rationi absoluta necessitate antecedente gratiam exigenti, accedit necessitas consequens, necessitas scilicet ut natura sanetur, seu a peccato liberetur. Inde gratia medicinalis, quam pulcherrime ita commendat Augustinus: « Sanus non erat, sanari nolebat, et ne « sanaretur, sanum se esse iactabat: missa Lex est, ligavit « eum, invenit se reum, iam clamat de ligatura. Venit Domi- « nus, curavit amaris aliquantum et acribus medicamentis: « dicit enim aegroto: " Ferto ,,; dicit: " Tolera ,,; dicit: " Noli « diligere mundum, habeto patientiam, curet te ignis conti- « nentiae, ferrum persecutionum tolerent vulnera tua ,,. Ex- « pavescebas quamvis ligatus. Liber ille et non ligatus, bibit « quod ipse dabat; prior passus est ut te consolaretur, tam- « quam dicens: " Quod times pati pro te, prior patior pro « te ,,. Haec est gratia, et magna gratia ».[2] Haec autem gratia medicinalis, si reparatum hominem adhuc in hac via perfectae integritati originali restituisset, semel dumtaxat necessaria fuisset, scilicet ad primam iustificationem. Postea vero potuisset homo, cum motionis divinae adiutorio *sine quo non,* efficaciter attingere finem. Nunc autem, quum homo reparatus lapsae originis vulnera servet, usquedum in caelo consummetur, praeter gratiam medicinalem initialem, iugiter indiget

[1] Eloquenter et synthetice Augustinus: « Duas nativitates attendite: Adae et « Christi. Duo sunt homines: sed unus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo « Deus. Per hominem peccatores sumus; per hominem Deum iustificamur. Nativitas « illa deiecit ad mortem, ista nativitas erexit ad vitam: nativitas illa trahit secum « peccatum, nativitas ista liberat a peccato. Ideo enim venit Christus homo, ut sol- « veret peccata hominum ».*

[2] *In Ioann.,* tract. IV, n. 14. - *P. L.,* t. XXXV, col. 1402.

[3] Nec medicum tantum se exhibuit curando, sed nostras ipse infirmitates ferendo. Nam « vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit »,** quo dupliciter omnes sanaret dolores, patientesque nobilitaret. Hinc abnegatio sui quo Sancti propriis humeris aliorum labores suscipere studebant. Hinc heroica devotio qua S. Paulinus Nolanus se captivum pro alio liberando constituit, quod exemplum postea instituta religiosa mirabiliter imitata sunt. Hinc S. Vincentius a Paulo catenas cuiusdam damnati ipse portavit, et in ordine spirituali doctum virum, tentationibus contra fidem horribili modo vexatum, a nimio dolore animaeque periculo liberavit, rogando Dominum ut ipse huius tentationis pondus in se susciperet. Quod et factum est. Unde per plures annos magnus ille vir, columna fidei ecclesiae Gallicae, contra dubii impetus certandum sibi ingemuit, donec, dissipata nube, claritatem prope visionis praegustarit.

* *In Epist. Ioann. ad Parthos,* tract. IV, n. 11. - *P. L.,* t. XXXV, 2011.

** Is., LIII, 4. Cf. textum S. Augustini modo allatum.

adiutorio *quo* de concupiscentia triumphet. Medicinalis ergo gratia tum gratiam primo vel successive iustificantem, tum gratias actuales respicit. Cum hoc tamen discrimine quod gratia iustificans, post lapsum absoluta necessitate est medicinalis simul ac elevans; post iustificationem autem gratia movens nonnisi morali necessitate insuper est medicinalis.

Medicinalem hunc respectum gratiae Christus insinuat, quotiescumque se exhibet uti medicum[3] quo male habentes indigent, seseque proclamat non venire vocare iustos, sed peccatores: « Nulla causa veniendi Christo Domino, ait Augu- « stinus, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle « vulnera, et nulla causa est medicinae. Si venit de caelo « magnus medicus, magnus per totum orbem iacebat aegro- « tus ». [1] Huc spectant inter alias parabolae de bono Samaritano [2] et de ove perdita. [3] Huc tendunt miracula quibus Christus omnes languores physicos curavit, veros utique, sed insuper moralium morborum et vulnerum tam manifeste figuras, ut curando corpora animas directius sanandas intenderet. [4] Imo huc spectabat humilitas, qua Salvator cum peccatoribus tam benigne confabulabatur, ut superbi inde Pharisaei scandalum paterentur. [5]

Eloquenter de hac medicinali gratia disserens Augustinus ait, « Dominum nostrum et Salvatorem Iesum Christum medi- « cum esse nostrae salutis aeternae; et ad hoc eum susce- « pisse infirmitatem naturae nostrae, ne sempiterna esset

[1] *Serm. 175,* c. 1. - *P. L*, t. XXXVIII, col. 945; lege et sequentia.

[2] Luc., X.

[3] Ibid., XV.

[4] Eleganter S. Gregorius Magnus: « Dum Redemptor noster appropinquat « Iericho, caecus ad lumen rediit, quia dum divinitus defectum nostrae carnis susce- « pit, humanum genus, quod amiserat, recepit; unde enim Deus humana patitur, « inde homo ad divina sublevatur ». *

[5] Pulchre de his Gregorius Magnus: « Ii qui de falsa iustitia superbire solent, « caeteros quoque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt; quo « se peccatores esse non credunt, eo deteriores peccatores fiunt. De quorum profecto « numero Pharisaei exstiterunt, qui diiudicantes Dominum quod peccatores suscipe- « ret, arenti corde ipsum fontem misericordiae reprehendebant. Sed quia aegri erant, « ita ut aegros se esse nescirent: quatenus quod erant agnoscerent, caelestis eos me- « dicus blandis fomentis curat, benignum paradigma obiicit, et in eorum corde vul- « neris tumorem praemit ». **

* *Homil. in Evang. de caeco.* Luc., XVIII.

** *Homil. 34.*

« infirmitas tua. Assumpsit enim corpus mortale, in quo « occideret mortem. Consequens est ut noverimus omnia « miracula quae corporaliter fecit, valere ad admonitionem « nostram, ut percipiamus ab eo quod non est transiturum, « neque finem habiturum. Oculos reddidit caecis, quos erat « utique mors aliquando clausura; resuscitavit Lazarum, « iterum moriturum. Et quaecumque ad salutem corporum « fecit, non ad hoc fecit, ut sempiterna essent; cum tamen « daturus sit etiam ipsi corpori in fine sempiternam salu- « tem... Sicut animus melior est corpore, sic et melior salus « animi quam salus corporis. Modo caro caeca non aperit « oculos miraculo Domini; et cor caecum aperit oculos ser- « moni Domini. Modo non resurgit mortale cadaver; resurgit « anima, quae mortua iacebat in vivo cadavere. Modo aures « corporis surdae non aperiuntur; sed quam multi habent « aures clausas cordis, quae tamen verbo Dei penetrante « patescunt, ut credant qui non credebant, et bene vivant « qui male vivebant, et obediant qui non obediebant ».[1]

Qui respectus et in miraculis ab Apostolis nomine Christi patratis, iure reperitur. Eleganter Card. Mercier humanam nostram naturam originali labe sauciatam confert cum illo claudo a nativitate, quem Petrus ad portam speciosam templi, invocato Christi nomine, sanavit: « Oui, la « nature humaine, blessée par le péché originel, est ce boîteux « de naissance guéri par Pierre près de la Belle-Porte du « temple. C'est au nom de Iésus de Nazareth, le Crucifié et « le glorieux Ressuscité, que Pierre, chef futur de l'Église, « lui a redressé les membres, et y a répandu le sang nou- « veau de la Rédemption: il n'y a, en effet, de salut que « dans le Christ: *Non est in alio aliquo salus* ».[2]

Et alibi tam profunde quam pie exclamat idem Augustinus: « Haec medicina hominum tanta est, quanta non potest cogi- « tari. Nam quae superbia sanari potest, si humilitate Filii « Dei non sanatur? Quae avaritia sanari potest, si pauper- « tate Filii Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, « si patientia Filii Dei non sanatur? Quae impietas sanari « potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Postremo quae

[1] *Serm. 88*, c. 1 et 3. - *P. L.*, t. XXXVIII, col. 539 sq.
[2] Op. cit., p. 39.

« timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi « non sanatur?... O medicinam omnibus consulentem, omnia « tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, « omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodien- « tem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corri- « gentem ».[1] Et alibi: « Voca Iesum: noli tibi sanus videri.... « Simus inter illos quos sanat! ».[2]

Medicinalem aspectum gratiae Ecclesia in suis orationibos frequentissime exprimit. « Propitiare, Domine, suppli- « cationibus nostris: et animarum nostrarum medere lan- « guoribus ».[3] « Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut « dignitas conditionis humanae per immoderantiam sauciata, « medicinalis parsimoniae studio reformetur ».[4] « Tua nos, « Domine, medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus « clementer expediat, et ad ea quae sunt recta perducat ».[5] « Misericordiae tuae remediis, quaesumus, Domine, fragilitas « nostra subsistat: ut quae sua conditione atteritur, tua cle- « mentia reparetur ».[6]

Eodem sensu pie orat S. Thomas: « Omnipotens sempi- « terne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii « tui Domini nostri Iesu Christi, accedo tamquam infirmus « ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, « caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad « Dominum caeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis « tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmi- « tatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare pau- « pertatem, vestire nuditatem ».

Medicinalem gratiam elegantissime exprimunt haec verba sequentiae *Veni, Sancte Spiritus*.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

[1] *De agone Christ.*, c. 11. - *P. L.*, t. XL, col. 297 sq.
[2] *Serm. 174*, c. 5. – *P. L.*, t. XXXVIII, col. 945. Lege hanc integram concionem.
[3] Fer. III hebd. II Quadrag.
[4] Fer. V hebd. Pass.
[5] Dom. VIII post Pentec. postc.
[6] Fer. IV quat. temp. Sept.

Ad gratiam medicinalem dona Spiritus Sancti specialem[1] respectum habent, ad modum olei per machinae partes diffusi, quo, superata aerugine et angustiis, facilius moveantur et finalem effectum producant. « Même muni des grâces et « des vertus, ait Abbas Marmion, notre âme n'est pas réta- « blie dans cette intégrité originelle où se trouvait Adam « avant son péché; la raison, sujette elle-même à l'erreur, voit « son pouvoir de souveraine disputé par l'appétit inférieur « et les sens; la volonté est exposée à des défaillances. Que « suit-il de cet état? Que, dans l'œuvre capitale de notre sanc- « tification, nous sommes dans la nécéssite d'être constam- « ment et directement aidés par l'Esprit-Saint. Il y pourvoit « par ses inspirations, qui, toutes, vont à perfectionner, à « achever notre sainteté. Et pour que ces inspirations soient « bien reçues par nous, il met lui-même en nos âmes des « dispositions qui nous rendent dociles et souples: ce sont les « dons du Saint-Esprit ».[2]

Huius gratiae medicinalis praeclara instrumenta, virtute ipsius Christi ditata, sunt sacramenta, per quae iugiter ad omnes fideles cuiusvis aetatis extenditur illa virtus, quam Christus, dum mulierem a sanguinis fluxu sanabat, de se exire proclamavit. Non quasi sacramentorum virtus sit exclusive medicinalis: absit! Tendunt enim omnia ad gratiam sanctificantem et elevantem communicandam, servandam, augendam, coronandum; sed magna ex parte reficiunt et sanant, unde caput sacramentorum Baptismus est radicitus deletivus culpae originalis. Pulchre Ambrosius: « Nemo cibum accipit « Christi, nisi fuerit ante sanatus; et illi qui vocantur ad « coenam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi « facultatem, ut veniret, accepit; si lumine oculorum pri- « vatus, domum utique Domini, nisi refusa luce, intrare non « potuit. Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per « remmissionem peccatorum, vulneribus medicina tribuatur, « post alimonia mensae caelestis exuberet ».[3]

Quae omnia de Christi gratia medicinali sanctificante,

[1] Non tamen respectum essentialem, secus quomodo anima Christi repleta fuisset istis donis? (Cf. Is., XI, 12). Nec primus Adam innocens eisdem caruit.

[2] Op. cit., loc. cit., pag. 168 sq.

[3] *In Luc.*, l. VI, c. 9.

beante dicta, Ecclesia pulchra synthesi comprehendit in hac stropha hymni festi sanctae Mariae Magdalenae:

O vera, Christe, Charitas,
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde caeli praemia.[1]

Ex dictis patet, non omnem gratiam elevantem esse medicinalem. Sed quaeri potest, utrum omnis gratia medicinalis sit etiam elevans. Qui censent, cum Ripalda[2] aliisque, in praesenti oeconomia omnes actus ethice bonos a quocumque homine poni virtute alicuius gratiae supernaturalis, a fortiori nullam concedunt dari gratiam medicinalem, quae non sit supernaturalis, ac proin aliqualiter elevans. Sed haec sententia, ut minus dicam, nulla ratione stricte convincente potest demonstrari. Re autem ad medicinalem gratiam contracta, cum maiori fundamento propugnatur, omnem gratiam medicinalem esse aliqualiter supernaturalem, quum providentia speciali ordinetur in finem supernaturalem. Dico aliqualiter, nam aliter et aliter loquendum est de tali gratia collata homini iustificato et homini gratia iustificante orbato. Etenim in homine iustificato haec gratia plerumque identificatur cum gratia actuali, quam per se esse supernaturalem, superius illustravimus. In homine gratia iustificante orbato, sed ad eamdem acquirendam vel recuperandam a Deo proxime moto, idem est prope dicendum, quum terminus huius motus sit gratiae iustificantis infusio. Minus autem constat de auxilio remotius ad iustificationem disponente; quo casu, satis erit plerumque ut sit supernaturale quoad modum.

Quodsi auxilium in hoc unice consistit, ut periculum peccandi externe amoveatur, satis ad tale auxilium concurret providentia Dei utique specialis, quin tamen aliquid supernaturale involvat, nisi quoad modum, si periculum praeter naturalem rerum cursum amoveatur. Ad hanc specialem providentiam exprimendam, utpote quae negative potest obtinere intentum, formula negativa exprimitur sexta petitio Orationis Dominicae: « Et ne nos inducas in tentationem ».

[1] Ad Vesp.
[2] *De ente supernaturali,* l. I, disp. XX, sect. 3.

Ex dictis patet, gratiam posse considerari vel in genere, « in quantum est donum divinitus datum »; vel in specie, et quidem iuxta duplicem respectum: in quantum iuvat ad bonum meritorium, vel « in quantum est remedium peccati ». Quae est ipsissima divisio, quam sequitur S. Bonaventura in quinta Parte sui *Breviloquii*.

Sed haec dicta iam aliam gratiae divisionem inducunt.

10) De gratia supernaturali quoad substantiam et quoad modum.[1]

Ex ratione modo exposita, gratia elevans est absolute supernaturalis, sive sit habituale donum iustificans, sive sit motio ad actus supernaturaliter bonos.

De gratia autem medicinali diversimode loquendum est, secundum quod consideratur ut peccatum delens, vel ut peccatum impediens. Etenim quatenus iustificatio peccatum delet, est quidem medicinalis; sed quum deletio peccatorum non fiat sine gratiae infusione, est simul necessario supernaturalis quoad substantiam. Aliter res se habet de gratia medicinali peccatum impediente. Haec enim in praesenti oeconomia, de facto communiter contingente, per gratiam datur supernaturalem moventem. Quodsi detur sive ante iustificationem, sive sub iustificatione, sine motione proprie supernaturali, non est supernaturalis nisi quoad modum, id est, quatenus ponit providentiam divinam ultra exigentiam naturae sese extendentem, ad hoc ut creaturae subveniatur, ne concupiscentiae succumbat.

Neque de sola gratia medicinali hoc valet. Latius enim patet divisio inter gratiam supernaturalem quoad substantiam et quoad modum, quam divisio inter gratiam elevantem et medicinalem.

Sed heic theologi movent duplicem quaestionem: 1) de possibilitate, 2) de existentia gratiae supernaturalis quoad modum.

1) *Possibilitas* huiusmodi gratiae vix negari potest. Etenim, ut utar verbis Illmi Waffelaert, « potest (Deus) super-

[1] Cfr. quae in praevia dissertatione praecedentis nostri tractatus diximus de distinctione inter supernaturale quoad substantiam et quoad modum pp. 19, 20, 29.

« naturaliter quoad modum, phantasmata etiam immediata « excitare, vel et directe species intelligibiles infundere, et « deinceps... dirigere iudicium et affectum ita clare et effi- « caciter ut voluntas in id unum feratur. Sed hos modos... « nemo non videt toto caelo differre a motione gratiae: in « illis enim, etiamsi quaedam producantur supernaturaliter « quoad modum, actus ipse tamen, ut est hic et talis, manet « actus creaturae et mere naturalis: actus vero cum motione « gratiae positus, ipse, ut est hic et talis, a Deo est simul et « a creatura », ob ipsam supernaturalem dignitatem quam gratia ei confert.

2) *Existentia* autem huiusmodi gratiae de facto in praesenti oeconomia non ab omnibus theologis admittitur.[1]

Qui negativam sententiam propugnant, arguunt ex oeconomia praesenti, qua Deus homines ordinat in finem supernaturalem. Unde concludunt, media a Deo in hunc finem ordinata debere esse iam et ipsa ordinis supernaturalis. Eo vel magis, uti instat Card. Billot, quod nulla gratia detur nisi per D. N. Iesum Christum, cuius gratia est in salutem supernaturalem conducens.

Recte quidem. Sed nonne haec propostio satis salvatur, si dicatur, auxilia Dei quae ex indole sua non exigunt vel non involvunt ut sint supernaturalia quoad essentiam, esse tamen supernaturalia quoad modum? Tota proin quaestio ad hoc potius reducitur, utrum et quousque auxilia specialis divinae providentiae, quae non sunt supernaturalia quoad essentiam, adhuc possint gratiae nomine decorari. Tunc fit controversia de nomine potius quam de re. Censemus igitur, distinctiones quas modo fecimus de gratia medicinali, valere hic, sub forma parumper dilatata, de gratia supernaturali quoad modum. Censemus enim plura auxilia, quae in ambitu sextae petitionis Orationis Dominicae continentur, praesertim si sunt ex sese negativa, esse quidem gratias, minus utique stricte dictas, supernaturales quoad modum, non autem quoad substantiam. Quod a fortiori valet de gratiis externis.

Gratia enim supernaturalis quoad substantiam semper

[1] Fortiter eam negat, v. gr., Card. Billot (*De gratia*, p. 65 sqq.); mitius, inter alios, cl. Van der Meersch (*De div. gratia*, n. 88).

interna est habenti; gratia autem supernaturalis quoad modum potest esse simpliciter externa.

Corollarium. – Ex dictis in duplici distinctione inter gratiam Dei et Christi, et inter gratiam elevantem et medicinalem, rursus apparet excellentia devotionis erga SS. Cor Iesu. Etenim, quum merita Christi non solum effluant ex divina excellentia merentis, sed ex humana perfectione agentis, haec autem perfectio maxime a Redemptoris charitate derivetur; recte dici potest, omnia Christi merita in summo Sacratissimi Christi Cordis amore, quo Patrem et homines diligebat, fundari. Unde e Christi Corde veluti e centro suo humano-divino ac fonte uberrimo, aut fornace ardentissimas flammas emittente, gratias effluxisse seu eradiasse iure dixeris.

Insuper, quum devotio erga SS. Cor Iesu a passione eius et morte seiungi nequeat, - unde repraesentatur Salvatoris Cor lancia vulneratum, cruceque superposita, corona spinea circumductum, - et quum Iesus, iuxta egregie dictum Augustini, in ipsa sua passione et morte excellentissimo modo se medicum nostrum ostenderit, gratiae consideratae uti ex SS. Iesu Corde effluentes, sunt apprime medicinales.

Demum quum inter fructus devotionis erga SS. Cor Iesu non ultimus sane sit tenerrima erga Salvatorem fiducia, qua salutem nostram cum spe nostra ipsi committimus, [1] apparet nexus intimus inter hanc devotionem et ipsum geminam adspectum gratiae uti est Christi et est medicinalis. Hinc pulcherrima illa verba, quibus infelix rex Ludovicus XVI, in carcere detentus, suam suorumque consecrationem ad SS. Cor Iesu claudebat: « O Cœur adorable de mon Sau-« veur! que j'oublie ma main droite et que je m'oublie moi-« même, si jamais j'oublie vos bienfaits et mes promesses, « si je cesse de vous aimer et de mettre en vous ma con-« fiance et ma consolation ». [2]

[1] Hinc Pius X ven. mem. uberrimis indulgentiis ditavit oratiunculam iaculatoriam: « Cor Iesu SSmum, in te confido ».

[2] Cf. Illmum Bougaud., *Histoire de la Bienheureuse Marguerite Marie,* chap. xvi, p. 433, Paris, Poussielgue, 1890.

11) De gratia sufficienti et efficaci.

Haec distinctio, recentioris quidem aetatis, - nam apud S. Thomam [1] numquam expresse recurrit, videturque primo fuisse saec. XVI, exortis erroribus Lutheranis, ab Adriano VI tunc Lovaniensi professore invecta, - post controversias inter Scholas ortas, magni momenti facta est. Oportet autem ut caute intelligatur. [2]

Et sane non bene sonaret distinguere gratiam in sufficientem et insufficientem, aut in gratiam efficacem et inefficacem; in qua tamen altera distinctione minus esset inconveniens. Ita igitur distinctionem intellige, ut gratia efficax a fortiori sit sufficiens, non utique sensu efficaciam excludente; et gratia sufficiens non possit simpliciter dici inefficax, [3] nisi quasi ad plenam efficaciam non pervenit; unde vocatur melius *mere sufficiens*, quam simpliciter sufficiens.

Appellatio gratiae sufficientis non occurrit nisi in uno loco Scripturae, sed non in sensu heic intento. Quando enim Christus dixit Paulo: « Sufficit tibi gratia mea », [4] intelligebat gratiam effectum consequentem, ac proin, in sensu recentiori, efficacem.

Utraque gratia in Scripturis apparet. Quando, v. gr., in libro Esther legimus: « Convertit (Deus) spiritum regis in « mansuetudinem », [5] quid nisi efficax Dei operatio exprimitur? Quando Propheta ait: « Postquam convertisti me, egi « poenitentiam », [6] et Psalmista orat: « Adiuva me, et salvus

[1] Ratio huius phaenomeni non est solum quaerenda in hoc quod S. Thomas est anterior controversiis cum Lutheranis, sed insuper in hoc quod ipse modus quo concipiebat gratiam, non tantum huic distinctioni momentum dabat. Quod ex sequentibus melius apparebit.

[2] Unde Card. Satolli de ea conclusionem ita formulat: « Conveniens est gratiae « divisio in sufficientem et efficacem, dummodo sensu vero et genuino recipiatur » (op. cit. concl. 4).

[3] Abusu vocis dicere solebat Quesnellus: « A gratia sufficienti libera nos, « Domine! ». Qui abusus non impedit, quominus optimo sensu orare possimus: « Gra- « tiam efficacem concede nobis, Domine! ».

[4] I Cor., xii, 9.

[5] Esther, xv, 11.

[6] Ierem., xxxi, 19.

« ero »;[1] et: « Cor mundum crea in me, Deus »,[2] nonne potentiam gratiae efficacis proclamant? Iuxta illud ipsius Dei: « Verbum meum ... non revertetur ad me vacuum, sed faciet « quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud ».[3] - Talis efficacia apparet in vocatione Apostoli Matthaei[4] et in conversione peccatricis in convivii aulam erumpentis.[5] Diserte autem eamdem efficaciam Paulus in se proclamat dicens: « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius « in me vacua non fuit ».[6]

Nec qualicumque modo efficacia gratiae in Scripturis tribuitur, sed talis, quae infallibiliter, si Deus velit, de contraria hominis voluntate triumphet. Etenim, ut Christus ait: « Nemo potest rapere de manu Patris mei ».[7] Sunt quippe « sagittae potentis acutae »,[8] qualem de cruce Christus immisit in cor latronis illius, quem de blasphematore in praedestinatum convertit. Mutat enim Deus pro libitu corda hominum: « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio « vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo « vobis cor carneum;... et faciam ut in praeceptis meis ambu- « letis, et iudicia mea custodiatis et operemini ».[9] Quomodo id Dei virtus obtinet? « Sicut divisiones aquarum, ita cor « regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabo « illud ».[10]

Unde Ecclesia nos Deum orare docet: « Ad te nostras « etiam rebelles compelle voluntates ».[11] Et sane, uti recte exclamat Augustinus: « Quis tam impie desipiat, ut dicat, « Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando « voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere »?[12]

[1] Ps. CXVIII, 117.
[2] Ibid., L, 12.
[3] Is., LV, 11.
[4] MATTH., IX, 9.
[5] LUC., VII, 37.
[6] I COR., XV, 10.
[7] IOANN., X, 29.
[8] Ps. CXIX, 4; XLIV, 6.
[9] EZECH., XXXVI, 26. 27.
[10] Prov., XII, 1. Adverte haec verba, quibus insinuatur modus suavis, quo Deus potenter in liberam hominis voluntatem agit.
[11] Dom. IV post Pentec. Secr.
[12] *Enchir.*, c. 98. - *P. L.*, t. XL, col. 277. Optime Fenelonius: « Dieu a dans les « trésors de sa sagesse et de sa puissance des moyens infinés et inépuisables de

Et sane, dari gratiam efficacem, – quomodocumque haec efficacia explicetur, – abunde apparet ex orationibus Ecclesiae. « Il n'y a qu'à recueillir ... les prières de l'Église, ait « Bossuet, pour y voir ce qu'elle a cru de l'efficace de la « grâce. On demande à Dieu la foi et la bonne vie, la con- « version, qui comprend le premier désir et le commence- « ment de bien faire; la continuation, la persévérance, la « délivrance actuelle du péché; par d'autres façons de parler, « toujours de même sens et de même force, on lui demande « qu'il donne de croire, qu'il donne d'aimer, qu'il donne de « persévérer jusqu'à la fin dans son amour; on lui demande « qu'il fasse qu'on persévère. L'effet qu'on attend de cette « prière n'est pas seulement qu'on puisse aimer, qu'on puisse « croire; mais que Dieu agisse de telle sorte qu'on aime, « qu'on croie. Or, c'est un principe certain de saint Augustin, « mais évident de soi-même, qu'on ne demande à Dieu que « ce qu'on croit qu'il fait; autrement, dit le même Père, " la « prière serait illusoire, *irrisoria;* faite vainement et par « manière d'acquit, *perfunctorie, inaniter* „. On croit donc « sérieusement et de bonne foi que Dieu fait véritablement « tout cela, et ces demandes sont fondées sur la foi. On les « fait en Occident comme en Orient, et dès l'origine du Chris- « tianisme; c'est donc la foi de tous les temps, comme celle « de tous les lieux: *Quod ubique, quod semper;* et, en un mot, « la foi catholique ». [1]

Iure proin ait Augustinus: « Prorsus in hac re non ope- « rosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quo- « tidianas orationes suas ». [2] Inter quas primum locum tenet ipsa *Oratio Dominica,* quae efficaciam gratiae abunde proclamat, [3] uti idem S. Doctor, ducibus Tertulliano et Cypriano, illustrat.

Igitur quando homo se substrahit Dei voluntati, ipse agit malum; quando autem Dei voluntatem exsequitur, non sine

« gagner les cœurs des hommes, de les persuader, de les toucher, de les incliner, « de leur faire vouloir ce qu'il veut, de tourner même selon ses desseins les volontés « les plus impies. *

[1] *Défense de la tradition et des Ss. Pères.* II Part, l. x, ch. 14.

[2] *De dono persev.*, c. 7, n. 15.

[3] Cf. Bossuet (Ibid., c. 18 sqq.).

* Op. cit. IIe *Lettre.*

efficaci Dei auxilio id agit, et quidem auxilio gratiae efficacis, quando opus conferens saluti operatur. Huc spectant verba Conc. Araus.: « Suam voluntatem faciunt homines, non Dei, « quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita « faciunt quod volunt, ut serviant divinae voluntati, quamvis « volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a « quo praeparatur et iubetur, quod volunt ».[1]

Et explicans quomodo haec potentissima Dei actio nullum detrimentum infert humanae libertati, S. Augustinus ostendit discrimen inter modum quo Deus interne et homines externe agunt. « Deus novit intus in ipsis hominum cordibus « operari, non ut homines, quod fieri non potest,[2] nolentes « credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant ».[3]

Quantocumque autem haec gratiae efficacia proclamatur, absit proin ut dicatur necessitans. Quare detestandus est Iansenistarum abusus, qui nullam nisi efficacem, imo cogentem gratiam admittebant.[4] Recusanda est pariter doctrina Calvini asserentis, voluntatem sub gratiae motu se habere « mere passive ».[5] Et sane Scripturae hanc hominis activitatem sub gratiae motione proclamant. Ipse S. Paulus, qui gratiae efficaciam tam eloquenter describit, pluries ad liberum conamen suos adhortatur: « Exerce teipsum ad pie- « tatem ».[6] « Labora sicut bonus miles Christi Iesu ».[7] Unde Christus ad sui sequelam adhortans, utitur invitatoria formula: « Si vis ».[8] Rectissime proin Concilium Tridentinum declaravit: « Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum « et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti « atque vocanti, neque posse dissentire, si velit, sed veluti

[1] Can. 23.

[2] Pulcherrime idem exprimit Rich. a S. Victore: « Liberum arbitrium domi- « num non patitur, nec pati potest, quia violentiam ei inferre nec Creatorem decet, « nec creatura potest ». *

[3] Ctr. duas epist. Pelag., I, 19-37.

[4] Hinc fluunt quinque propositiones in Iansenio damnatae.

[5] *Instit.*, II, 3, 10.

[6] I Tim. IV, 7. - Huc faciunt quotquot imagines Paulus a re militari et ab agone depromit.

[7] II Tim. II, 3.

[8] Matth. XIX, 17. 21.

* *De stat. primi hom.*, c. 3.

« innanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive « se habere, a. s. ». [1]

Talem esse unanimem Patrum doctrinam, ipse fatebatur Calvinus, qui nonnisi S. Augustinum pro se vindicabat; sed absque ullo fundamento. Etenim non minor fuit Augustini cura servandi hominis sub gratia libertatem, quam eiusdem gratiae virtutem proclamandi. [2] Quemadmodum enim Scriptura libertatem hominis bene agentis affirmat per formulam: « Qui potuit transgredi, et non est transgressus, « facere mala, et non fecit »; [3] ita Hipponensis habet: « Con- « sentire vocationi Dei vel ab ea dissentire, propriae volun- « tatis est ». [4] Quo sensu alibi ait: « Qui fecit te sine te, non « te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volen- « tem ». Ita tamen haec libera voluntas cooperatur gratiae, ut tamen bonum quod agit libere, non desinat ideo esse a Deo et Dei. « Volo ut velis: sed non sufficit ut velis. Adiu- « vandus es ut plene velis, et impleas quod velis ». [5] Quare liberum arbitrium iuvatur quidem, sed ut libere id agat ad quod iuvatur: « Neque enim voluntatis arbitrium ideo « tollitur quia iuvatur, sed ideo iuvatur quia non tollitur. [6] « Qui enim Deo dicit: " Adiutor meus esto „ [7], confitetur se « velle implere quod iussit, sed ab eo qui iussit, adiutorium « poscere ut possit ».

Ita ergo sub influxu gratiae efficacis voluntas movetur, ut tamen moveat seipsam. Quod his verbis breviter affirmat Augustinus: « Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam « motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos « agere ipse voluerit ». [8] Et alibi illustrans textum Scripturae, [9] haec habet: « Certum est, nos mandata servare si « volumus; sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo

[1] Sess. VI, can. 4; cf. cap. 5.

[2] Cf. PALMIERI, op. cit., Th. XLIV.

[3] ECCLCI, XXXI, 10.

[4] *De spir. et litt.*, XXXIV, 60. - *P. L.*, t. XLIV, col. 240.

[5] *Serm.* CLXIII, c. 10. - *P. L.*, t. XXXVIII, col. 894. - In hoc sermone Augustinus egregie habet de gratia adiuvante.

[6] Epist., CLVII, c. 11, n. 10. - *P. L.*, t. XXXIII, col. 677.

[7] Ps. XXVI, 9.

[8] *De grat. et lib. arb.*, c. 21.

[9] ECCLCI, XV.

« petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo « faciamus. Certum est nos velle cum volumus; sed ille facit « ut velimus bonum de quo dictum est, quod paulo ante « posui: " praeparatur voluntas a Domino „; de quo dictum « est: " a Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius « volet „; de quo dictum est: " Deus est qui operatur in « vobis et velle et perficere „. Certum est nos facere cum « facimus, sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires effi- « cacissimas voluntati, qui dixit Ezechiel: " Faciam ut in « iustificationibus meis ambuletis, et iudicia mea observetis et « faciatis „ ».[1] Concordat omnino doctrina S. Thomae: « Deus « in voluntate agit non per modum necessitatis, quia volun- « tatem non cogit, sed movet eam non auferendo ei modum, « qui in libertatem ad utrumlibet existit. Et ideo, quamvis « divinae voluntati nihil resistat; tamen voluntas, et quae- « libet alia res, exsequitur divinam voluntatem secundum « modum suum; quia et ipsum modum divina voluntas rebus « dedit, ut sic eius voluntas impleretur ».[2]

Sed et dari gratiam mere sufficientem, quae scilicet effectu a Deo intento ex mala hominis voluntate frustratur, ex eisdem utriusque Testamenti Scripturis apparet. In libro Proverbiorum ita describitur divina Sapientia homines ad bonum invitans: « Sapientia foris praedicat, in plateis dat « vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus por- « tarum urbis profert verba sua dicens: Usquequo parvuli « diligitis infantiam, et stulti ea, qua sibi sunt noxia, cupient « et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad corre- « ptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et « ostendam vobis verba mea ». En gratiam praevenientem, excitantem, simul mentes illuminantem et corda moventem. Et tamen manet inefficax: « Quia vocavi, et renuistis, extendi « manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne « consilium meum et increpationes meas neglexistis ».[3] Sufficientem pariter gratiam, sed inefficacem, implicant verba Dei apud prophetam Isaïam: « Quid est quod debui ultra « facere vineae meae, et non feci ei? an quod expectavi ut

[1] *De grat. et lib. arb.*, c. 16.
[2] *De Verit.*, VI, art. 3, ad 3.
[3] PROV., I, 20–25.

« faceret uvas, et fecit labruscas? ». [1] Idem in Scripturis N. Testamenti apparet. Sufficiens dumtaxat fuit, effectum non consecuta, gratia qua Iesus iuvenem illum dilexit et ad perfectiorem vitam invitavit. [2] Et alibi expresse Christus ipse conqueritur gemens: « Ierusalem, Ierusalem, quae occi- « dis prophetas et lapides eos qui ad te missi sunt, quoties « volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina con- « gregat pullos suos sub alas, et nolusti! ». [3]

Utrimque Dei punitio obstinationem malorum exspectat. [4] Ad quam punitionem et Christi improperia alludent, tum in Scribas et Pharisaeos, tunc in civitates praedicationibus suis rebelles. [5]

Stephanus exclamavit: « Dura cervice et incircumci- « sis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resti- « tistis, sicut patres vestri, ita et vos! ». – Saulum inter illos fuisse, qui sufficientem gratiam saepius reiecerint, antequam efficacia gratiae vinceretur, ipsa Christi verba eum convertentis proclamant. Quid enim significant illa Iesu verba: « Durum est tibi contra stimulum calcitrare », [6] nisi Saulum pluries iam fuisse divina stimulatum gratia, quam tamen calcitrando reddidit inefficacem? Qui idem Paulus ad Romanos scribens ait: « Ignoras, quoniam benignitas Dei ad « poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam « et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram ». [7] Ergo datur gratia sufficiens, quae si reiicitur, inefficax manens, peiorem peccatoris conditionem reddit.

Idem in historia conversionis multorum Sanctorum apparet. Quam longam resistentiam invitanti se gratiam opposuit Augustinus, usquedum inter lacrimas se devictum fateretur? Qui inde uterque, et Paulus et Augustinus, tum gratuitatis gratiae, tum eiusdem victricis efficaciae, salva tamen

[1] Is., v, 4.

[2] Marc., x, 17 sqq.

[3] Matth., xxiii, 37.

[4] « Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod « temebatis advenerit » (Prov., i, 26, etc.). – « Ecce relinquetur vobis domus deserta » (Matth., ibid., 38).

[5] Matth., xi, 21 sqq.

[6] Act., ix, 5.

[7] Rom., ii, 4. 5.

hominis gratiae cooperantis libertate, praecones exstitere magnifici.

Dari talem gratiam cui possit resisti, et quae proin non sit nisi sufficiens, contra Iansenium proclamavit Ecclesia, damnando, regnante Innocentio X, propositionem quae dicit: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam « resistitur », et alteram quae affirmat: « Aliqua Dei praecepta « hominibus iustis, volentibus et conantibus, secundum prae- « sentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque « illis gratia, qua possibilia fiant ». Hanc gratiam sufficientem proclamat Augustinus: « Ad illam coenam, quam Dominus « dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, « venire noluerunt, nec illi, qui venerunt, venire possent, « nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui « venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt « venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam « ut venirent, vocati erant in libera voluntate ».[1]

Utraque gratia et efficax et sufficiens figuratur per talenta parabolae. Quinque talenta, quae alia quinque, duo, quae alia duo producunt, gratiam efficacem; talentum quod pigre absconditum, fructu caret, gratiam sufficientem significant. Unde laudantur bene usi, et mercedem accipiunt labori respondentem; non usus, ac proin abusus, ob inertiam spoliatione totali punitur.[2]

Adverte tamen, gratiam sufficientem nunquam carere quadam efficacia. Impossibile enim est, Deum movere voluntatem hominis, quin efficaciter in ea aliquid producat, iuxta illud Isaiae: « Verbum meum quod egredietur de ore meo « non revertetur ad me vacuum ».[3] Gratia autem habitualis semper est efficax iustificationis; non autem est semper efficax salutis aeternae, nisi adiuncta perseverantia finali. Fit autem efficax visionis beatificae, mediante lumine gloriae.

Distinctio autem hic posita intelligitur passim de gratia actuali.

[1] In l. Qq. LXXXIII, q. 68. – Ex hoc loco rursus vides quanta insistentia Augustinus utrumque doceat et beneficium gratiae acceptatae, et libertatem gratiae rebellem.

[2] MATTH., XXV.

[3] Is., LV, 11.

Factum igitur constat. Sed non aeque constat de ratione facti. Differt enim respectus gratiae utriusque secundum quod consideratur antecedenter et consequenter ad hominis cooperationem. Antecedenter sufficiens erit gratia tenuis, minus copiosa, cum qua sit difficile effectum produci; e contra efficax erit gratia uberior, larga, cui de facili coniungatur effectus. Consequenter autem efficax gratia est gratia effectum operata; sufficiens, id est mere sufficiens, gratia effectu frustrata. Consequenter itaque gratia sufficiens ea est quae de facto effectum non obtinet; efficax vero quae de facto obtinet effectum. Unde iam evidens est, adspectum consequentem esse infallibilem propter ipsam consequentiam.[1] Sed quaestio subtilior movetur de adspectu antecedente, utrum ex utriusque gratiae natura iam certo secum ferat effectum vel negationem effectus, an vero hanc unice habeat a libero contingente eventu.[2] De quo dubio ex professo egemus, ubi varia systemata Scholarum exponemus et discutiemus.

Interim observa, gratiam sufficientem *a*) aliam esse proxime, aliam remote; *b*) aliam negative, aliam positive sufficientem. *a*) *Proxime* sufficiens dicitur relate ad ipsum effectum immediate; *remote* ad effectum mediantibus auxiliis intermediis producendum. – *b*) *Negative* sufficiens intelligitur gratia moraliter requisita ad hoc ut non peccetur; *positive* sufficiens, gratia requisita ad hoc ut actus positivus imperatus ponatur.

Patet, voluntatem salvificam non requirere ut homini cuivis detur gratia proxime sufficiens, sive positive sive negative; sed satis esse gratiam remote sufficientem. Quam si homo arripere negligat, iam quod suum est, non ex toto praestitit, ipsique frustratio effectus iure imputabitur.[3]

[1] Hac infallibilis necessitas consequentiae ab omnibus admittitur, etiam ab illis qui gratiam ex natura sua efficacem recusant.

[2] Evidens est, hanc divisionem in gratiam sufficientem et efficacem supponere verum hominis liberum arbitrium. Quid mirum proin, Lutherum eam radicitus negasse? Unde quo facilius iste fundamentalis error convelleretur, haec distinctio apud catholicos theologos magis invaluit.

[3] Cfr. quae in nostro tractatu de *Deo Uno* diximus de voluntate Dei salvifica, alia conditionali, alia absoluta. Optime Fenelonius: « Il faut nécessairement avancer « qu'il y a deux manières de vouloir le salut des hommes. L'un consiste à vouloir « leur rendre la salut véritablement possible, en leur donnant des secours de grâce

Demum observa, non necessario requiri supernaturalem gratiam quoad substantiam. Unde etiamsi quis statueret, gratiam quoad substantiam supernaturalem numquam frutrari effectu, non inde sequeretur gratiae sufficientis negatio. Sed de his subtilioribus quaestionibus infra.

Interim dixisse sufficiat, sententias dispesci in duas classes secundum quod propugnant gratiam efficaciem ab intrinseco necne; utrimque autem in duas principales[1] veluti species subdividuntur. Accipe schema.

Gratia efficax est	I) ab extrinseco:	1) ope scientiae mediae:	Molina;
		2) ope insuper congruae proportionis:	Suarez;
	II) ab intrinseco[2]	1) ex tractione victrice superante obstaculum:	S. Augustinus;
		2) ex praedeterminatione physica:	Thomistae plerique.

Dum Thomas de Lemos[3] et Didicus Alvarez,[4] imprimis autem Dominicus Bañez,[5] omnes ex Ordine Praed., hanc

« suffisante par lesquels il ne tienne qu'à eux d'assurer leur salut, s'ils veulent y « correspondre. L'autre consiste à vouloir assurer leur salut, en choisissant parmi « les secours suffisants ceux qu'il prévoit qui les persuaderont, et qui les feront per- « sévérer. La première volonté est conditionelle: la seconde est absolue ». Et allata auctoritate S. Augustini * pergit: « La bonté spéciale de prédilection pour les uns ne « diminue en rien la bonté générale pour tous les autres. La surabondance des « secours pour les élus, ne diminue en rien les secours très suffisants que tous les « autres reçoivent ». Quod per parabolam operariorum illustrat: « Si le père de « famille n'etait que juste ou qu'également libéral, vous n'auriez rien à dire.... « Quoi! vous vous plaignez parce qu'étant très bon pour vous, il est encore meil- « leur pour d'autres ». **

[1] De aliis intermediis aut eclecticis sententiis infra erit sermo.

[2] Multum interesse inter rationem intrinsecam huius efficaciae in systemate a S. Augustino et a S. Thoma nuncupato, infra magis patebit. Unde longe magis ad scholam Augustinianam quam ad scholam dictam Thomisticam accedit Suarezianus congruismus.

[3] Thomas de Lemos et Didicus Alvarez fuerunt praecipui propugnatores sententiae Thomisticae in celebri Congregatione *de Auxiliis*.

[4] Noli hunc confundere cum Balthasar Alvarez, S. I., qui S. Teresiae consilarius adstitit, viro eximiae doctrinae ac pietatis.

[5] Sedulo distinguendus a Michaële Bañez, qui, anno 1656, opellam scripsit de Immacolata Conceptione B. M. V. *Immunidad de Nuestra Señora en el primo instante de su ser*.

* *De lib. arbitr.*, l. I, c. 13, n. 29; l. III, c. 6, n. 19; c. 15, n. 43 ag; c. 20, n. 56.

** Op. cit., *II lettre*.

ultimam sententiam fortiter propugnabant, Ioannes Alvarez de Alveda, O. Pr. († 1616), mitiorem sententiam exposuit, quae valde appropinquat ad mentem S. Augustini, quamque nuper ex eadem familia exposuit P. Guillemin,[1] ex eadem S. Dominici familia. Quid autem ipse S. Thomas docuerit, data opera inquiremus.

Omnes istae sententiae limites liberae discussionis non excedunt, dummodo non praetermittant quae de speciali gratiae efficacis praedestinatione aperte docent Scripturae, nec tantam efficaciae intrinsecae gratiae vim tribuant, quae cum humanae voluntatis vera libertate componi non possit.

Sane in favorem doctrinae Thomisticae dictae sonant verba a Benedicto XIII, anno 1724, ad sui Ordinis sodales prolata: « Magno animo contemnite calumnias intentatas[2] « sententiis vestris, de gratia praesertim per se et ab intrin- « seco efficaci ac de gratuita praedestinatione ad gloriam « sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus « docuistis, et quas a SS. Doctoribus Augustino et Thoma « se hausisse, et verbo Dei, summorumque Pontificum et « Conciliorum decretis et Patrum dictis consonas esse, schola « vestra commendabili studio gloriatur ».[3] Sed haec verba ultra limites non esse urgenda, probant haec alia quae, paucis annis interiectis (1733), Clemens XII protulit: « Mentem nostro- « rum praedecessorum compertam habentes, nolumus aut « per nostras aut per ipsorum laudes Thomisticae scholae « delatas, quas iterato nostro iudicio comprobamus et con- « firmamus, quidquam esse detractum caeteris catholicis « scholis, diversa ab eadem in explicanda divinae gratiae effi- « cacia sentientibus, quarum etiam erga hanc Sedem prae- « clara sunt merita ».[4]

[1] *Revue Thomiste*, 1902, p. 654 sqq.; 1903, p. 20 sqq.

[2] Alludit scilicet Pontifex ad intemperantiam controversiarum in lite Iansèniana ortarum. Quum enim Iansenii asseclae se Augustinianam, Thomisticam doctrinam propugnare iactarent, in scholam Ordinis Praedicatorum damnationem pariter inferri calumniabantur. Nec illi soli; nam, uti infra dicemus, non raro ardentiores Molinistae his calumniis veluti argumentis contra Thomisticam scholam abutebantur. Quare et horum excessus Benedictus XIII prae oculis habuisse dicendus est, uti ex ipso supplici libello Magistri generalis Ord. Praed. aperte constat.

[3] *Constit. Dimissas preces.*

[4] Negari nequit verba Benedicti XIII longe plus dicere in laudem S. Augustini et S. Thomae quam verba Clementis XII in laudem Molinae.

Itaque iam heic recusare licet deficientem sententiam, quae gratiae elargitionem concipit veluti a Deo indifferenter datam, et unice efficaciam gratiae repetit a bona voluntate hominis eam recipientis, independenter ab altiori consilio Dei gratiam providentis et praedestinantis. Quod bene monet Bossuetius: « Monsieur Simon s'imagine avoir satis- « fait à ce que l'on doit à la gratuité de la grâce, si l'on « me permet ce mot, en reconnaissant une grâce généralement offerte ou donnée à tous les hommes par une pure « et gratuite libéralité; mais c'est en quoi il a montré son « ignorance. Je ne nie pas cette grâce..., ni les grâces dont « on abuse et que les hommes rendent si souvent inutiles « par leur malice; mais s'il ne fallait pas en reconnaître « d'autre, il ne faudrait pas reconnaître un certain genre de « grâce dont on n'abuse pas, à cause qu'elle est préparée « pour empêcher qu'on n'en abuse ».[1]

Ex quo sequitur quod, etiamsi gratia efficax non intrinsece differret a gratia sufficiente, haberet tamen rationem specialis beneficii a parte Dei eam conferentis, quae ratio beneficii involvit, uti aiunt, affectivam infallibilitatem a parte Dei effectum ordinantis et praedestinantis.

Audiatur Card. Mazzella: « Non negatur quaelibet distin- « ctio inter gratiam efficacem et sufficientem, sed admittitur « distinctio ratione beneficii. Cum enim gratia efficax prae- « ter posse det ipsum agere, idque ex benevola ac gratuita « voluntate Dei praedefinientis gratiam coniungendam cum « effectu, prae alia quae solum posset cum eo coniungi; evi- « denter habet rationem maioris beneficii tum materialiter, « tum formaliter ».[2]

Unde optime scribit cl. de Baets: « Conceptus gratiae « efficacis minime hoc absolvitur quod sit gratia cuius « praevideatur bonus usus futurus; dicendum est insuper « eam dari ex intentione efficacitatis, atque propterea habere « specialem gratiae, hoc est, beneficii rationem; aliis verbis: « non est gratia qua homo bene agere poterit et bene aget, « sed est gratia data *ut homo de facto bene agat* ». Et recte addit monitum: « Talem gratiae efficacis conceptum pauci

[1] Op. cit., loc. cit., ch. 11.

[2] *De grat.*, disp. III, art. 4. - Cf. KILBER (*de grat.*, disp. V, art. 4).

« vel ne pauci quidem catholici theologi impugnant; multi « vero eius videntur obliti, vel certe non sufficienter illum « considerant ».[1]

Contra tales scribit Card. Bellarminus: « Est aliena omnino « a sententia S. Augustini, et quantum ego existimo, a sen- « tentia etiam Scripturarum divinarum. Nam S. Augustinus, « lib. *de praedestinatione Sanctorum,* c. 8, dicit gratiam, « efficacem videlicet, a nullo duro corde respui, quia ipsa « cor emollit; ubi vides, efficaciam tribui gratiae, non volun- « tati humanae. Et lib. *de spiritu et littera,* c. 34, quaerens « cur Deus uni ita suadeat, ut persuadeat, alteri non ita; non « respondet, quia unus consentit, alter non consentit, sed « exclamat: *O altitudo divitiarum!* Itaque refert in arcanum « divinae voluntatis, cur uni detur efficax, alteri non detur. « Et in epist. 107 *ad Vitalem,* reprehendit eos qui dicunt, « omnes homines fuisse accepturos gratiam Dei, si non illi, « quibus non datur, eam sua voluntate respuerent. Ubi sine « dubio loquitur de gratia efficaci, nam gratiam sufficien- « tem probabimus paulo post ex sententia S. Augustini « omnibus hominibus dari; non igitur vult S. Augustinus « gratiam efficacem pendere ab humana voluntate, sed a « divina. Denique tam est hoc in operibus S. Augustini « frequens et obvium, ut supervacaneum sit id pluribus con- « firmare ».[2]

[1] Op. cit., p. 105 sqq. Quousque autem haec specialis ratio beneficii possit omnibus gratiis efficacibus tribui ab his theologis qui recusant praedestinationem antecedentem ad praevisa merita, fateor me non videre. Nec miror acutum P. De San S. I. affirmasse, illos « turpiter dissentiri a semetipsis». *

[2] *De grat., et lib. arb.,* l. I, c. XIJ. - Cui Bellarmini doctrinae consonat, quod P. Cl. Aquaviva, anno 1613, membris S. I. iniunxit: « Nostri in posterum omnino « doceant, inter eam gratiam quae effectum reapse habet atque efficax dicitur, et « eam quam sufficientum nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, « quia ex usu liberi arbitrii effectum partiatur... sed in ipso actu primo, quod, posita « scientia conditionalium, ex efficaci Dei intentione efficiendi certissime in nobis « boni, de industria ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo « videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset; « quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in suf- « ficienti gratia est, in actu primo contineri ».**

* *De Deo uno*, tom. II, c. 3.

** Patet hoc decreto aliquem Molinismum mitigatum commendari. Postquam autem, teste P. Lahousse (*De gratia,* n. 250), Praepositus Generalis Beckx hoc decretum antiquatum declaravit, nil mirum, Molinismum purum apud quosdam eiusdem Societatis sodales revixisse.

Sane hac in re, sicuti in omni argumento ad gratiam spectante, cavendum est a fraudulentis insidiis haereticorum, imprimis Iansenistarum, qui Augustinianas formulas durius intellectas perfida mente urgent. At non ideo erubescendum est gratiae mysterium, quod iuxta Scripturas ipsas Augustinus contra Pelagium animose proclamat.

Bene Fenelonius in laudatis epistolis de gratia et praedestinatione: « Vous me demanderez sans doute en quoi « donc consiste la grâce. Je vous répondrai que la grâce « (sans examiner, selon la philosophie de l'école, son entité) « est Dieu opérant dans l'âme. 1. La grâce donne à l'enten- « dement une illustration; 2. elle donne à la volonté un « attrait prévenant, un sentiment doux et agréable, qui est « en elle sans elle; 3. elle augmente la force de la volonté, « afin qu'elle puisse actuellement dans ce moment vouloir « le bien; 4. elle l'excite à se servir de cette force nouvel- « lement donnée. Jusque-là cette grâce n'est que prévenante, « et en nous sans nous ». Et paucis interiectis efficaciam gratiae ita illustrat iuxta S. Augustinum: « Pour ce qui est « d'augmenter la force de la volonté, c'est le moyen le plus « décisif pour faire vouloir l'homme sans le nécessiter. Aussi « voyons-nous que S. Augustin, après avoir dit: *Facit ut « velimus*, ou quelqu'autre chose semblable, s'expliquer en « ajoutant *adiuvando* ». [1]

Optime Bossuetius: « Personne n'est étonné de ces façons « de parler, ni ne les trouve suspectes, que les ennemis de « la vérité, parce qu'on sait, disons-nous, qu'elles n'ont pas « d'autre sens que celui-ci: Il ne peut pas arriver ensemble, « que Dieu veuille fléchir le cœur de l'homme et que les « moyens lui manquent pour venir à bout de ce dessein. On « sait que pour l'accomplir il répand dans les cœurs, comme « parle S. Augustin, une délectable perpétuité et une force « insurmontable: *Delectabilem perpetuitatem et insuperabi- « lem fortitudinem.* [2] On sait que cette force insurmontable est « l'équivalent d'une force qui ne peut être vaincue, à laquelle « par conséquent, en un certain sens tout commun en théo-

[1] Op. cit., *1e Lettre, 2e Question.*
[2] *De correpl. et grat.*, c. 8.

« logie, on ne peut pas résister, et que c'est précisement « celle que l'Église espère lorsqu'elle demande à Dieu une « inviolable affection pour son amour, *inviolabilem chari-* « *tatis affectum*, en sorte que les désirs qui nous sont inspi- « rés par sa bonté, ne puissent être changés par aucune « tentation, *nulla possint tentatione mutari* ».

Quod ipsis Domini sententiis corroborat: « Si ce lan- « gage est suspect, on n'osera plus parler des infaillibles et « immanquables moyens par lesquels Jésus Christ assure l'ac- « complissement de cette grande parole: " Tout ce que mon « Père me donne vient à moi „.[1] Il faudra du moins modérer « et corriger celle-ci: " Tout ce que mon Père m'a donné « est plus grand que tout, et personne ne le peut ravir des « mains de mon Père „;[2] et y admettre une exception pour « les élus, s'ils peuvent finalement ravir eux-mêmes à « Celui qui les veut avoir et dont les puissantes mains les « tiennent si bien ».

Unde recte concludit, ob Jansenisticas suspiciones nihil a plenitudine huius doctrinae esse remittendum: « Ainsi on « sera toujours en garde contre les expressions de l'Évan- « gile, de peur qu'un chicaneur ne nous vienne dire que « vous êtes Jansenistes en les prenant avec les Saints selon « qu'elles sonnent. C'est pourtant dans de semblables paro- « les, dont l'Évangile est plein, que " consiste la suréminente « vertu que l'Apôtre reconnaît, dans ceux qui croient „:[3] « vertu qui nous ressuscite et au dehors, et selon l'ésprit, et « à la fin selon le corps, " par une opération qui s'assujettit « toutes choses „,[4] qui par conséquent s'assujettit le libre « arbitre comme le sujet de tous mérites, mais qui ne serait « pas au rang des choses que Dieu a faites, s'il ne demeu- « rait comme les autres assujetti à l'operation de sa puis- « sance ».[5]

Stet igitur firmum, dari gratiam hoc sensu efficacem. « Gratia proinde efficax, ait laudatus de Baets, non ideo

[1] Ioann., vi, 37.
[2] Ioann., x, 29.
[3] Ephes., i, 19.
[4] Philipp., iii, 21.
[5] *Avertissement sur les réflexions morales*, § v.

« talis denominatur quia sit *efficax in manu liberi arbitrii* « *humani,* sed quatenus *efficaciter Deus per eam operatur* « *liberum hominis consensum:* est gratia *bonae voluntatis,* « quà Deus nos facit velle et operari bonum; est gratia cui « non resistitur, *quia datur ut ei non resistatur* ».[1]

Hunc conceptum gratiae efficacis nullo modo excludere gratiam sufficientem, ex S. Augustino diserte apparet: « Nemo « credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. Noluit « ergo Esau, et non cucurrit; sed si voluisset, et Dei adiu- « torio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando prae- « staret, nisi vocatione contempta reprobus fieret ».[2]

Et haec impraesentiarum sufficiant. Plura de hoc subtili et gravissimo argumento dicemus in dissertatione finali.

12) De adiutorio « sine quo non » et adiutorio « quo ».

Supersunt duae distinctiones ab Augustini modo loquendi derivatae. Iam in expositione doctrinae de dono perseverantiae attulimus praecipuos textus in quibus S. Augustinus, conferens statum integritatis cum statu lapso, distinguit inter adiutorium *sine quo non* et adiutorium *quo.* « Aliud est adiutorium *sine quo* aliquid *non* fit, et aliud est « adiutorium *quo* aliquid fit ».[3]

De qua distinctione magnae in scholis controversiae ortae sunt, nec hodie sopitae.

a) Imprimis falsa est interpretatio Calvini et Iansenii, qui dicunt, hoc esse discrimen ab Augustino intentum, quod in statu integro auxilium *sine quo non* salvabat libertatem, in statu vero lapso auxilium *quo* non salvat nisi voluntarium.

b) Falsa pariter, non eodem tamen gradu, est interpretatio quae in hoc reponit discrimen, quod auxilium *sine quo non* dat potentiam sine actu, auxilium vero *quo* potentiam cum actu. Nam textus Augustini hunc sensum non patiuntur;

[1] Op. cit., p. 111.

[2] *Epist. ad Simplic.,* q. 2. – Cf. *de lib. arb.,* c. 16, n. 45; *de spir. et litt.,* c. 34; Lib. Qq., LXXXIII, q. 68.

[3] Cf. integrum textum ibidem allatum, p. 252 sq.

est insuper explicatio absona, quum integrum Adami statum ponat in conditione longe peiore.

c) Extra rem pariter, gratuita et cum Augustini mente nullatenus consona est interpretatio quae dicit, auxilium *sine quo non* esse *habituale,* auxilium autem *quo* actuale, quasi non utroque auxilio uterque status et integer et lapsus indigeat.

d) Minus falsa, sed nondum probabilis est sententia quae dicit, auxilium *sine quo non* subesse voluntati, auxilium vero *quo* eamdem subigere. Esto, in statu lapso, voluntatem, utpote debiliorem, maiore iuvamine indigere quam in statu integro; at non ita ut in isto auxilium subsit, in altero subsit voluntas. In utroque enim statu, quum agatur de adiutorio supernaturali, natura subest; et in utroque quatenus voluntas, ut libere agat, dominium suum exercet, voluntas nequit dici subesse.

e) Neque dicatur in statu integro adiutorium *sine quo non* dare facultatem liberam, in statu vero lapso adiutorium *quo* dare facultatem determinatam; haec enim solutio, licet a cruditate Calviniana et Ianseniana videatur aliena, non est ab insidiis libera.

f) Magis appropinquat ad veritatem interpretatio quae dicit, adiutorium *sine quo non* esse gratiam Dei, adiutorium vero *quo* esse gratiam Christi. Utique hoc est materialiter verum, sed non explicat cur gratia Dei fuerit adiutorium *sine quo non,* gratia autem Christi sit adiutorium *quo,* quae ratio est in indole utriusque status quaerenda.

g) Proxime ad veritatem appropinquat sententia quae dicit, Augustinum agere hic de gratia praedestinationis.[1] Adam habuit adiutorium *sine quo non,* quia poterat stare, sed non stetit; praedestinati habent adiutorium *quo,* quo

[1] Hoc sensu Fenelonius: « La différence du secours *sine quo non,* donné au « premier homme innocent, et du secours *quo,* donné à sa postérité corrompue, que « St Augustin proclame dans le livre *De la Correction et de la Grâce,* ne consiste « donc point dans une diversité d'espèces entre ces deux grâces ... Il est vrai seu- « lement que Dieu donnant à Adam le secours *sine quo non* ne le destinait pas à « persévérer et ne voyait pas sa persévérance ... Ainsi la certitude est de la part « de la prédestination de Dieu, qui veut le vouloir déjà présent à ses yeux, et non « de la part de l'essence du secours *quo,* ou grâce médicinale ». *

* *Lettres sur la grâce et la prédestination. – 1e Lettre, 1e Question.*

non solum possunt stare, sed stant. Bene quidem. Sed cur Augustinus explicat mentem suam, non conferendo praedestinatum cum non praedestinato, sed statum integrum cum statu lapso? Neque dicit, daemones habuisse adiutorium *sine quo non*, Angelos bonos adiutorium *quo*. Ultima proin ratio huius distinctionis quaerenda est, non in ipsa praedestinatione vel non praedestinatione, sed in discrimine inter utrumque statum.

h) Quare censemus, veram explicationem huius divisionis, iuxta mentem Augustini, esse illam quam superius dedimus agentes de dono perseverantiae.

Unde apparet, adiutorium *quo* addere super adiutorium *sine quo non* iuvamen medicinale, quod abfuit in statu integro, et implicat in statu lapso efficaciam quae in praedestinatis nequit effectu suo frustrari.

13) De gratia simpliciter et de gratia pro gratia.

Restat ultima divisio quam S. Augustinus hisce verbis exponit: « Si vita nostra bona nihil aliud est quam gratia Dei, « sine dubio, et vita aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei » gratia est: ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa « cui datur; sed illa cui datur, tantummodo gratia est, haec « autem, quae illi datur, quoniam praemium ipsius est, gratia « est pro gratia ».[1]

Quae distinctio efficacissime illustrat gratuitatem non solum gratiae initialis, sed ipsorum meritorum, quae, utpote per gratiam acquisitorum, sunt quidem merita, sed ita ut sint simul dona Dei. Quare iuxta eumdem Augustinum, Deus coronans merita nostra, coronat et sua dona.

Quo magis autem cooperatio nostrae liberae voluntatis concipitur uti distincta ab operatione gratiae, eo magis quoque infirmatur conceptus, qui huic ultimae gratiarum divisioni praesidet.

Quidquid sit, haec divisio Augustini alludit ad verba Ioannis: « De plenitudine eius nos omnes accipimus, et gratiam « pro gratia ».[2]

[1] *De grat., et lib. arb.*, c. 8; cf. et c. 23 in fine.
[2] Ioann., i, 16. Cf. Augustinum (ibidem, c. 9).

II PARS.

DE CAUSIS GRATIAE
(QUAESTIO CXII).

Ratio et ordo Quaestionis. - In praecedenti Quaestione vidimus, ubi de gratia operante et cooperante, duplicem activitatem ad actum supernaturalem concurrere, Dei scilicet et liberi arbitrii. Iam oportet ut haec duplex activitas penitius investigetur. - En obiectum praesentis Quaestionis, saltem inquantum spectat ad gratiam habitualem.

In primo articulo S. Thomas directe quaerit de causa efficiente divina. In art. secundo quaerit de concursu facultatis humanae. Complet autem argumentum in art. tertio, ubi considerat nexum inter hunc concursum et ipsam gratiae infusionem. Heic potuisset Angelicus stare. Sed ulterius progreditur. Ex causa enim gratiae deducit graduum diversitatem (a. 4), necnon absentiam certitudinis de eius praesentia (a. 5).

ARTICULUS I.

UTRUM SOLUS DEUS SIT CAUSA GRATIAE.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Causa de qua quaeritur in hoc articulo, est causa efficiens. De aliis in appendice verbulum addemus. Iam vero haec exigit proportionem inter causam et effectum, et quidem talem ut causa praestet effectui. Quaerere proin utrum solus Deus sit causa gratiae, est quaerere utrum effectus excedat virtutem cuiusvis creaturae, non solum existentis, sed et possibilis. Atqui in praecedentibus vidimus, excellentiam gratiae consistere in hoc quod reddit participes ipsius divinae naturae. Ergo, sicuti effectus omnem activitatem creaturae etiam possibilis excedit, ita solus Deus potest causa efficiens esse gratiae.

2) Ideone excludenda est quaevis causa efficiens in ordine ad gratiam praeter Deum? - Distinguo: causa principalis,

independens, concedo; causa instrumentalis, subdistinguo: si instrumentum sit coniunctum, nego; si sit seiunctum, concedo. Danturne talia instrumenta? Affirmant theologi, scilicet: humanitas Christi et sacramenta. De quibus pauca.

3) Humanitas Christi est instrumentum coniunctum Verbi et quasi organum divinitatis; ideoque agit virtute principalis agentis. Notandum tamen est, non uno modo intelligi posse locos Scripturae in quibus Christus uti causa gratiae exhibetur. Saepe enim ibi non alia causa affirmatur quam causa meritoria (cf. dicenda in fine art.).

4) Sacramenta vero possunt duplici modo considerari. *a*) Uti minus stricte, sed aliqualiter coniuncta instrumenta ipsius Christi, id est veluti Christi actus, per quos ipsa virtus divina Christi se exercet; et tunc causalitas sacramentorum reducitur ad causalitatem ipsius humanitatis Christi. *b*) Considerari etiam possunt sacramenta tamquam instrumenta Spiritus Sancti. Tunc se habent sacramenta ad Spiritum Sanctum simili quasi modo, quo se habet humanitas Christi ad Verbum.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Confundit causam principalem et instrumentalem.

2ª Obi. Pari vitio laborat. Vide dicta n. 2, 3, 4.

3ª Obi. Confundit mentis illuminationem cum infusione gratiae.

Sed contra est. Afferri heic etiam potest locus Iob: « Quis « potest facere mundum de immundo conceptum semine? « Nonne tu qui solus es? »[1] Confirmatur ex constanti modo loquendi Scripturarum, in quibus remissio peccatorum, quae per gratiae infusionem producitur, numquam nisi Deo tribuitur. Unde, quum Christus paralytico dixisset: « Dimit- « tuntur tibi peccata tua », audientes « quidam de Scribis » cogitabant intra se: « Blasphemat. Quis potest dimittere pec- « cata, nisi solus Deus? ».[2] Nec Iesus eorum argumentum correxit, implicite ita ratificans se esse vere Deum, quum potestatem haberet remittendi peccata. Et sane quando Apo-

[1] Iob, xiv, 4.
[2] Marc., ii, 7

stolis, ope sacerdotalis ministerii participatam hanc potestatem communicavit,[1] insufflavit in eos, Spiritumque Sanctum eis immisit, et ad suam ipsius missionem appellavit, ad ostendendum, agi hic de potestate tantae celsitudinis, quae propria virtute non competit nisi Deo.

Eamdem doctrinam Conc. Tridentinum solemniter definivit Sess. VI, cap. 7: « Huius sanctificationis causae sunt... effi-« ciens misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat, « signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est « pignus haereditatis nostrae ».[2]

In Corpore. Conclude, nonnisi Deum unum et trinum proprie gratiae esse causam efficientem.

Corollarium I. – Uti iam diximus, ex doctrina in hoc articulo demonstrata sequitur, validum argumentum divinitatis Christi deduci ex modo quo peccata dimittebat, idque modo non deprecantis, sed iubentis. Quare exclamatio Ioannis: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi », involvit cognitionem divinitatis Redemptoris. Unde Ecclesia per trinam hanc invocationem claudit Litanias addendo, uti pro Deo, « miserere nobis ».

Corollarium II. - Pariter fluit ex eadem doctrina, quum sacramenta gratiam producant ad modum causae vere efficientis, licet instrumentalis, ea non posse institui nisi ab agente principali Deo. Unde conditio essentialis sacramentorum est institutio divina, scilicet per Christum fundatorem Ecclesiae. Potuit enim Christus Ecclesiae relinquere facultatem nonnulla magis determinandi, v. gr., quoad divisibilitatem Ordinis per gradus; fontalis autem sacramentorum ritus non potest esse nisi a Christo. Imo etiamsi, quod falso excogitarunt quidam modernistae, Ecclesia potuisset decursu temporum pro rerum adiunctis nova instituere sacramenta, hanc facultatem non habuisset nisi a Christo, et haec sacramenta suam virtutem non accepissent nisi a ratificante Christo.

[1] Ioann., xx, 21 sqq.

[2] Ex modo quo iustificatio hic describitur, apparet, solum Deum posse eiusdem efficientem esse causam.

Corollarium III. - Etsi omnia sacramenta sint gratiae feracia, uti instrumenta Christi, specialissimo modo haec virtus competit SS. Eucharistiae, quum, praeter rationem instrumentalem omnibus et singulis sacramentis communem, ipsa Christi humanitas, quae directe in hoc sacramento praesens constituitur, sit instrumentum coniunctum ipsius Verbi.

Corollarium IV. - Collige ex praesenti doctrina, graviter errasse non solum Albanenses contendentes, hominem ex sese posse dare Spiritum Sanctum; sed et Arnaldum affirmantem, humanam naturam Christi in omnibus aequari naturae divinae. Quod manifasto monophytismum sapit.

Appendix.

De aliis causis gratiae.

Praeter causam efficientem, aliae causae a philosophis et theologis distinguuntur, praecipue *finalis, meritoria, instrumentalis, formalis, exemplaris, ministerialis, dispositiva, materialis*. De quibus singulis superest ut nonnihil addamus.

a) Causa *finalis* ita a Conc. Tridentino definitur: « gloria « Dei et Christi, ac vita aeterna ».[1] Et quidem optime. Immediate gratia tendit in vitam aeternam. Haec autem vita aeterna tendit in gloriam Dei. Deus autem post incarnationem consideratur Deus unus et trinus, necnon Deus incarnatus Christus. Aliis verbis vita aeterna tendit in gloriam Christi, gloria Christi capitis in gloriam Dei.

b) Causa *meritoria* definitur: « dilectissimus unigenitus « suus D. N. I. Chr., qui, quum essemus inimici, propter nimiam « charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in « ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo « Patri satisfecit ».[2] In qua definitione distingue rationem impulsivam operis, et ipsum opus: impulsiva ratio fuit charitas nimia erga peccatores indignos; opus fuit meriti et satisfactionis, ita respondens duplici respectui iustificationis, scilicet infusioni gratiae et remissioni peccatorum.

[1] Ibidem.
[2] Ibidem.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

c) Causa *instrumentalis* est « sacramentum Baptismi, quod « est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iusti- « ficatio ».[1] Quod a Concilio Tridentino de prima iustificatione dictum, potest ad sacramentum poenitentiae pro recuperanda gratia extendi. Imo ad omnia sacramenta pro gratia singulari ad quam instituta sunt. Haec est causa instrumentalis directa. Indirecta vero est ipsa humanitas Christi, quae fuit Verbo instrumentum coniunctum expiationis et meriti. In Eucharistia autem eadem humanitas, sub ratione sacramenti, fit causa instrumentalis directa.

d) Causa *formalis* « unica est iustitia Dei, non qua ipse « iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo « donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo « reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam « in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensu- « ram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et « secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperatio- « nem ».[2]

e) Causa *exemplaris* est iustitia Dei et Christi, iuxta verba Domini: « Sancti eritis, quia ego sanctus sum »;[3] necnon Pauli: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu ».[4]

f) Causa *ministerialis*, sunt ipsi ministri sacramenta conferentes.

g) Causa *dispositiva*, sunt actus quibus homo ad gratiam praeparatur; sunt autem proxime vel remote dispositiva, secundum quod immediate vel mediate ad gratiam disponunt.

h) Causa *materialis* est ipsa anima iustificandi.[5]

Quaeres. – Quaerunt theologi, quo nomine vocanda sit operatio qua Deus gratiam efficienter in anima producit: utrum creetur, an concreetur, vel increetur, vel aliquid huiusmodi.

Respondetur ex dictis in Q. CX, art. 2. Licet gratia sit in genere accidentium, seu qualitatum, nihilominus non educitur de potentia materiae, quemadmodum accidentia natu-

[1] Ibid.

[2] Cf. can. 10 et 11. De quibus fusius in Quaestione sequenti.

[3] I Petr., I, 16; Levit. XI, 44.

[4] Phil., II, 5.

[5] Aliqui subiectivam vocant causam materialem, et materialem vocant eam, quam vocamus dispositivam.

ralia. Unde potest dici gratia in anima creari, ad significandum quod producitur de nihilo tituli seu meriti naturalis. Ita S. Paulus, ubi ait: « Creati in Christo in operibus bonis ».[1] Haec solutio, conformis S. Thomae, ostendit quo iure S. Bonaventura aliique potuerint simpliciter affirmare, gratiam, dum infunditur animae, a Deo creari.

Quod autem dicitur de infusione gratiae, valet per oppositum de eius destructione per peccatum: « Cum gratia non « causetur ex principiis eius in quo est, ait Seraphicus, sed « aliud pro subiecto, aliud pro causa, quemadmodum cum « lumen corrumpitur, vel similitudo in speculo, vel ipsa « species in anima, non corrumpitur illud in quo est, nec « redit ad illud a quo est, sed quantum est de se, in nihil « cedit; sic gratia, quia non habet esse in anima per modum « naturae, sed per modum habitus, ut prius habitum est, « nec ex principiis animae producitur, cum corrumpitur, in « nihil redigitur: et propterea peccatum, in quo fit gratiae « corruptio, dicitur esse nihil, et inter omnes corruptiones « summo auctori et conservatori omnium bonorum maxime « displicere dignoscitur ».[2] Et S. Thomas simpliciter dicit: « gratia cum corrumpitur, simul etiam in nihilum redit »,[3] licet alibi[4] addat, hunc modum loquendi non esse proprium, quia accidens non est ens, sed esse entis.

Corollarium. – Collige ex hac doctrina, quam lugenda sit ruina animae quae a sanctitatis gloria ad peccati ignominiam corruit.[5] Hanc ruinam Christus sane intuebatur, quando inter turbarum iubilos, super Ierusalem obstinationis deicidae poenam mox destructione subituram, tam amaras lacrimas effudit. Quarum lacrimarum speciali dono Deus participes reddit, quotquot pius zelus de iustorum perseverantia et de peccatorum conversione reddit sollicitos.

[1] Ephes, II, 10.

[2] II *Dist.* XXVI, a. 1, q. 4.

[3] Ibid, q. 1, a. 3, ad 5m.

[4] Q. CX, a. 2, ad 3.

[5] Hinc legimus, Sanctos peccatorum miserum statum intuitione mirabili cognovisse: uti S. Philippus Nerius, qui castos ex odore suavi et impuros ex foetore discernebat. Ita beatus Vianney venatorem levioris vitae, qui curiositatis causa pagum Ars visitarat, illico convertit, cani eius blandiendo simulque dicendo: « Quam speciosum canem, Domine; sed heu, quam horridam animam tuam! ».

ARTICULUS II.

UTRUM ALIQUA PRAEPARATIO ET DISPOSITIO AD GRATIAM A PARTE HOMINIS REQUIRATUR.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Inter alias causas gratiae adnumeravimus (g) causam dispositivam. De hac iam specialiter quaerendum est, distinctionem inter gratiam operantem et cooperantem applicando ipsi praeparationi ad gratiam.

2) Iam vero distinguendus est duplex modus iustificationis: *a*) alius, in quo anima subitaneo motu ad perfectam praeparationem pervenit; *b*) alius, in quo paulatim ad eam accedit. De praeparatione subitanea sunt intelligenda ea quae infra in Quaestione CXIII, praesertim in art. 3, 4, 5, dicentur. De praeparatione non subitanea, vel de via ad iustificationem potius intelligendi sunt art. 6. Q. CIX, necnon et articulus praesens.

3) Dico potius, quia instantanea praeparatio non excluditur, quemadmodum in *Corpore* et in responsionibus apparet; sed magis in recto ponitur praeparatio de imperfecta ad perfectam dispositionem, sive iustificatio praecedente via ad eam.

4) Iam vero ratio fundamentalis unde necessitas praeparationis desumitur, in axiomate habetur philosophico: nullam infundi formam, nisi materiae ad eam recipiendam dispositae. Quod proin haec materiae praeparatio fiat in instanti necne, parum ad rem refert; modo adsit. Quum autem forma gratiae sit in anima uti formaliter rationali et elevationis capaci, haec dispositio consistet in supernaturali motu animae in Deum.

5) Quare quum talis motus supernaturalis nequeat nisi ex gratia haberi, ipsa gratia movens disponit ad gratiam habitualem, nec Deus in disponenda anima ad sua dona ab alio dependet quam a se ipso.

6) Quid autem, si anima sit talis praeparationis incapax? Respondet S. Thomas, et haec consideratio praesens argumentum complet: « In illis qui non per propriam voluntatem culpam incurrunt, et usum voluntatis non habent, non

« exigitur ex parte eorum aliqua preparatio, sicut de pueris patet in Baptismo ».[1]

7) Patet proin, doctrinam heic vindicandam medium locum tenere inter duos excessus: quorum alter, unice excellentiam gratiae considerans, ullam praeparationem ad eam praerequiri negat; alter, capacitatem naturae exaggerans, affirmat, eam propriis viribus sese posse ad gratiam praeparare: quod Semipelagianismum sapit.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit praeparationem instantaneam et non instantaneam. Prima habet pro termino meritum, sed non gratiae ex qua est; altera, sine ullo merito, est via ad gratiam.

2ª Obi. Procedit de iustificatione instantanea; nec attendit, et in tali iustificatione motum voluntatis in Deum adesse, licet tempore gratiam non praecedat.

3ª Obi. Negligit dicta n. 5. Etenim quum ex una parte Deus possit in instanti disponere animam, et ex altera parte dispositio in instanti nequeat dari sine gratia, nullo modo offenditur infinita virtus Dei. Si enim per talem dispositionem seu praeparationem offenderetur, dicendum esset, vel infinitam Creatoris potentiam offendi per creaturas minoris perfectionis, vel impotentiae Dei esse tribuendum quod gratia requirat materiam seu subiectum dispositum.

Sed contra est. Adverte, ex omnibus huiusmodi locis sequi, non solum aliquam praeparationem iniungi; sed per gratiam utique eam posse praestari. Inde ratio successionis quaestiunculae 1 et 2 in art. 2 q. 1, IV Dist. XXVII S. Th.: « Videtur quod praeparatio per quam aliquis facit quod in « se est, ad iustificationem non praeexigatur ». « Videtur quod « nihil sit in homine quod facere possit ut ad gratiam haben- « dam se praeparet ». Cf. dicenda inferius, ubi ex professo doctrinam Conc. Tridentini de iustificatione exponemus.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio:	1) ad gratiam habitualem,	concedo: secus materia non esset disposita ad formam;
	2) ad gratiam moventem,	nego: e contra quaevis praeparatio est a gratia movente.

[1] IV dist. 17, q. 1, a. 2, sol. 1. - Cf. art. 3. Q. sequentis.

Observa in 1°) abstrahi ab hoc utrum iustificatio sit instantanea et sine via praecedente, an cum via precedente ad illam. De quo agetur in Quaestione sequenti.

ARTICULUS III.

UTRUM NECESSARIO DETUR GRATIA SE PRAEPARANTI AD GRATIAM, VEL FACIENTI QUOD IN SE EST.[1]

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ratio huius articuli ex hucusque expositis patet. Quum enim dispositio hominis per liberum arbitrium ideo requiratur, ut materia apta sit ad formam, quaeritur, utrum materia semel disposita necessario formam appellet. Iam vero in naturalibus aliter et aliter loquendum est, secundum quod agitur de forma ab externo agente, vel de forma vi ipsius internae transmutationis inducenda.

2) In hoc altero casu nequit abesse, sed potius est eductio formae de potentia materiae, quam formae inductio. In priori casu est distinguendum. Dantur enim praeparationes remotae et praeparationes proximae. Remota habetur, v. gr., in dispositione luti ad figuram ipsi a figulo imprimendam: haec dispositio per se non appellat formam, requiritur tamen ut recipi possit. Proxima praeparatio habetur, v. gr., in calefactione ligni: in ipso enim instanti quo perfecte disponitur ad formam, ignis incipit ardere.

3) Iamvero si hanc distinctionem applicamus dispositioni hominis ad gratiam, dicemus, dispositionem proximam, quae nihil aliud est quam motus liberi arbitrii in instantanea iustificatione, formam necessario exigere. Imo simul eam exigit et ab ea est. Dispositio autem remota potest esse sine forma, et potest eam accipere.

4) Igiturne, in praeparatione imperfecta ad gratiam nullus est necessitatis nexus inter praeparationem et consecutionem gratiae? - *Resp.* Si ipsam praeparationem mere a parte se praeparantis consideras, nullus est; secus dici deberet, praeparationem talem iam mereri gratiam. Si autem consideras intentionem illius qui ad hanc praeparationem voluntatem movit, adest nexus necessitatis.

[1] De hoc axiomate, sed sub alio respectu, iam egimus. Q. CIX, art. 6 ad obi. 2m.

5) Sed iam quaeres: qualis sit iste necessitatis nexus, Triplex enim excogitari potest: nexus *coactionis*, nexus *infallibilitatis* et quidem alius ex mera *praevisione*, alius insuper ex *praedestinatione*. De singulis pauca. *a*) Nexus *coactionis* esset ille, qui cogeret ipsum liberum arbitrium. Est positio absurda. Ubicumque enim ingreditur liberum arbitrium, abest coactio. Insuper est imaginatio falsa, ac si talis coactio, dato quod adsit, nexum posset cum gratia causare.

b) Alius nexus est *infallibilitatis* ex *praeviso* consensu liberi arbitrii cum motione ipsum ad gratiam disponentem. Insufficiens est. Etenim in hac hypothesi iam supponitur consensus: agitur enim de *se praeparante* ad gratiam. Insuper melius vocaretur necessitas praevisionis quam infallibilitatis. Demum secunda ratio allata contra *a*) valet et contra *b*).

c) Restat nexus *infallibilitatis* ex *intentione* gratiam destinantis, et per gratiae motum ad gratiae habituale donum disponentis. Hic est nexus quem expresse defendit S. Thomas, sicut ex toto argumentationis modo, et praesertim ex ultimis verbis manifeste apparet.

II. **Ad Textum.** – *1ª obi.* Confundit congruum cum condigno. Insuper confundit praeparationem proximam, perfectam, cum remota, seu imperfecta (Cf. n. 2, 3).

2ª obi. Supponit, nos esse nunc in eadem conditione in qua erant Angeli. De sententia S. Anselmi infra dicemus.

3ª obi. Solvitur ex modo dictis n. 2.

Sed contra est. Huc quoque adduci potest locus Pauli. « Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei », [1] ad significandum, inter praeparationem (imperfectam utique) ad gratiam et ipsam gratiam, relinqui gratuitae Dei misericordiae spatium.

In Corpore. Distincto in praeparatione ad gratiam elemento liberi arbitrii et elemento divinae motionis, negatur nexus a parte prioris, affirmatur autem et explicatur nexus a parte alterius.

Observa modum conditionalem quo Angelicus loquitur in ultima sententia: « *Si ex intentione Dei moventis est*, etc. ».

[1] Rom., ix, 16.

Ex quo habes, dari posse quod homo quidem motioni ad gratiam disponenti docilis fuerit, quin tamen ad gratiam perveniat; non quidem ex docilitatis defectu, qui tolleret hypothesim, sed aliunde, ex axiomate quod, propter peccatum originis et concupiscentias, prima causa defectus gratiae sit in nobis (Cf. resp. ad 2m).

Ex modo arguendi S. Thomae in hoc *Corpore* vides, quid intersit inter hunc art. et art. 6. Q. CIX. Ibi agebatur de praeparatione ad gratiam sine gratia. Hic agitur de praeparatione ad gratiam per gratiam. In art. 3, 4, 5. Quaest. seq. agetur de motu liberi arbitrii in ipsa instantanea iustificatione. Unde vides, hos articulos per triplicem gradationem disponi.

Axioma philosophicum de necessitate, ut « cuilibet for- « mae praeparatae forma infundatur », S. Thomas subtiliter evolvit in Commentario Lombardi.[1] En schema huius doctrinae. Admissa in Deo sola necessitate ex suppositione divini propositi, ita discurrit.

- Formae sunt aliae
  - I) naturales,
    - 1) productae mediantibus causis secundis:
      - *a*) ut inducatur, adest necessitas conditionata in Deo;
      - *b*) absoluta in agentibus proximis;
    - 2) immediate a Deo:
      - *a*) non adest absoluta necessitas a parte agentis;
      - *b*) sed a parte recipientis.
  - II) supernaturales: nulla adest necessitas, nisi ex suppositione divini ordinis.

Corollarium I. - Ex doctrina quam in hoc articulo S. Thomas diserte defendit, corroboratur valide sententia quam superius exposuimus, ubi de indole gratiae efficacis disserebamus.

Haec enim gratia, – quidquid aliquis sentiat de modo quo suam efficaciam exerit, – habet specialem rationem beneficii, non solum ex divina praescentia, vi cuius Deus eam confert gratiam quam efficacem fore praevidit, sed ex divina providentia, quae talem confert gratiam quae praedestinatum effectum assequatur. Unde Bellarmini doctrina superius allata cum mente S. Thomae optime concordat.

[1] IV Dist., XVII, q. 1, a. 2, q. 3.

ARTICULUS IV.

UTRUM GRATIA SIT MAIOR IN UNO QUAM IN ALIO.[1]

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Si, quemadmodum autumant pseudo-reformatores, gratia non esset nisi extrinseca Christi iustitia animae imputata, per quam imputationem peccata teguntur, gratia necessario esset eadem in singulis: nam una et eadem est Christi iustitia; non imputatio peccatorum est quid negativum, quod gradus excludit. Sed haec haeretica positio iam superius confutata est.

2) Porro quum gratia sit formalitas intrinsece animam afficiens, gratia, etiam dum infunditur, - nam de augmento gratiae per meritum agetur infra, - potest habere gradus, sicuti gradus habere possunt quotquot qualitates superstruuntur naturae. Quod directe et indirecte demonstratur.

3) *Indirecte,* et quidem multiplicetur. *a*) Certum est, gratiam Christi plenitudinem habere singularem, iuxta illud Ioannis: « plenum gratiae et veritatis ».[2] Iam vero si per se gratia non pateretur gradus, hoc valeret de Christo, sicuti de nobis. Eodem modo, servata proportione, arguitur ex salutatione angelica: « Ave, gratia plena ».[3] - *b*) Infra probabimus, gratiam in iustis per bona opera augeri. Hoc autem repugnaret, si gratia non patetetur gradus. - *c*) Insuper ex traditione constat, Angelos fuisse etiam quantum ad gratiam in hierarchica dignitate constitutos. Atqui si hoc pro Angelis dari poterat, potest dari pro homine. Gratiae enim essentia est eadem, et utrimque supernaturalis; ex quo imo videtur insinuari, Adam in maiori gratia conditum esse quam Evam, quum fuerit maioris dignitatis. - *d*) Demum si gratia gradus excluderet, ratio huius facti deberet ostendi. Atqui talis ratio frustra quaeritur. Ergo.

4) Sed et eadem veritas ostenditur *directe.* Concedendum est ultro, non pati gradus illam gratiam increatam,

[1] Cf. concionem LACORDAIRE cui titulus: *De la distribution des grâces aux âmes dans le gouvernement divin ;* in qua eloquenter illustrat gratiarum oeconomiam ex ordine multiplicitatis, multitudinis, varietatis et unitatis (Confér. LXIX).

[2] IOANN., I, 14.

[3] LUC., 1, 28.

cui creata gratia immediate coniungit; sed creata gratia commensuratur dispositioni subiecti cui infunditur. Haec autem dispositio est ab ipso divino latore gratiae; unde totum reducitur ad intentionem divini gratiae largitoris.

5) Quod sequenti disiunctione redditur manifestum. Triplici modo gratia infunditur: vel *a*) sine praeparatione nec praevia, nec simultanea subiecti, ope sacramenti Baptismatis; vel *b*) cum motu simultaneo subiecti in instantanea iustificatione; vel *c*) praecedente via ad iustificationem. Inquiramus de singulis, et quidem ordine inverso.

6) Iustificationem praecedente animae praeparatione ad eam S. Thomas prae oculis habet in articuli *Corpore*. Cuius sententia ad hoc reducitur. Ratio diversitatis gratiae aliqua ex parte est ex praeparante se ad gratiam; sed haec ratio nequit esse ratio prima, quum haec ipsa praeparatio sit ex gratia, quatenus a sola gratia habet liberum arbitrium quod possit se ad gratiam praeparare. Quare duplicem rationem, a parte liberi arbitrii et a parte Dei, S. Thomas exhibet in sua subordinatione, qua reducitur ad unam. Concilium autem Tridentinum utramque magis uti geminam in eadem linea exponit, ubi dicit, iustificatos gratiam recipere « secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et « secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem ».[1] Subordinationem nihilominus inter utramque rationem indicat per haec ipsa verba « prout vult ». In eadem autem linea potius utramque rationem Concilium exposuit, ne cum Protestantibus liberum arbitrium hominisque sub gratia movente cooperationem negare videretur.

7) Manifestius haec ratio, Dei scilicet gratiam pro placito suo singulis mensurantis, in instantanea iustificatione apparet: quum ibi hominis cooperatio nulla alia sit quam instantaneus liberi arbitrii motus, nullo deliberationis stadio praecedente.

8) Sed quid in iustificatione parvulorum ope sacramenti regenerationis producta, nonne saltem ibi gratiae gradus, qui per sacramentum confertur, est idem? - Si in aliis duobus modis unica ratio diversitatis mensurae gratiae a

[1] Sess. VI, c. 7.

gradu praeparationis peteretur, fatendum esset, hanc rationem heic deesse, ac proin concludendum esset, ad probabilitatem quod gratia in eodem gradu infantibus infunderetur. Sed quum et in aliis modis praecipua ratio petatur a gratuita dispensatione Dei, non apparet cur haec gratuita dispensatio non valeret et pro iustificatione parvulorum. Imo eam pro his quoque valere, comprobatur indirecte per ea quae n. 3, praesertim *a*) diximus, necnon per praecocem sanctitatem quae in quibusdam electis quasi ipsum rationis usum praevenire videtur. Sicut enim initialis sanctitas, qua Domini Praecursor nondum natus fuit adventu Christi cumulatus, eminenti vocationi huius magni vatis respondebat, ita quoque aliquid simile in futuris Sanctis iam ab ipsa infusione gratiae baptismalis adesse pie creditur.

9) Porro si de ratione quaeris ipsius divinae dispensationis gratiam in vario gradu singulis destinantis, nulla melior, Scripturisque magis consona afferri potest, quam pulchritudo specialis quae Ecclesiae, mystico Christi corpori, ex vario splendore membrorum accedit; unde Sponsa Regis in mystico psalmo celebratur « circumdata varietate ».[1] Quousque autem haec ratio pateat ad illustrandum praedestinationis mysterium, non huius loci est penitius inquirere.[2]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non distinguit in cura, qua Deus omnia entia prosequitur, illud quod est unicus aeternus divinus actus, et effectus varios inde in tempore productos.

2ª Obi. Confundit gratiam a parte obiecti, cum gratia a parte subiecti. De hac, non de illa praedicatur gradus. Cf. n. 4.

3ª Obi. Confundit illud quod est de essentia seu natura, et id quod est supra naturam ad modum formae accidentalis. Nec simpliciter negandum est, in forma essentiali naturali non dari ullum discrimen. E contra scholastici et imprimis ipse S. Thomas docent, inter animas, dum infunduntur,

[1] Ps. XLIV, 10.

[2] Cf. quae de praedestinationis mysterio alibi fuse scripsimus *De Deo uno*, t. II, p. 399 sqq.

dari discrimina, iuxta dispositionem corporum vel corporalis materiae quibus infunduntur.[1]

Sed contra est. Iam adduximus n. 6 auctoritatem Conc. Tridentini. Cf. dicenda infra de iustificationis natura, deque gratiae augmento. Corroboratur autem praesens doctrina per interrogationem Domini: « Simon Ioannis, diligis me plus « his? »[2] Gradus quippe dilectionis a gradu gratiae procedit et charitatis. Confirmatur pariter ex variis parabolis, in quibus varia gratiae distributio apparet. Praesertim in parabola regis abeuntis in longinqua, suisque largientis uni decem, alii quinque, alii duo talenta, « unicuique secundum « propriam virtutem »;[3] quibus ultimis verbis ratio altera, ex diversa dispositione subiecti petita, non obscure indicatur.

In Corpore. Processus argumenti est lucidus. Distincto obiecto et subiecto, S. Th. primo demonstrat, gratiam gradus non admittere a parte obiecti. Dein probat, rationem diversitatis adesse a parte subiecti; et quidem rationem duplicem subordinatam: gradum praeparationis a parte subiecti et motionem ad hanc ipsam praeparationem a parte Dei. Demum ostendit, rationem dispensationis inaequalis gratiae a parte Dei esse pulchritudinem ex hac varietate Ecclesiae advenientem.

Ex modo arguendi clare apparet, Angelicum hic agere non de diversitate gratiae quae ex vario merito resultat, sed de diversitate gradus in ipsa gratiae infusione. Quod ab initio iam monebamus.

ARTICULUS V.

UTRUM HOMO POSSIT SCIRE SE HABERE GRATIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Tanta fuit novatorum saec. XVI protervia, ut negata ex una parte realitate intrinseca gratiae sanctificantis, ex altera tamen urgerent fiduciam, quam fidelis erga gratiam nutrire debet, quum hanc fiduciam in

[1] Cf. quae de hoc argumento diximus in nostro volumine VII *De hominis natura.*

[2] Ioann., xxi, 15.

[3] Matth., xxv, 15.

certam fidem permutarent; imo in hac fide non criterium modo, sed et medium iustificationis, et quidem unicum reponerent. Quae doctrina, impia simul ac vana, praesenti articulo confutanda est.[1]

2) Mediam viam catholica veritas ingreditur. Etenim licet affirmet, gratiam esse quid reale, intrinsece animae inhaerens, eique novam aliquomodo naturam tribuens; nihilominus contendit, hominem iustificatum, absque speciali rivelatione,[2] non posse de propria iustificatione certitudinem absolutam habere. Ratio autem huius impotentiae desumitur ex ipsa gratiae celsitudine. Quum enim gratia sit immediata creaturae coniunctio, saltem in germine, cum Deo fruendo, ipsa Dei eminentia, qua cognitionem nostram exsuperat, facit eius praesentiam per se certo sciri non posse. Revelatio enim gratiae doni in gloriam sese explicantis differtur ad alteram vitam.[3]

3) At, si deest criterium certum a parte gratiae in se ipsa, a parte signorum adest criterium magnae probabilitatis, imo in provectioribus quasi moralis certitudinis. Haec autem signa ad tria principaliora reducuntur. Etenim gratia, quum sit conversio ad Deum de statu peccati, continet in se tria: delectationem in Deo cui coniungit,[4] aversionem a mundo a quo separat, conscientiam puram sine qua perit. Vides proin quam pulchre S. Thomas in *Corpore* haec tria adducat.

[1] Adverte hic rursus, quam fortia arma ex Aquinatis promptuario contra haereses illo tempore nondum exortas, reperiantur.

[2] Haec revelatio potest a Deo alicui pro alio dari. Ita S. Teresia per revelationem certior facta fuisse narratur de praedestinatione P. Balthazar Alvarez, S. I., eximiae pietatis viri, qui magnis animi angustiis torquebatur.

[3] Id feliciter his verbis exprimit cl. de Baets: * « Bestemd tot een goddelijk « leven, dragen wij datzelve reeds in ons, maar zonder het te voelen of te besef- « fen: " Nu reeds zijn wij kinderen Gods, maar wat wij eens zullen zijn, is nog niet « verscheenen " ». **

[4] Vide ex hoc quam pulchre responderit vir quidam laicus, sed valde pius, qui, quum in lecto decumbens, de propinqua morte deque incertitudine status gratiae cum quodam sacerdote loqueretur, subito, Crucifixi imaginem dextera premens, dixit: « Esto! ita Deus voluit nos in timore ad se accedere humiles. Unum tamen sentio: « in inferno dari odium Dei, meque talis odii non fore capacem ». Ex dilectione quippe erga Redemptorem argumentum sumebat accedendi cum fiducia ad tribunal Iudicis.

* *'t Lied des Levens.*, p. 137.

** I Ioann., iii, 2.

4) Tale signum Ioannes quoque in dilectione proximi reposuit, ubi ait: « Nos scimus quoniam translati sumus « de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres »[1] Nec aliter ipse Christus dixerat: « In hoc cognoscent omnes « quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invi- « cem ».[2]

5) Quae gratiae signa, si essent omnino certa, certitudinem de praesentia gratiae parerent. Sed non praebent nobis nisi quamdam probabilitatem, plus minusve magnam. Quis enim certus est, suam delectationem de Deo esse vere supernaturalem, proximique dilectionem esse prorsus in Christi amore fundatam, fugam pariter mundi esse ex toto sinceram, conscientiae pacem non esse illusionem mentis? Inde abest de ipsa gratia certitudo absoluta. (Vide finem argumenti *Corporis*).

6) Adverte proin miram catholicae doctrinae harmoniam. Defectus certitudinis absolutae humilitatem nutrit, cum timore sanctoque tremore. Criterium autem coniecturale, usque ad moralem quamdam assurgens certitudinem late sumptam,[3] facit ut spes eo maior nutriatur, quo signa gratiae crescunt. Unde oritur zelus, ut eadem augeantur. Quumque praecipue in dilectionis divinae dulcedine, in gaudio fraternae charitatis, in fuga mundi, in conscientiae nitore consistant, idem timor ac tremor cultum omnium virtutum mirifice stimulat. Quanta discrepantia a novatorum axiomate, quod, dum in fide caeca, sine titulo, sine signo reponit totum, provocat ad morum lasciviam, monstruosa quadam fallacique fiducia obtegendam.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter peccat. Falso supponit, nos animam nostram per ipsam essentiam animae cognoscere. Insuper confundit signa certissima cum signis mere coniecturalibus.

2ª Obi. Transfert proprietatem facultatis cognoscitivae, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, ad facultatem appetitivam. Observa, obi. primam procedere de

[1] I Ioann., iii, 14.
[2] Ioann., xiii, 35.
[3] Cf. de hoc argumento Illmum Lambrecht, op. cit., p. 159 sqq.

gratia; secundam autem de charitate, quae cum gratia indissolubili vinculo coniungitur.

3ª Obi. Valeret obiectio, si ageretur de luce organo commensurata, obiectum manifestum reddente. Sed in casu agitur de luce quae, propter ipsam immensitatem obiecti a quo est, vim facultatis superat.

4ª Obi. Confundit duo valde distincta: certo scire per fidem, quid nobis promittatur in patria, et certo scire, se iam per gratiam pignus boni promissi possidere.

5ª Obi. Multipliciter deficit. *a*) Si verba intelliguntur de modo appropriato, quo Deus loqui solet, scilicet de cognitione quasi experimentali, quam ipse Deus ab eventu accipit, tunc pro Abraham sequitur ex his verbis revelatio de propria gratia. Sed talis revelatio non est contra thesim. – *b*) Si autem intelliguntur in sensu: « cognoscere feci », possunt explicari vel de revelatione, vel potius de cognitione experimentali, quae tunc redeat ad indicia de quibus in *Corpore* articuli.

Sed contra est. Catholicam hac de re doctrinam S. Paulus ita egregie comprehendit: « Qui gloriatur, in Domino glo« rietur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus « est; sed quem Deus commendat »;[1] et: « Cum metu et « tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui « operatur in vobis et velle et perficere, pro bona volun« tate ».[2] Prior tamen sententia magis est ad rem, quum directius praesentem animae statum respiciat; dum altera inducit incertitudinem de futura perseverantia. Addi potest modesta Pauli sententia: « Castigo corpus meum, et in ser« vitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse « reprobus efficiar ».[3] Rationem huius doctrinae S. Augustinus breviter et lucide ita reddit: « Fortasse tu nihil invenis « in conscientia tua: invenit Ille, qui melius videt ».[4]

Nec obiicias huic doctrinae verba eiusdem Pauli: « Ipse « Spiritus testimoninm reddit spiritui nostro, quod sumus

[1] II Cor., x, 17 sq.
[2] Philipp., ii, 12 sq.
[3] I Cor., ix, 27.
[4] *Serm. 23 de Verbis Domini,* n. 14.

« filii Dei ».[1] Nam 1) etiamsi Apostolus loqueretur de certitudine absoluta, quam habuerint fideles quos alloquitur, haec potuit esse aliquod charisma eis proprium. Sed 2) S. Paulus loquitur in genere, non de singulis personis. Iam vero potest absoluta certitudine affirmari, etiam nunc, charisma divinae filiationis animare Ecclesiam. Demum 3) istud testimonium potest intelligi de testimonio moralem quamdam certitudinem non excedente, qualem solent et sanctiores animae habere.

Nec maioris efficaciae est sententia Ioannis: « Nos scimus « quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam dili- « gemus fratres ».[2] Ultima enim huius sententiae verba ostendunt, Ioannem hic affirmare criterium certum, non quidem subiective, sed obiective, scilicet nexum certum inter veram Christianam dilectionem fraternam et sanctificantem amorem Dei. Caeterum haec verba de morali quadam certitudine intelligi posse, iam superius diximus (n. 4).

Lutherus affirmabat, omnem hominem iustificatum de sua gratia certum esse; Melanchton, illum de ea certum esse debere; Bucerus, homines debere credere se esse Deo gratos per Christum, quantalibet vitiorum sorde maculentur. Contra illos doctrinam catholicam definit hisce verbis Concilium Tridentinum: « Quamvis autem necessarium « sit credere, neque remitti nec remissa unquam fuisse pec- « cata, nisi gratis divina misericordia propter Christum »; en quod conceditur, iam audi quid reprobetur: « nemini « tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum « suorum iactanti, et in ea sola quiescenti peccata dimitti « vel dimissa esse dicendum est, quum apud haereticos et « schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, et « magna contra Ecclesiam catholicam contentione praedi- « cetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia ». His habes reprobatam fiduciam vel certitudinem tamquam iustificationis medium seu indicium; quam Concilium optimo argumento ad hominem convellit. Quasi diceret: Tu contendis, peccata tua esse remissa, iactans eam quam prae-

[1] Rom., viii, 16.
[2] i Ioann., iii, 14.

sumis fiduciam remissionis. Atqui tu es haereticus, manifeste gratia destitutus. Ergo talis fiducia est fundamento destituta. Pergit Concilium: « Sed neque illud asserendum « est, oportere eos, qui vere iustificati sunt », – hucusque egerat de falso se ut iustificatos gloriantibus, – « absque ulla « omnino dubitatione », - ibi vis, - « apud semetipsos statuere, « se esse iustificatos », – en certitudo concomitans post iustificationis factum, - « neminemque a peccatis absolvi aut iusti- « ficari, nisi cum, qui certo credat, se absolutum et iustifi- « catum esse », – en certitudo ut criterium de ipso facto, – « atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici », – en certitudo ut medium ipsius facti, – « quasi qui hoc « non credit, de Dei promissione, deque mortis et resurrectio- « nis Christi efficacia dubitet »; – en falsa ratio ab illis afferri solita. Exclusis ergo variis erroribus, iam in fine thesis catholica stabilitur. « Nam sicut nemo pius de Dei miseri- « cordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et « efficacia dubitare debet », – en reditur ad id quod in initio capitis distinguebatur: – « sic quilibet, dum seipsum, suam- « que propriam infirmitatem et dispositionem respicit, de « sua gratia formidare et timere potest; quum nullus scire « valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se « gratiam Dei esse consecutum ».[1] Vides, in hac declaratione Concilium argumentum timoris deducere ab infirmitate quam quisque vere pius in seipso sentit. Quam rationem non directe quidem S. Thomas in *Corpore* affert; indirecte tamen illam tangit, quum huius infirmitatis argumentum per se dubium ingerat de authenticitate signorum, per quae ad gratiae praesentiam coniecturaliter cognoscendam pervenimus.

Eamdem Concilii doctrinam vindicant canones 12, 13, 14, eiusdem Sessionis. Can. 12: « Si quis dixerit, fidem iustifican- « tem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, « peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam « solam esse, qua iustificamur; a. s. » - Can. 13: « Si quis « dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum asse- « quendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla

[1] Sess. VI, c. 9.

« haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata « sibi esse remissa; a. s. » - Can. 14: « Si quis dixerit, homi- « nem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quod se absolvi « ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustifi- « catum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide « absolutionem et iustificationem perfici; a. s. ». In quibus canonibus damnatur doctrina novatorum de fide propriae iustificationis, tum ut causa formali, tum ut conditione sine qua non, tum ut causa efficiente, vel criterio, vel dispositione perficiente.

In sequentibus canonibus damnatur eadem doctrina ad donum perseverantiae vel praedestinationis applicata. Ubi, in can. 16 excipitur casus specialis revelationis. Quae exceptio, uti patet, ad iustificationem ipsam extendenda est.

Commendatur haec doctrina per orationes Ecclesiae quibus sanctus Dei timor cum charitatis zelo stimulatur. Exemplo sit haec oratio sane pulcherrima: « Sancti Nominis « tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere « perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis, quos « in soliditate tuae dilectionis instituis ». [1]

In Corpore. En schema huius argumenti.

Gratiam se habere homo cognoscere potest	1) ex revelatione divina:	*a*) in solamen, *b*) in laboris stimulum	ex. Pauli;
	2) non autem per seipsum certitudinaliter:	impervia enim est altitudo principii gratiae;	
	3) sed coniecturaliter ex signis	*a*) aliqualem cognitionem dantibus, *b*) non autem perfectam, quae omnem incertitudinem excludat.	

Reliqua patent.

Corollarium. – Ex huius articuli doctrina effluunt consequentiae summi momenti in re spirituali. Quae ad sequentia reduci possunt.

1) Commendandam esse humilitatem et sanctum Dei timorem, quum in omni hora dependentes simus a Dei gratia, cuius certitudinem absolutam citra revelationem nemo iustus possidet. – 2) Magnopere colendum esse cum nitore

[1] Dom. II post Pentecosten.

conscientiae horrorem peccati, non solum mortalis, sed et venialis. Etenim si dictum est: « Qui spernit modica, paulatim decidet »,[1] ex opposito verum erit, firmius stare, qui modica curat. – 3) Odium mundi vehementer esse nutriendum, quum Christus eum odio habeat, ipseque odio Christum prosequatur; nec firmius habeamus sanctitatis firmamentum, quam imitando sensum ipsius Christi, dicente Apostolo: « Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu ».[2] – 4) Charitatem fraternam cum offensionum venia esse fideli studio exercendam, quum legem impleat universam, et, dicente Ioanne, criterium infallibile sit translationis in Deum.[3] – 5) In ariditatibus animaeque angustiis nullatenus esse desperandum, quum ex una parte consolationes spirituales certitudinem praesentis gratiae non ingerant, et ex altera parte historia nos doceat, nec maximos Sanctos, uti S. Antonium et S. Teresiam, huiusmodi ariditatibus et angustiis fuisse expertes, imo forsan nec ipsum s. Paulum eisdem exstitisse ex toto immunem.[4]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum gratiae donum omnem excedat naturam, nonnisi Deus causa efficiens gratiae esse potest, sive per se solum, sive adhibito medio, virtute instrumentali a se ditato (a. 1).

2) Gratia autem, in quantum est auxilium movens ad habituale donum, non requirit praeparationem praeviam liberi arbitrii, quum e contra quaevis praeparatio sit ab hoc auxilio; sed in quantum est donum habituale requirit praeparationem per liberum arbitrium a Deo motum (a. 2).

3) Nexus autem necessitatis inter hanc praeparationem et ipsum gratiae donum existens, non petitur a parte praeparationis liberi arbitrii, propter defectum proportionis; sed ab intentione ipsius Dei moventis; quae intentio, non quidem coacte, sed infallibiliter intentum assequitur (a. 3).

[1] Eccli. xix, 1.
[2] Phil. ii, 5.
[3] Loc. cit.
[4] 1 Cor. ix, 27; ii Cor. i, 8; xii, 7 sqq.

4) Nec solum necessitatis nexus, sed etiam gradus doni ab ista intentione petendus est, cooperante utique gradu praeparationis liberi arbitrii, sed a Deo ad hoc moti (a. 4).

5) Ex qua altissima gratiae causa sequitur, hominem, praeclusa revelatione, non posse certitudinaliter gratiae praesentiam in se cognoscere, sed solum ex quibusdum indiciis seu signis, coniecturalem quamdam imperfectam de eadem scientiam praebentibus (a. 5).

III PARS.

DE EFFECTIBUS GRATIAE.

De Distributione huius Partis. – In primo articulo huius tractatus de gratia vidimus, gratiam procedere a Deo uti a primo movente et a primo actu. Pariter in gratiae divisionibus vidimus, gratiam (donum habituale) dici operantem, in quantum per eam Deus dat creaturae participatam formam divinam; cooperantem autem, in quantum est principium merendi. Quae fundamentales notiones in hac tertia Parte recurrunt tamquam principium distributionis, ut ita totius tractatus unitas miro modo affulgeat.

Etenim si considero gratiam operantem, seu influxum a Deo summo actu, habeo uti eius effectum ipsam animae iustificationem. Si autem considero gratiam cooperantem, seu influxum a Deo movente, uti eius effectum habeo meritum. Sit igitur prima Sectio de *iustificatione,* tamquam effectu gratiae operantis; dein altera Sectio de *merito,* tamquam effectu gratiae cooperantis. Utraque Sectio una Quaestione absolvetur.

SECTIO I.

A) De iustificatione impii.

(Quaestio CXIII).

De ratione et ordine Quaestionis. – Antequam ad analysim ordinis huius Quaestionis, prout in *Summa* prostat, accedamus, quaedam dicenda videntur de variis modis quibus iustificatio impii obtineri potest. Iam vero quinque modi heic occurrunt considerandi. Habetur enim 1) iustificatio parvulorum per Baptismi sacramentum, in qua totum tribuitur virtuti sacramenti, quin ullus motus provocetur in facultatibus subiecti, utpote motus cuiusvis incapacis; 2) iustificatio adulti, per Baptismum, ubi iam motus requiritur a parte

baptizati; 3) iustificatio peccatoris per sacramentum Poenitentiae, ubi pariter motus a parte peccata confitentis requiritur; 4) iustificatio adulti nullius ope sacramenti, nisi in voto, cum praevia praeparatione ad eam; 5) demum iustificatio adulti nullius ope sacramenti, nec praecedente praevia praeparatione, sed instantaneo motu gratiae.

Si iam inter se hos quinque modos confers, vides 1m et 5m convenire in hoc quod producitur iustificatio sine praecedenti via ad eam; dum in modis 2, 3, 4, via ad iustificationem ab ipsa iustificatione distinguitur. Nihilominus in hoc conveniunt omnes, quod datur aliquod instans, sive unicum, sive ultimum, in quo ipsa iustificatio, id est, gratiae infusio producitur.

Non ideo tamen hoc ipsum instans eodem modo se praebet in singulis. Pariter utique inveniuntur infusio gratiae et remissio peccati, sive gratia sit prima vel secunda, peccatum originale vel personale. Sed non pariter conveniunt motus in iustificato. In primo modo hic motus omnino deest; in modo quarto et quinto adest perfectus; in modo secundo et tertio aliquis motus necessario adest, sed imperfectus sufficit.

His positis, iam quaeres de quonam iustificationis modo in hac Quaestione S. Thomas agat. - *Resp.:* Agit de instanti quo iustificatio producitur, non autem de via ad iustificationem; et quidem ita agit de hoc instanti ut modum quintum maxime tamquam perfectissimum prae oculis habeat.

Concilium autem Tridentinum agit praecipue de modo secundo, scilicet de prima gratia ad quam aliquis per Baptismum accedit.

Quum igitur respectus sit aliqualiter diversus, satius ducimus primo testum *Summae,* et dein expleto commentario, doctrinam Concilii exponere.

Porro ecce ordinem quem S. Thomas sequitur. Praemisso conceptu generaliori iustificationis, ad modum motus de iniustitia ad iustitiam (a. 1), accedit ad analysim eiusdem conceptus.[1] Primo determinat principium movens (a. 2), tunc motum liberi arbitrii, in genere (a. 3) et in specie (a. 4

[1] Vel exposito *quid sit* (a. 1), quaeritur *quomodo fiat* (a. 2-8).

et 5). Demum explicat terminum motus (a. 6). Absoluta analysi elementorum, quaerit de successione eorumdem quoad tempus (a. 7), et, si minus, quoad ordinem logicum (a. 8). In fine quaerit de operis iustificationis excellentia, utrum summum (a. 9), utrum miraculosum (a. 10).

En huius ordinis schema:

- Iustificationis quaeritur
  - 1) conceptus (a. 1);
  - 2) analysis:
    - *a*) quoad principium movens (a. 2);
    - *b*) quoad liberum arbitrium
      - *a*) in genere (a. 3);
      - *b*) in specie (a. 4, 5);
    - *c*) quoad terminum motus (a. 6);
  - 3) ordo:
    - *a*) temporis (a. 7);
    - *b*) logicus (a. 8);
  - 4) excellentia:
    - *a*) utrum opus summum (a. 9);
    - *b*) utrum miraculosum (a. 10).

ARTICULUS I.

UTRUM IUSTIFICATIO IMPII SIT REMISSIO PECCATORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Scopus huius articuli simul est quaerere de essentia iustificationis, et legitimare vocabulum quo exprimitur. Totum continetur in his duobus: *a*) iustificatio est transmutatio de statu iniustitiae ad statum iustitiae per remissionem peccatorum; *b*) hic transitus rite vocatur iustificatio. De utroque pauca.

2) Ex hac definitione: « trasmutatio de statu iniustitiae « ad statum iustitiae per remissionem peccatorum » iam patet, iustificationem concipiendam esse ad modum motus, in quo proin, praeter terminum *a quo,* aderunt principium movens, motus et terminus *ad quem.* Terminus *a quo* est iniustitia; terminus *ad quem,* iustitia; motus, conversio ab una ad alteram.

3) Quum autem in hac definitione iustitia intelligatur non illa modo virtus cardinalis, sed omnium complexus virtutum quibus homo est iustus, pariter iniustitia intelligitur omne peccatum quod cuivis virtuti opponitur.

4) Ex dictis patet, iustificationem esse mutationem in genere conversionis, sicuti et transsubstantiationem. Unde

in Scripturis tam saepe hoc nomine appellatur, quod sacer usus in Liturgia consecravit. Interest tamen inter vocem « transsubstantiatio » et « iustificatio ». In voce « iustificatio » exprimo motum et terminum motus, non autem, nisi implicite, terminum *a quo*. In voce « transsubstantiatio » exprimo terminum *ad quem,* licet solum in genere, motum et insuper terminum *a quo*. Unde iustificatio posset dici de motu mere contradictorii in contradictorium, v. gr., de non iustitia ad iustitiam; transsubstantiatio autem exigit motum contrariorum.

5) Ut ergo sensus iustificationis determinetur, oportet ut determinetur: *a*) utrum de non iustitia, an de iustitia motus fiat, et ad quamnam iustitiam; *b*) utrum ad actum, an ad statum; *c*) utrum ad statum iustitiae naturalis, an supernaturalis.

6) Iam vero, quum peccata, quae constituunt statum iniustitiae, sint incompossibilia cum iustitia supernaturali, vel ea peccata in iustificatione destrui debent, vel iustitia ad quam fit transitus, non erit nisi iustitia extrinsece imputata. Unde conceptus iustificationis pendet a propria vel impropria remissione peccatorum. Illud autem a quo res pendet ut sit, iure potest nomine huius rei vocari. Ergo iure dici potest, iustificationem esse remissionem peccatorum.

7) Hoc igitur interest inter iustificationem et sanctificationem, quod in priori terminus *a quo* ponit magis iniustitiam uti effectum peccatorum; dum in sanctificatione magis est defectus sanctitatis, quin huius defectus causa sint peccata. Unde et in statu naturae purae posset haberi quaedam remissio peccatorum, ac proin iustificatio, quin tamen adesset vera sanctificatio. Possunt tamen iustificatio et sanctificatio veluti synonyma adhiberi, uti in verbis Apocalypseos: « Qui iustus est, iustificetur adhuc; et sanctus san« ctificetur adhuc »;[1] licet et in hoc loco sensus esse possit, ut iusto semper magis magisque sit recedendum a peccato; sancto magis magisque colenda sit sanctitas.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad altiorem significationem iustitiae, quae complectitur omnes virtutes in sua

[1] Apoc., xxii, 11.

synthetica ordinatione ad Deum; cui ordinationi non est peccatum quod non contradicat. Cf. dictum n. 2.

2ª Obi. Eodem vitio laborat. Quod in *obi. 1* dictum est de peccatis, hic valet dictum de virtutibus. Iustitia omnes complectitur virtutes, quibus ordinatio in Deum organice componitur.

3ª Obi. Supponit, hic agi de gratia praeveniente. Nec valet citatio Pauli: nam praesens quaestio non est, utrum quos vocaverit, Deus iustificet; sed, quid sit illa iustificatio.

Sed contra est. Conceptum iustificationis qualis hoc in *Corpore* exhibetur, in Scripturis invenitur apud Paulum: « Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem « sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate « tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae, « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remis- « sionem peccatorum ».[1] Ex hisce habes *a*) finem: consortium sanctorum in gloria, et quidem hoc consortium per titulum dignitatis obtinendum: – vide vim huius verbi *dignos non fecit*; *b*) operationem qua finis praeparatur vel producitur, – secundum quod intelligitur consortium in re, cum fidelibus nunc in lumine fidei, vel consortium in spe cum sanctis in lumine gloriae: *transmutationem de statu iniustitiae ad statum iustitiae; c*) modum quo haec operatio completur: in genere, a parte Christi: meritum redemptionis; in specie, in singulis: *remissionem peccatorum.* – Iustificationis motum breviter exprimit Ioannes his verbis: « Scimus quoniam « translati sumus de morte ad vitam ».[2] Iustificationis motus inveniri potest descriptus in verbis *Sapientiae:* « Iustum « deduxit (Sapientia) per vias rectas, et ostendit illi regnum « Dei »,[3] quatenus a deviis iniustitiae viis gratia Dei reducit quem iustificat, in vias rectas, quarum terminus ultimus est regnum Dei.[4]

[1] Coloss., i, 12-14. Cf. Rom., iii, 24. 25.

[2] i Ioann., iii, 14. Hinc et aliis in locis peccata dicuntur simpliciter transferri, uti in verbis Nathan ad poenitentem David: « Dominus transtulit peccatum tuum: « non morieris ».*

[3] Sap., xvi, 10.

[4] Pulcherrime id exprimit beatus Ioannes Ruysbroeck in prologo laudati libri cui titulus: *Het boek van het rijk der gelieven:* « Hij heeft teruggeleid, daar toont

* ii Reg., xii, 13.

Huc pariter faciunt omnes Scripturarum textus in quibus iustificationis conversio describitur. In aliis huiusmodi textibus solus iustificationis motus exprimitur: « Converte me, « et convertar ».[1] In aliis insuper exprimitur terminus *a quo:* « Convertimini unusquisque a via sua pessima ».[2] In aliis describitur terminus *ad quem:* « Converte nos, Domine ad « te, et convertemur »;[3] « Convertere Israël, ad Dominum « Deum tuum ».[4] Unde in fine Lamentationum canit Ecclesia: « Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum « tuum ».

Corroboratur haec doctrina usu frequenti Scripturarum, ubi verba: « iustificatio et remissio peccatorum » passim occurrunt tamquam alterum pro altero. Psalmista orat peccata sibi deleri.[5] Beatos dicit illos « quorum remissae sunt « iniquitates, et quorum tecta sunt peccata ».[6] Ioannes praedicat baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.[7] Christus sacramentali formula utitur: « Remittuntur tibi pec- « cata tua »;[8] sacramentum regenerationis et iustificationis instituit in remissionem peccatorum: « Quorum remiseritis « peccata remittuntur eis. » –[9] Ecclesia Christo iubente[10] nos docet quotidie orare ut debita nobis dimittantur. Et in Symbolo canit: « Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum ». Unde sacerdos in tribunali poenitentiae utitur verbis: « Ego te absolvo a peccatis tuis », etc.

« hij ons de val en het verdolen des menschen, en Gods meedoogen en Zijne ontfer- « menis, omdat Hij de mensch heeft teruggeleid van de val der erfzonde, van de « daling op de rechte wegen, en van de dood naar 't leven heen ». Et in capite 2 describit hunc reditum « van de verbanning in et vaderland, en van vreemdelingschap « in vriendschap, en van armoede tot rijkdom, en van de dood ten leven, en van « droefheid tot blijschap ». Et in capite 3 identificat iustificationem cum conversione; « Niemand wordt teruggeleid, dan die gerecht gemaakt wordt; want gerecht maken « dat is terugleiden ».

1 IEREM., XXXI, 18.
2 Ibid., XXXV, 15; cfr. EZECH., XIV, 6; XVIII, 23, etc.
3 THREN., V, 21.
4 OS., XIV, 2 et 3; XII, 6.
5 Ps. L, 3. 11.
6 Ps. XXXI, 1.
7 MARC., I, 4.
8 LUC., V, 20.
9 IOANN., XX, 23. – Cf. MATTH., XVIII, 18.
10 MATTH., VI, 9, 12.

Utrumque, tum conversionis motus, tum peccatorum remissio per quam producitur, hoc versu psalmi exprimitur: « Converte nos, Deus, salutaris noster, et averte iram tuam « a nobis ».[1] Et adhuc distinctius hoc altero versu: « Averte « faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitatis meas « debe ».[2] Sicuti enim per peccata iusta Dei ira provocatur, ita nonnisi peccatorum remissione Deus a peccatoribus iram avertit.

Corroboratur haec doctrina per orationes Ecclesiae. In Missali Romano habetur Missa specialis « pro remissione « peccatorum », cuius prima oratio ita sonat: « Exaudi, quae- « sumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi « parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas be- « nignus et pacem ».

Doctrinam Concilii Tridentini exponemus infra.

In Corpore. Duo S. Doctor facit: explicat conceptum iustificationis, et legitimat terminum. De primo en schema:

- Iustificatio est transmutatio
  - 1) ad iustitiam (*terminum ad quem*):
    - *a*) non ad actum,
      - α) iustitiae particularis,
      - β) vel iustitiae legalis;
    - *b*) sed ad statum iustitiae:
      - totalis scilicet ordinationis in Deum;
  - 2) a statu iniustitiae (termino *a quo*):
    - *a*) non mere in sensu privationis (ita et valuisset de Adamo);
    - *b*) sed in sensu contrariae oppositionis (ita solum valet de impio).

Observa, 1) *b*) continere implicite iustitiam supernaturalem.

ARTICULUS II.

UTRUM AD REMISSIONEM CULPAE, QUAE EST IUSTIFICATIO IMPII, REQUIRATUR GRATIAE INFUSIO.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Duplici modo praesens quaesitum poni potest: *a*) utrum de facto remissio peccatorum fiat per gratiae infusionem; *b*) utrum sine gratiae effusione remissio peccatorum dari nequeat. Si affirmas *b*), a fortiori affirmas *a*); non autem concesso *a*), conceditur et *b*).

[1] Ps. LXXXIV, 5. Adverte in hoc textu opus Salvatoris. Christus enim opere suo salvifico sibi insertos a morte transtulit ad vitam.

[2] Ps. L, 11.

2) Et primo quidem multiplici auctoritate Scripturarum, traditionis et Conciliorum probatur, peccata non remitti nisi cum gratiae infusione; imo ea per gratiae infusionem remitti, quum haec tria: iustificatio, peccatorum remissio, et Spiritus Sancti infusio tamquam unum exhibeantur, et unum pro alio usurpentur. Unde Baptismus, quo certo Spiritus infunditur, vocatur: « in remissionem peccatorum », quatenus in eo Spiritus infusio operatur ut peccata remittantur. Haec quoque vis inveniri potest in sententia: « Charitas operit multitu- « dinem peccatorum ».[1] Hinc rursus remissio peccatorum exhibetur interdum ut *deletio* et *obtectio,* quia per infusionem gratiae teguntur et delentur, quemadmodum applicato radiante colore macula tabulae deletur; interdum simpliciter vocatur *remissio* et *non imputatio,* quatenus infusio gratiae est effectus gratuitae voluntatis divinae parcere volentis.[2] Unde quando praedicantur in Psalmis peccata remitti, dum venia datur, remanet quaestio: quomodo, aut cur remittantur. Si respondes: quia non imputantur, pergo quaerendo, quomodo, aut cur non imputentur; si respondes: non imputari, quia teguntur, pergo quaerendo, quomodo tegantur; et si vis respondere, ea tegi iustitia Christi externa, respondeo, ea ita tegi ut *deleantur,* quod fieri nequit nisi accedente principio intrinsece animam afficiente, ac peccata delente, scilicet, Spiritus Sancti seu gratiae sanctificantis infusione.[3] Eodem scilicet sensu dicuntur peccata tegi, quo dicitur Christus, vel novus homo indui. « Quicumque in « Christo baptizati estis, Christum induistis »;[4] « Induite « novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusti- « tia et sanctitate veritatis ».[5] Et simul multiplici testimonio infusio gratiae intrinsece sanctificantis inculcatur.[6] Habes

[1] I Petr., iv, 8.

[2] Imo in textu Ps. xxxi modo allati, peccata simul praedicantur « remitti » et « tegi ».

[3] Hinc Psalmista post supplicatoria verba superius allata: « Averte faciem « tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele », pergit: « Cor mundum « crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis ».

[4] Gal., iii, 27. Hinc ritus induendi neophytos togis albis in innocentiae baptismalis symbolum.

[5] Ephes., iv, 24. Qui textus efficacior est, si novus ille homo intelligitur Christus.

[6] Eodem modo de baptizato ait Ruysbroeck: « Hem wordt gegeven het kleed « der onschuld, dat is, zijn ziel wordt gekleed met de dood et met de verdienste

proin ex Scripturis per gratiae infusionem peccata remitti. (De Conc. Trid. infra).

3) Quid iam si de possibilitate quaeritur, non de solo facto? Rursus cum gradatione haec altera quaestio ponenda est: *a*) utrum in praesenti ordine supernaturali remitti possint peccata sine infusione gratiae; *b*) utrum absolute loquendo peccata nequeant sine gratiae infusione remitti. Patet rursus, affirmato *b*), sequi a fortiori *a*); dum concesso *a*), nondum sequitur *b*).

4) Ad primum solvendum, recolatur definitio iustificationis in art. primo vindicata: transmutatio de iniustitia ad iustitiam. Iam vero quum in ordine supernaturali nulla sit iustitia vera, nisi illa quae reddit hominem finis supernaturalis capacem; haec autem iustitia non possit haberi nisi per infusionem gratiae; sequitur, nullam iustificationem dari posse nisi per gratiae infusionem. Atqui iustificationem vidimus quoque esse remissionem peccatorum. Ergo nulla remissio peccatorum sine gratiae infusione dari potest.

5) Sed ulterius progrediamur. Quid de remissione culparum in statu naturali? Nam urgere nos dilemma videtur. Etenim si contendis, absolute, omnino repugnare remissionem peccatorum sine gratiae infusione, concludendum est, in statu naturali remissionem peccatorum nullam esse potuisse. Si e contra tenes possibilitatem remissionis peccatorum in statu naturali, iam recusas absolutam positionem de qua quaerimus. Itaque ex ordine ad solvendum dubium accedamus.

6) Certum videtur, in statu naturali peccata fuisse alia leviora, a fine non avertentia, alia graviora, legem scilicet naturalem tantopere offendentia, ut a fine naturalis beatitudinis excluderent. - Pariter constat, peccatum grave actuale inducere in ordine naturali statum peccati habitualis. Hic autem status non consisteret in privatione gratiae, sed in aversione a Deo, in difformitate ipsius hominis, in reatu poenae. Unde Deus talem hominem peccatorem odio haberet,

« van Christus ». * Et tamen in sequentibus gratiam baptizato infusam pulchre describit.

* Op. cit., cap. 2.

poenaeque ipsum destinaret, nisi ipsi remitterentur quae commisit. – Iamvero investigandum est de modo quo haec remissio dari posset.

7) Esto quod, absolute loquendo, Deus possit remittere poenam; repugnat autem quod eam remittat alicui qui, dum ei remittitur, est et manet Deo odibilis. Iam vero quum non sit odibilis quia poena ei debetur, sed e converso, ei poena debeatur quia est odibilis, sequitur, remitti ei debitum non posse, nisi cesset esse odibilis. Odibilem autem faciunt illum offensa Dei per aversionem ab ipso, et difformitas animae ab hac aversione derivata. Unde nisi in eo deleantur haec offensa et haec difformitas, debitum ei remitti nequit. Quaerendum igitur est, utrum haec possint deleri sine effusione gratiae.

8) Difformitas in ordine naturali per peccatum producta non consisteret in privatione debitae iustitiae supernaturalis, nec in omissione integritatis, sed in inclinatione ad malum per peccatum inducta. Iam vero non apparet, cur homo in hoc statu non posset, movente utique Deo, per exercitium actuum peccato determinato contrariorum, redire ad rectam facultatum inclinationem in bonum: ut, v. gr., qui per iniuste ablata deliquerit, iam per restitutionem et eleemosynas delictum compensaret, et ita mutaret affectum. Unde non videtur ex hac parte sequi impossibilitas remissionis peccatorum sine infusione gratiae.

9) Maior difficultas oritur ex aversione a Deo, quae constituit offensam Dei. Sed hic duo sunt distinguenda: formalitas aversionis, et formalitas offensae. De prima dicendum videtur, sicut de difformitate. Etenim quum non stemus in ordine supernaturali, et homo per se sit convertibilis, non apparet, cur non posset homo sine gratiae infusione, avertendo se a malo ad quod se convertit, rursus se convertere ad Deum, a quo se avertit; imo directe se convertere ad Deum, utique cum divina motione, sed naturali, quod et de difformitate valere superius diximus.

10) Quid autem de offensa? Possetne homini a malo commisso se ita ad Deum convertenti, Deumque amore naturali rursus diligenti, offensa sine gratiae infusione remitti? En tota quaestio.

Respondemus primo, offensam ipsi remitti non debere, quia reditus ad Deum illam non compensat. Proin quum offensa per se remaneat, auctor offensae remanet odibilis, non quidem propter hoc quod nunc est, sed propter hoc quod egit. Unde si offensa ei remittitur, id non erit nisi ex speciali benevolentia Dei erga eum. Quare, iuxta generalem doctrinam qua Deus dicitur facere dignos illos quibus gratiam confert, iustitia et sanctitas videntur exigere, ut haec specialis benevolentia aliquid poneret et in ipso homine. Non quidem infusam gratiam, stricte dictam; sed aliquem favorem, ad modum adiutorii specialis, quo homo vehementius et plenius in Deum converteretur, quam suis relictus viribus posset.

11) Sumendo igitur gratiam in sensu latiori, stat affirmatio S. Thomae, remissionem peccatorum, etiam absolute loquendo, dari non posse sine infusione gratiae, scilicet gratiae stricte dictae in ordine supernaturali, gratiae improprie dictae in ordine naturali; ita ut in quavis remissione concurrant simul misericordia et iustitia: misericordia, quia gratuita conceditur; iustitia, quia producitur per gratiam quae reddit dignum. Cum hoc tamen discrimine, quod in ordine supernaturali, ob infusam supernaturalem charitatem, sit de condigno, in naturali solum de congruo dignum ut peccata remittantur.

12) Necessitas infusionis gratiae ad remissionem peccatorum patet demum si consideremus poenam peccato debitam. Haec enim non solum consistit in poena sensus, quae respondet conversioni ad creaturas, sed maxime in poena damni, quae respondet aversioni a Deo. Iam vero quum admissio ad visionem Dei obtineri non possit sine lumine gloriae, quod est veluti apex et plena explicatio gratiae, nequit homo remissionem peccatorum obtinere et in finis supernaturalis obtentionem restitui sine infusione gratiae.[1]

Quare in ordine supernaturali tum misericordia tum iustitia magis elucent: misericordia, quia maior adest gratuitas; iustitia, quia gratia propria dicta excellentiorem ponit titulum.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter peccat: *a*) Non attendit ad ordinem supernaturalis iustitiae homini debitae, quae

[1] Cf. S. Thomam, *De veritate,* q. xxviii, art. 2.

sine gratia haberi nequit. *b*) Non considerat gratuitatem quae in offensae remissione semper habetur. Intellige ultimam responsionis sententiam hoc modo. Homo potuit condi innocens, sine culpa et sine gratia. Postquam autem in gratia conditus in culpam decidit, vel culpabiliter natus est sine gratia quam habere debuisset, non potest simpliciter reddi innocentiae, quin gratia ei restituatur. - Cf. dicta superius n. 4.

2ª Obi. Cf. dicta n. 2 et 10.

3ª Obi. Non attendit ad reatum habitualem peccati.

Adverte quomodo tres obiectiones se teneant. Si enim peccata remittantur sine gratiae infusione, est vel quia sufficit motus in contradictorium (obi. 1), vel quia sufficit non imputatio (obi. 2), vel quia possunt contraria per contraria destrui (obi 3). Prima obiectio est praecipua. Ibi vis. Lege Caietanum S. Thomae doctrinam contra obiectiones Scoti vindicantem.

Sed contra est. Vides, argumentum procedere ex ordine praesenti, in quo gratiae ope Deo dilectione supernaturali coniungimur. Adverte quam profunde S. Thomas in peccato directe quaerat rationem offensae, ut ab offensa ad gratuitatem pacationis, a pacatione ad dilectionem, a dilectione ad effectum eius per gratiam, nexu intimo concludat.

Quae in fine argumenti habentur de aeternae dilectionis effectu nunc interrupto, nunc instaurato, illustrari possunt per comparationem ex natura desumptam. Finge solem splendore suo campos irradiantem. Sed ecce de campis exsurgunt vapores mox in nubem conflati. Dum autem nubes radiorum effluxum intercipit, umbra simul campos tegit. Sed ecce rursus sol calore suo nubem absorbet, distructoque obice, immutatus ipse, nova luce tellurem complet.

Corollarium I. – Collige ex praesenti doctrina quantopere a veritate aberrent Protestantes, dum non admittunt nisi iustificationem extrinsecam. Etenim in ordine supernaturali iustificatio tantopere exigit gratiae infusionem, qua redditur intrinsece inhaerens, ut sine ea neque concipi possit. Unde facilius posset, ob rationes superius expositas, extrinseca iustificatio, seu culpae remissio, concipi in ordine naturae quam in ordine gratiae.

ARTICULUS III.

UTRUM MOTUS LIBERI ARBITRII AD IUSTIFICATIONEM IMPII REQUIRATUR.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) In praeambulo praecedentis articuli vidimus repugnare, Deum ita peccatorem in gratiam recipere ut diligat quem propter peccatum oderat, nisi destruendo in homine illud quod erat odio dignum. Hoc autem imprimis erat voluntas peccatrix. Quare cum sanctitate divina pugnat peccatori veniam dari, quin haec ipsa eius voluntas peccatrix destruatur.

2) Haec autem voluntas peccatrix est vel aliena in peccato originali, vel propria in peccato actuali; sive aliena in homine qui nondum usu rationis gaudet, propria in aliis. Oportet proin ut in iustificatione illius qui usum rationis nondum habet, nexus cum voluntate primi parentis destruatur; in alio, ipsa personalis voluntas in Deum moveatur.

3) Iamvero quum vixdum nati infantes per naturalem generationem voluntarium Adami participent,[1] oportet ut regenerationis ritu participent iustitiam Adami novi. Talis autem ritus unicus est baptismus.[2] Ergo sine baptismo infantes non iustificantur. Nec infantibus dumtaxat hic ritus necessarius est. Adulti quoque, quum eiusdem labis contagie inficiantur, nisi fundentur in Auctore salutis, non possunt stragi originis eripi. Omnes proin et singuli Baptismo indigent, infantes simul ac adulti.

4) Sed, praeter Baptismi ritum, oportet insuper ut adulti personali liberi arbitrii motu in Deum ferantur, tum *a*) ut destruant in se voluntatem personaliter malam, qua propriis peccatis indulserunt; tum *b*) ut modo rationali creaturae congruo in finem suum a Deo dirigantur.

5) Huc spectant praedicationes, quibus impii ad Deum moventur, et ad conversionem disponuntur. Etenim necessitas quam hucusque in prima iustificatione consideravimus, valet quoque pro illis qui per poenitentiam in gratiam debent

[1] Cf. quae de peccato originali uti vero peccato, licet naturae, in praecedenti nostro volumine exposuimus.

[2] Cf. dicta ibidem p. 750 sqq.

restaurari. Inde talis restauratio passim in Scripturis vocatur conversio, talis scilicet animi motus, quo de contrario in contrarium moveatur. Inde quoque sacramentum ad gratiam recuperandam benigne institutum vocatur poenitentia. Utroque vocabulo duplex motus continetur; de quibus sermo redibit in art. 4 et 5.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad discrimen n. 2 indicatum, nec ad consequentia inde deducta n. 3 et 4. Observa, rationem *a)* in n. 4 expositam, non sufficere ad omnes casus; ratio autem *b)* semper valet. Ideoque in argumento *Corporis* maxime huic insistitur.

2ª Obi. Arguit ex sapientia quam Salomon videtur in somno accepisse.[1] Sed multipliciter deficit. 1) Supponit paritatem, dum haec abest: *a)* sapientia enim perficit intellectum, iustificatio totum hominem; adde *b)* sapientiam de qua sermo, esse donum gratis datum, iustificationem gratum faciens. – 2) Data etiam paritate, supponit, *a)* Salomonem in somno sapientiam meruisse, vel ipsam et non mere de ea obtinenda certitudinem accepisse; insuper *b)* somnum non fuisse somnum propheticum, qui usum liberi arbitrii non excludit.

3ª Obi. Axioma valet: utrimque enim eadem est causa efficiens productae gratiae et conservatae. Si autem intelligis causam dispositivam, et de illa valet; motus enim liberi arbitrii ad iustificationem requisitus oportet ut conservetur, ne ipsa gratia pereat. Discrimen autem adest inter iustificationem et conservationem, quod et apparet inter creationem et

[1] III Reg. III; II Par. I. Caeterum ex Scripturis multipliciter constat, Deum solere per somnia mentem et cor hominis instruere et movere, iuxta illud libri Iob: « Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt « in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erundiens eos instruit disciplina ».* Ioseph, quem adhuc adolescentulum de futura exaltatione Deus per somnia praemonuerat, explicando Pharaonis somnium de carcere ad secundum in Aegypto gradum conscendit. Nihil proin excessit auctor tragoediae *Athalie,* quando celeberrimis versibus trucem reginam somnio vehementer turbatam induxit:

Un songe (me devrais-je inquiéter d'un songe?)
Entretient dans mon cœur un chagrin qui le ronge.
*Je l'évite partout, partout il me poursuit.***

* Iob., XXXIII, 15 sqq.
** *Acte II, scène 5.*

conservationem rerum; maior scilicet motus requiritur ad eductionem de nihilo, quam ad conservationem in esse. Unde difficultas optime retorquetur.

Sed contra est. Corroboratur haec doctrina per omnes Scripturae locos in quibus Deus apparet ad se vocans animas quas vult sanctificare, quemadmodum legitur in Apocalypsi: « Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, « et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et coenabo « cum illo, et ipse mecum ».[1]

Quo efficacius autem significetur, tum Deum, gratia sua excitante et iuvante, tum hominem, docili motu liberi arbitrii, partem suam in iustificationis opere habere, in aliis Scripturae locis Deus peccatores adhortatur ut se convertant: « Convertimini, venite »;[2] « Convertimini ad me, et salvi « eritis »;[3] in aliis autem peccatores implorant Deum, ut ipsos convertat: « Converte me, et convertar »;[4] « Converte nos, « Domine, ad te, et convertemur ».[5] Quomodo autem haec duo se ordine habeant, superius vidimus, et infra interum investigabimus, agentes de concordia inter gratiam et liberum arbitrium. - Motum liberi arbitrii requiri in iustificatione impii, egregie illustratur per parabolam filii prodigi.[6]

Caeterum quo spectant exhortationes Prophetarum, Domini, Apostolorum ad peccatores directas, nisi ut eorum voluntatem a vitiis convertant ad iustitiam? Cur Iesus, etsi mitissimus corde, tam vehementer in obstinatas civitates invexit, nisi quia libera voluntate mala ad fidem converti renuebant?[7] Optime S. Augustinus: « Qui fecit te sine te, « non te iustificat sine te. Fecit nescientem; iustificat volen- « tem ».[8]

In iustificationis ordine partem liberi arbitrii S. Bonaventura ita breviter exhibet, ubi rursus praevenientem gratiam vocat gratis datam. « Ad iustificationem impii quatuor con-

[1] Apoc., III, 20.
[2] Is., XXI, 12.
[3] Ibid., XLV, 22, etc.
[4] Ierem., XXXI, 18; cf. 19.
[5] Thren., V, 21.
[6] Luc., XV, 18,
[7] Matth., XI, 21 sqq.
[8] *De verb. Ap.* Serm. 15, c. 11. - *P. L.*, t. XXXVIII, col. 923.

« currunt: scilicet infusio gratiae, expulsio culpae, contritio et « motus liberi arbitrii. Expellitur ergo culpa a Dei dono, non « a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gra- « tiae gratis datae est liberum arbitrium revocare a malo et « excitare ad bonum; et liberi arbitrii est, consentire vel dis- « sertire; et consentientis est gratiam recipere; est susci- « pientis cooperari eidem, ut tandem perveniat ad salutem ».[1]

Optime praesentem doctrinam ita comprehendit cl. Pègues O. P.: « Parce que l'infusion de la grâce qui fait passer « l'impie de l'état de péché à l'état de justice, est un chan- « gement de l'âme humaine en ce qu'elle a de plus spécifi- « quement propre, il faut que dans ce changement l'âme « humaine soit mue selon qu'il convient à sa nature. Et parce « que le propre de l'âme humaine est d'être douée de libre « arbitre, il faudra donc qu'en la mouvant, Dieu fasse jouer, « si l'on peut ainsi s'exprimer, le libre arbitre, quand l'état « de l'homme le comporte, en lui faisant produire les actes « qui lui sont propres et qui seront en harmonie avec la « collation de la grâce dont il s'agit ».[2]

In Corpore. Cave, ne perperam intelligas ultima verba huius argumenti: « sed ita infundit » etc. Duplex enim removenda est falsa conceptio: 1) prima, qua crederetur, gratiam iam infusam posse a libero arbitrio acceptari vel recusari; nam gratia infundenda, de qua agitur, est ipsum donum habituale gratum faciens; 2) altera, qua crederetur, reflexe liberum arbitrium moveri ut acceptet gratiam; nam, praeterquam quod vix de illa acceptatione necne cogitetur sub hac forma a voluntate deliberante, imo ullo modo cogitetur in iustificatione instantanea; sequeretur quod in quavis iustificatione duplex esset gratia, altera quae offertur, altera quae oblata acceptatur. Sensus igitur est: in iustificatione, dum infunditur gratia, liberum arbitrium simul movetur modo gratiae conformi, ita ut gratiae finis libere a iustificato acceptetur, dum iustificatur.

De solutione ad 1m vide fusius dicenda in tractatu de sacramento Baptismi.

[1] *Brevil.*, Part. v, c. 3.
[2] Op. cit., p. 691 sq.

Corollarium I. - Ex doctrina in hoc articulo exposita rursus apparet, quam graviter erraverint Lutherus liberum arbitrium sub gratia negans, necnon Iansenius illud ad merum voluntarium reducens.

Corollarium II. - Ex larga parte quam S. Thomas in hoc et in sequentibus articulis, necnon theologi passim, duce ipso Concilio Tridentino, tribuunt activitati humanae in opere iustificationis, collige, quam iniuste Protestantes, extrinsecae iustitiae patroni, insimulent doctrinam catholicam, quasi humanam naturam ad meram machinam redigeret. Audiatur audax recens scriptor G. Henslow: « If the Roman Church « be correct, man must be a mere machine; for the being « *made* good is due to an infusion from *without,* not to his « own free-will *within.* His righteousness would be the result « of a sort of spiritual mechanism; while " good works „ are « merely the wheels of the machine which grinds out sal- « vation ».[1] Haec Pelagianum saporem habent, quum ipsam supernaturalem gratiam reiiciant, quae non potest homini nisi superne, et eatenus extrinsece obvenire. Sed ita obvenit, ut hominem vitaliter afficiat, ac proin intrinsecus in eo et cum eo operetur. Unde doctrina catholica longe magis intrinsece et vitaliter iustificat hominem, quam protestantica doctrina non - imputationis. Catholica iustificatio est intrinseca et vera; protestantica illa, nonnisi extrinseca et apparens.

ARTICULUS IV.

UTRUM AD IUSTIFICATIONEM IMPII REQUIRATUR MOTUS FIDEI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Contraria contrariis curanda sunt. Quemadmodum ergo peccati motus est conversio in creaturam et aversio a Deo, ita oportet ut motus gratiae iustificantis sit motus in Deum ad adhaerendum ei, et motus in peccatum ad refugiendum ab eo.

2) Initium autem motus in Deum est fides, non quidem cognitio quaevis naturaliter accepta, sed supernaturalis,

[1] *The Vulgate the source of false doctrines,* ch. XII, *Justification and Conversion,* p. 96.

aliquo saltem modo exprimens quid Deus sit in se et quid sit ad nos. Unde Paulus dicit: « Credere enim oportet acce- « dentem ad Deum quia est » – en primum –, « et inquiren- « tibus se remunerator sit »,[1] – en alterum.

3) De primo patet, non talem requiri cognitionem quae omnia de Deo credenda contineat, vel omnes fidei articulos comprehendat. Igitur si ex una parte non sufficit cognitio qualiscumque mere naturalis, sed requiritur ordinabilis in finem supernaturalem; ex altera tamen parte non exigitur talis cognitio quae iam potius vocanda sit sapientia.

4) De altero elemento, seu de Deo relate ad nos, adverte, id varios affectus in se continere posse: timorem ac humilitatem ex conscentia peccati, spem ex desiderio veniae et mercedis, misericordiam erga proximum ex promptitudine eiusdem desiderii, imo charitatem, saltem initialem, – nisi agatur de iustificatione instantanea sine ope sacramenti. Radix autem omnium horum affectuum est ipsa fides; imo etiamsi apicem attingat per perfectam charitatem, adhuc fidei nomine recte vocatur, quia, usu Scripturae constat, fidem perfectam esse charitate informatam.

5) Quare, ubicumque agitur de perfecto iustificationis modo, de illo scilicet qui maximam liberi arbitrii motionem exigit, fides debet assurgere usque ad perfectam charitatem, qualem Paulus, in fulminis ictu conversus, altera exclamatione expressit: « Domine, quid me vis facere? ».

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat varia elementia contenta in altera parte sententiae Paulinae. – Cf. de hoc Conc. Trid. in fine huius Quaestionis.

2ª Obi. Negligit dicta n. 2 et 3.

3ª Obi. Pariter negligit verba S. Pauli modo allata, in quibus, uti exposuimus, Apostolus determinat quid in fide iustificante exigatur.

Sed contra est. Fidem esse in iustificandis requisitam, ostenderunt Apostoli, praesertim Petrus, quando conciones suas affirmatione divinitatis Christi claudebant: « Certissime « sciat ergo omnis domus Israël, quia et Dominum eum et

[1] Hebr., xi, 6.

« Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis ».[1] Huic autem fidei coniungit rationem spei: « Et non est in « alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo « datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».[2] Unde diaconus Philippus eunucho Baptismum cupienti ait: « Si « credis ex toto corde, licet ». Cui alter: « Credo, Filium Dei « esse Iesum Christum ».[3]

Hunc motum fidei esse requisitum ad salutem, ipse Christus solemniter praedicavit his verbis: « Euntes in mun- « dum universum, praedicate Evangelium omni creaturae; « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero « non crediderit, condemnabitur ».[4]

In Corpore. Perpende vim huius argumenti. Quando homo peccat, per creaturas in quas fertur, a Deo separatur. Motus autem iustificationis est oppositus. Deus enim quos trahit ad se, eadem tractione et a creaturis avellit. Inde toties in Scripturis actio Dei in hominem tractio appellatur: « Trahe « me, post te curremus »;[5] « Nemo potest venire ad me, nisi « Pater, qui misit me, traxerit eum »;[6] « Omnia traham ad « me ipsum ».[7] Imo de Satana, aemulo Dei, in Apocalypsi dicitur: « Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum « caeli et misit eas in terram », utique in perditionem, ad terrena a caelestibus avocando.[8]

Iam vero quum homo sit ratione et voluntate ita praeditus, ut initium sit in ratione, repugnat, hominem a Deo moveri in Deum, quin radicitus mente in Deum moveatur. Motus autem mentis in Deum est initium fidei. Quomodo enim sine ulla in Deum fide moveretur, dum in Deum movetur? Unde Apostolus praedicat, accedentem ad Deum ante omnia credere debere in Deum.

Reliqua patent.

[1] Act., ii, 36.
[2] Ibid., iv, 12.
[3] Ibid., viii, 37.
[4] Marc., xvi, 15 sq.
[5] Cant., i, 3.
[6] Ioann., vi, 44.
[7] Ibid., xii, 32.
[8] C. xii, 4.

Corollarium. – Ex modo quo vindicatus est hic motus initialis fidei qui iustificationi praerequitur, apparet, nullatenus hanc doctrinam esse confundendam cum novatorum fictione de sola fide iustificante. Est tamen ad iustificationem praeambulum; imo, si perfecta sit, charitate scilicet infirmata, iustificationem producit et involvit, iuxta illud Apostoli: « In hoc (Christo) omnes qui credit, iustificatur ».[1] Fidem, sine charitatis operibus esse iustificationi imparem, testatur expresse Iacobus: « Ex operibus[2] iustificatur homo, et non « ex fide tantum.... Fides sine operibus mortua est ».[3] Pulchre id exprimit Augustinus: « Domus Dei credendo fundatur, « operando erigitur, et diligendo perficitur ».[4]

ARTICULUS V.

UTRUM AD IUSTIFICATIONEM IMPII REQUIRATUR MOTUS LIBERI ARBITRII IN PECCATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Diximus (art. 3), iustificationem simul vocari conversionem et poenitentiam. Conversio respondet motui in Deum; poenitentia motui in peccatum. Sed, sicuti vidimus (art. 5), non quemvis actum cognitionis Dei sufficere ad hunc motum tendentem in finem supernaturalem; ita quoque non quivis motus in peccatum hic intelligitur, sed talis qui iustificationis fini respondeat. Iam vero talis nequit esse nisi motus in peccatum consideratum tamquam oppositum Deo. Unde apparet, motum in peccatum esse, implicite vel explicite, consequens motus in Deum. Res illustrari potest exemplo. Qui Roma Neapolim petere cupit, non ideo movetur in Neapolim, quia Romam relinquit; sed potius ideo relinquit Romam, quia Neapolim tendit. Patet igitur non solum, unum motum salutarem sine altero dari non posse, sed motum in Deum logice praecedere motum in peccatum. De quo in art. 8 sermo recurret.

[1] Act., XIII, 39.
[2] Charitate informatis, non autem legis. Cf. Rom., III, 28.
[3] Iac., II, 24. 26.
[4] *Sem. 27*, c. 1.

2) Motus autem in peccatum, quemadmodum motus in Deum, alius est praeparatorius ad iustificationem, alius pertinens ad ipsam iustificationem. Prior potest protrahi; unde non solum potest, sed et debet se ad omnia peccata, etiam separatim, extendere quorum conscientia memoriam servat; alter, quum sit instantaneus, ea omnia sub una ratione formali comprehendit, charitatis quippe divinae, seu fidei perfectae, cui omnia et singula simul opponuntur.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad hanc proprietatem, qua charitas operit multitudinem peccatorum, quia scilicet eminenter involvit omnium peccatorum detestationem.

2ª Obi. Confundit extensionem affectus quo commissa peccata damnantur, et affectus quo poenitentia de illis revocatur. Prior delet, alter deleta quasi revocat.

3ª Obi. Non considerat dicta in n. 2.

Sed contra est. Confirmatur doctrina huius articuli per verba Ezechielis: « Si impius egerit poenitentiam ab omni-« bus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia « praecepta mea:... vita vivet, et non morietur ».[1] Quare Praecursor Domini praedicavit Baptismum poenitentiae: « Poe-« nitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum ».[2] Audiatur iam ipse Christus: « Nisi poenitentiam habueritis, « omnes simul peribitis ».[3] Cui doctrinae consonant verba Principis Apostolorum. Quum enim die Pentecostes turba cui fidem Christi praedicaverat, Petrum rogaret: « Quid facie-« mus? » respondit: « Poenitentiam agite, et baptizetur unus-« quisque vestrum ».[4] Et altera die orationem claudit, motum fidei cum poenitentiae motu intime coniungens: « Vobis pri-« mum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicen-« tem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua ».[5] Utrumque autem necessario concurrere, apparet locis illis, in quibus uterque respectus immediate coniungitur: « De-

[1] Ezech., xviii, 21.
[2] Matth., iii, 2.
[3] Luc., xiii, 3.
[4] Act., ii, 37. 38.
Ib., iii, 26.

« clina a malo, et fac bonum »;[1] « Qui ingreditur sine macula, « et operatur iustitiam »;[2] « Iniquos odio habui, et legem « tuam dilexi »;[3] « Declinate a me maligni; et scrutabor « mandata Dei mei »;[4] ad exemplum ipsius Christi, de quo canitur: « Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea « unxit te, Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus « tuis ».[5]

De doctrina Conc. Trid. infra.

In Corpore. In hac limpida argumentatione S. Thomas duo facit. Primo demonstrat, quomodo in motu, motus in terminum *ad quem* nequeat dari sine motu a termino *a quo.* Dein explicat, quomodo in casu hi duo motus sint desiderii iustitiae Dei, et detestationis peccatorum.

Quaeres. – Nonne inter motum recessionis a peccato et motum ad Deum ordo inversus adesse potest, ut prius recedatur a peccato, et ita, relicto peccato, accessus fiat in Deum? – *Resp.* Si ageretur de motu qualicumque, id non solum obtingere posset, sed et saepe obtingeret. Non ita tamen si agitur de motu salutari conversionis. Possunt nihilominus taedium vitii et miseria moralis, aut imo materialis inde secuta, occasio esse quae provocet motum conversionis in Deum. Ita fuit de filio illo prodigo parabolae,[6] quem fames et egestas, necnon profunda humiliatio ad poenitentiam induxerunt. Ubi autem poenitentiae motum corde nutrire coepit, non exclamavit: « Vitiorum vitam abrenuntiabo! » sed « Ibo ad « Patrem! » ad ostendendum, veram et efficacem conversionem ibi incipere, ubi excitatur motus animae in Deum.

[1] Ps. XXXVI, 27.
[2] Ps. XIV, 2.
[3] Ps. CXVIII, 113.
[4] Ibid., 115.
[5] Ps. XLIV, 8.
[6] LUC., XV. Misericordiae intuitu Deum ita agere erga peccatores, pulchre exprimit Beatus Ruysbroeck: « Dit alles doet Hij uit trouw en uit liefde. Die zich dan « willen keeren tot hun gerechte Heer, zij kunnen d'ondeugden verdrijven en in « zijne liefde blijven ».* Hoc ipso sensu canit Psalmista: « Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala ».** Et: « Bonum mihi « quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas ».***

* *Heet bok van het rijk der gelieven,* c. 11.
** Ps. LXXXIX, 15.
*** Ps. CXVIII, 71.

ARTICULUS VI.

UTRUM REMISSIO PECCATORUM DEBEAT NUMERARI INTER EA QUAE REQUIRUNTUR AD IUSTIFICATIONEM IMPII.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Vidimus in art. 1 huius Quaestionis iustificationem impii esse remissionem peccatorum. Hoc autem assertum varios patitur sensus. Significare enim potest: *a*) remissionem peccatorum esse substantiam iustificationis, vel *b*) remissionem peccatorum esse effectum iustificationis, vel *c*) remissionem peccatorem praerequiri, veluti conditionem sine qua non, ut iustificatio impii obtineri possit; vel *d*) remissionem peccatorum esse terminum iustificationis, idque vel partialiter, vel totaliter. De singulis ex ordine dicendum.

2) Si assertum sumitur in primo sensu (*a*), quaestio in hoc articulo posita solvenda est negative. Substantia enim rei non adnumeratur his quae ad rem requiruntur nisi secundum inanem tautologiam. Ut homo sit, requiruntur corpus et anima et substantialis utriusque unio; non autem ipse homo requiri dicitur.

3) Rursus si assertum sumitur in secundo sensu (*b*), negative potius solvenda quaestio est. Nam vix dicitur proprie, ad aliquid requiri rem quae sit effectus illius ad quod requiri praedicatur. Si ergo remissio peccatorum non est nisi effectus iustificationis, non potest dici ad iustificationem requiri; conceptus enim iustificationis iam completur logice antequam remissio peccatorum ponatur; unde potius invertendum esset assertum dicendo, iustificationem requiri ad remissionem peccatorum. Iam vero in art. 1 talem definitionem iustificationis dedimus, quae remissionem peccatorum in se tamquam elementum contineat.

4) Pariter, si assertum sumitur in tertio sensu (*c*), quaesitum solvendum est negative. Et sane, si peccatorum remissio logice praerequireretur, quomodo obtineretur, quum superius demonstratum sit (art. 2), ad remissionem peccatorum requiri infusionem gratiae?

5) Unde standum est quarto sensui (*d*), quatenus remissio peccatorum est ipsius iustificationis terminus. Quo posito

sequitur, eam ad iustificationem requiri, ne motus per iustificationem expressus careat termino. Hic autem adverte, ad hoc non requiri remissionem peccatorum esse terminum totalem, seu formalitatem remissionis peccatorum esse totum id quod per iustificationem inducitur. E contra, forma totalis est status iustitiae, cuius elementum negativum est culpae seu iniustitiae deletio, positivum vero gratiae habituale donum.

6) Vides proin, gratiam sub duplici respectu iustificationis motum ingredi: *a*) quatenus infunditur, et quidem movendo liberum arbitrium in Deum et in peccatum; *b*) quatenus, ut donum habituale, in anima recipitur. Unde in instantanea adulti iustificatione gratia prius infunditur sub ratione gratiae moventis, et dein possidetur sub ratione habitualis doni; dum in iustificatione, cui praecessit via praeparationis ad illam, per sacramenti virtutem collata, gratia iam ab initio logico ut habituale donum infunditur. Item dicatur de iustificatione parvulorum per regenerationem baptismalem. Tunc non habentur nisi duo: infusio gratiae, et per hanc infusionem remissio peccati originalis.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit secundum primum sensum asserti *a*).

2ª Obi. Non distinguit inter substantiam actus et obiecta quae in eodem actu concurrunt. Consequens obiectionis esset, duplicem effectum oppositum non posse eodem actu obtineri. Adverte insuper, comparationem de luce et tenebris quoad successionem logicam convenire cum iustificatione, non autem in iustificationis amissione. Etenim mane pelluntur tenebrae, quia lux accedit; vespere tenebrae redeunt, quia lux recedit; ita ut semper logice praecedat actio lucis. In iustificatione autem gratia infusa praecedit logice remissionem peccatorum; dum in iustitiae amissione peccatum logice praecedit gratiae destructionem.

3ª Obi. Procedit secundum sensum secundum.[1]

Sed contra est. Remissionem peccatorum ingredi iustificationem, novatores aperte negabant, omne gratiae opus

[1] Cf. dicta n. 3.

ad externam iustitiae Christi imputationem reducentes. Cf. textus contra eos in art. 1 huius Quaestionis allatos. Huc directe faciunt verba S. Pauli: « Omnes peccaverunt, et egent « gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redem- « ptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus « propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem « iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delicto- « rum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in « hoc tempore; ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui est « ex fide Iesu Christi ».[1]

Ex quo loco apparet, ita Christum esse propitiationem pro peccatis mundi, indeque Redemptorem, ut opus simul iustitiae et misericordiae singulis applicetur, delendo peccata eorum qui fide Christo Iesu inseruntur, per Dei gratiam intuitu sanguinis Filii sui peccatores sanctificantis.

Optime S. Thomas eligit textum Isaiae in quo peccati deletio uti terminus iustificationis apparet.[2] Eadem ratione, uti vidimus, Baptisma vocatur: « in remissionem peccato- « rum ».

In Corpore. Prosequens in analysi conceptus iam inde a primo articulo expositi, S. Doctor ostendit, ex termino *ad quem* motus, remissionem peccatorum pertinere ad iustificationis conceptum. Observa nihilominus ea quae in n. 3, 4 et 5 diximus, ne iustificationis terminus imperfecto modo intelligatur.

Ex dictis conclude, iustificationem compleri per remissionem peccatorum; peccata autem per gratiae infusionem remitti, et quidem cum motu liberi arbitrii, si subiectum sit capax; imo per motum liberi arbitrii semper, si agatur de iustificatione sine ope sacramenti complenda.

ARTICULUS VII.

UTRUM IUSTIFICATIO IMPII FIAT IN INSTANTI VEL SUCCESSIVE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hucusque egimus seiunctim de variis elementis ad iustificationem concurrentibus. Iam haec elementa simul consideranda sunt in sua successione *a*) tem-

[1] Rom., III, 23-26.
[2] Is., XXVII, 9.

porali, *b*) logica. In praesenti articulo successio temporalis negatur; in sequenti logica successio vindicatur.

2) Et re vera, quum tria sint elementa ad iustificationem concurrentia: infusio gratiae, tamquam principium movens; actus duplex liberi arbitrii, tamquam motus; demum remissio peccatorum, tamquam terminus motus; si iustificatio non poterit fieri in instanti, erit propter unum ex his tribus: id est, vel *a*) quia gratia non potest in instanti infundi; vel *b*) quia actus liberi arbitrii aliquod temporis spatium requirunt; vel *c*) quia inter infusionem gratiae et peccatorum remissionem aliquid saltem temporis exigitur. Atqui nihil ex his tribus occurrit. Ergo iustificatio fit in instanti. Ad singula accedamus.

3) Non occurrit primum. Etenim *a*) virtus divina, utpote infinita, potest, quando vult, immediate disponere animam ad gratiam recipiendam, nisi ex parte ipsius animae adsit intrinseca ratio propter quam praeparatio immediata repugnet. Iam vero *b*) talis ratio non adest. Nec dicas, talem rationem inveniri in eo quod gratia sit forma capax augmenti. Aliud enim est, tempus ad primam formam inducendam requiri; aliud, hanc formam posse vario gradu participari. Potest ergo Deus gratiam infundere in instanti sine praevia dispositione animae. Potest tamen, quando vult, praevie disponere animam; sed nihilominus, post illam praeviam dispositionem, requiritur instantanea infusio ipsius gratiae sanctificantis.

4) Nec alterum occurrit. Etenim si occurreret, esset vel *a*) quia de essentia est actus liberi arbitrii ut ex deliberatione, quae exigit tempus, procedat; vel *b*) quia duplex motus requisitus in Deum et in peccatum nequit produci in instanti; vel *c*) quia tempore indiget forma antequam possit operari.

Atqui nullum ex his tribus concludit. Non *a*). Potest utique motus liberi arbitrii procedere cum temporis spatio: tunc stamus in dispositione praevia, de qua in fine n. 3. Non autem necessario indiget tempore, quum electio ipsa in instanti fieri possit. Etenim quaevis deliberatio vel non concludit, vel concludit in instanti: hoc autem instans non exigit necessario spatium haesitationis praecedentis. – Neque concludit *b*). Nam talis datur subordinatio et correlatio in hoc duplici motu, ut alter in altero contineatur, ac proin instantaneo

facultatis motu uterque attingatur. Demum non concludit *c*), utpote simpliciter falsum: procedit enim a suppositione formae imperfecte inductae per gradus.

5) Restaret ergo impossibilitas instantaneitatis ex parte successionis utriusque status iniustitiae et iustitiae, quatenus alterutrum dilemmatis membrum concedendum esset: vel dari instans in quo simul adsunt iustitia et iniustitia, quod manifeste repugnat; vel dari inter ultimum instans quo adest iniustitia, et primum instans quo adest iustitia, medium quid temporis, unde sequeretur, non posse iustificationem fieri in instanti.

Negamus dilemma, est enim falsa disiunctio. Etenim inter hoc: dari instans quo duo opposita simul adsint, et hoc: dari instans inter recedere unius et accedere alterius, adest medium: scilicet in eodem ipso instanti unum adesse, alterum recedere. Atqui in hoc medio stat veritas.

6) Et re quidem vera motus continuus non procedit per instantia,[1] sed per continuum; unde in continuo non datur nisi instans quo incipit et instans quo cessat. Porro si ratio cessationis est advectio novi continui prius continuum necessario pellentis, ipsum primum instans novi continui est ultimum instans praecedentis, et non datur in successione nisi unum instans, quin tamen adsit coëxistentia oppositorum, neque per illud instans.

7) Evidentia huius solutionis illustratur indirecte per analysim secundi membri superioris dilemmatis. (De priori non est difficultas: unde in se concedendum est, non uti falsi dilemmatis membrum, sed uti recte concludens). Et sane, finge dari instans inter opposita sibi succedentia, iam remissio peccatorum non fieret per infusionem gratiae, sed logice praecederet eam. Atqui, quemadmodum accedente luce pelluntur tenebrae, ita gratia animam illustrante delentur peccata. Oportet igitur ut se tangant; et quum ne per instans quidem simul esse possint, oportet ut idem sit instans quo gratia accedit, et quo peccata recedunt. Vides ergo, oppositum dilemma esse tam imbelle, ut, nedum intentum obtineat, contra intentum validissime retorqueatur. De essentia

[1] Plura de motu continuo et discreto alibi scripsimus: cfr. t. VI, p. 577 sqq.

quippe est iustificationis ut in instanti iniustitia locum cedat iustitiae.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit contra n. 4 *a*).

2ª Obi. Procedit contra n. 4 *b*) utraque a parte motus liberi arbitrii.

3ª Obi. Procedit contra n. 3 *b*) a parte infusionis gratiae, et quidem a parte ipsius animae eam recipientis.

4ª Obi. Procedit contra n. 4 *c*) rursus a parte motus liberi arbitrii.

5ª Obi. Procedit contra n. 5) a parte successionis utriusque formae contrariae.

Sed contra est. Huius articuli doctrina corroboratur per modum quo conversio Pauli in Actibus narratur: « Subito « circumfulsit eum lux de caelo »,[1] quod de luce materiali dictum, non sine fundamento de spirituali luce per gratiae infusionem intelligitur.

In Corpore. S. Thomas insistit in argumentum de quo n. 3 *a*), concedens quidem, Deum quandoque paulatim animam ad gratiae infusionem disponere, sed contendens, eum, si velit, propter infinitam eius virtutem posse formam iustificationis inducere in instanti.

In resp. ad quintum. Tota responsio hisce contrahitur. In moventibus motu continuo non datur ultimum instans; at ultimum tempus est quidem instans, sed primum instans motus continui sequentis. – In moventibus motu non continuo, uti in affectibus Angelorum, datur ultimum instans prioris et alterum primum instans sequentis; non tamen tempus medium. – Iam vero motus iustificationis animae humanae est in ordine motus continui, non discreti. Unde ibi non datur in successione nisi unum idem instans, iuxta exposita n. 6 et 7.

Ad concilianda haec duo, primo intuitu sibi contradicentia: « non est dare ultimum instans », et « in ultimo instanti « huius temporis », attende, ultimum instans posse considerari vel uti ultimum seriei instantium, et hoc sensu negatur; vel uti finis continui temporis, qui finis est instans non minus quam initium, et in hoc sensu conceditur.

[1] IX, 3.

Corollarium. – Ex toto hoc articulo conclude, instantaneam voluntatis motionem per gratiam nullo modo tollere rationem libertatis; secus enim vel iustificatio instantanea cum motu liberi arbitrii repugnaret, vel haec iustificatio coactionem induceret aut saltem non relinqueret nisi voluntarium. Quod principium salvae libertatis sub instantanea voluntatis humanae motione, est summi momenti in quaestione de gratia, quemadmodum magis apparebit in appendice, ubi de variis conciliationis systematibus erit agendum.

ARTICULUS VIII.

UTRUM GRATIAE INFUSIO SIT PRIMA ORDINE NATURAE INTER EA QUAE REQUIRUNTUR AD IUSTIFICATIONEM IMPII.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Negata successione temporali in motu iustificationis, iam de successione logica subtilis remanet quaestio, breviter tamen absolvenda, quia ex superius dictis iam est praeoccupata solutio.

2) Penitius argumentum perscrutanti apparet, principalem difficultatem inde maxime provenire, quod in iustificationis gratia duplex invenitur respectus, qui, quoad ordinem logicum videtur contradictionem involvere. *a*) Alter est respectus primi moventis, et subiectum disponentis, qui respectus evidenter praecedere debet reliqua quae ad iustificationem concurrunt; *b*) alter insuper est respectus susceptionis formae, accessus ad terminum et consecutionis finis, qui logice sequitur ipsam dispositionem formae, recessum a termino et remotionem impedimenti.

3) Solutio in hoc esse videtur. In iustificationis gratia duplex potest formalitas considerari; formalitas ipsius infusionis et formalitas consecutionis. Quatenus infunditur, gratia est veluti agens motus: est primum instans uti impulsum dans; quatenus autem anima gratiam consequitur, non amplius est motus, sed habitus: est primum instans uti principium continui temporis.

4) Hoc posito iam patet solutio: primo loco habetur gratia, sub ipsa formalitate actualis infusionis, secundo motus liberi arbitrii, tertio remissio peccatorum, quarto rursus gratia, sed iam sub formalitate formae habitualis. Unde omnia

salvantur, quae in n. 2, tamquam consequentia utriusque respectus, obiicebantur.

5) Hucusque de ordine gratiae relate ad actus liberi arbitrii et ad remissionem culpae. Quid iam de ordine inter duos motus liberi arbitrii in Deum et in peccatum? Quum ratio motus in peccatum petatur a ratione ipsius motus in Deum, apparet logice hunc praecedere illum. Nec obiicias, remotionem impedimenti praecedere necessario assecutionem finis. Nego applicationem axiomatis. Nam motus in Deum, de quo quaeritur, nondum ponit finis assecutionem, sed intentionem. Iam vero intentio finis semper praecedit remotionem obicis; cur enim movetur obex, nisi in ordine ad finem? In exsecutione autem remotio obicis praecedit finis assecutionem. Ita quoque in casu, iuxta modo exposita, remissio peccati per gratiam iustificantem sub ratione formali motus infusi praecedit consecutionem eiusdem gratiae iustificantis sub formali ratione habitualis formae.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit contra ordinem inter gratiae infusionem et remissionem peccatorum. S. Thomas difficultatis optime conscius, duplicem solutionem suggerit. Inconveniens autem prioris est in sententia: « prius est « ordine naturae liberatio a culpa quam consecutio gratiae « iustificantis »; quae sententia vix concordat cum doctrina articuli secundi; nisi dicatur, S. Thomam distinguere inter gratiam formaliter uti actu infunditur, et formaliter uti, tamquam donum iustificans, habitualiter ab anima possidetur. Tunc solutio redit ad distinctionem quam n. 3 exposuimus. – Eadem distinctio redit in altera solutione, licet modo aliqualiter diverso. Iuxta hanc solutionem complenda esset doctrina articuli sexti de iustificationis termino.

2ª Obi. Vide quantopere distinctio quam S. Doctor hic facit inter gratiae infusionem et consecutionem, respondeat distinctioni a nobis n. 3 et 4 vindicatae. Etenim si gratia sub eadem formalitate consideraretur, repugnaret ut simul relate ad idem diceretur praecedere et sequi. E contra, si formali ratione differunt, non solum motus liberi arbitrii, sed et remissio peccatorum possunt inter utramque logico ordine collocari.

3ª Obi. Forte clarius distingues inter ordinem intentionis et exsecutionis, iuxta ea quae n. 5 diximus. Etenim in ipsa iustificatione verificatur, quod remissio peccatorum, licet sequatur infusionem gratiae uti principii moventis, praecedit tamen consecutionem gratiae, uti formae habitualis. Ita solutio obi. 3 concordat cum solutione obi. 1.

Sed contra est. Hoc argumentum unice valet ad demonstrandum, gratiae infusionem esse iustificationis principium. Reliqua ostenduntur in argumento *Corporis.* Potest illustrari haec veritas per sequentes Scripturae locos: « Ego sum « ipse, qui deleo iniquitates tuas ».[1] Ergo initium est a Deo; quomodo nisi per gratiae infusionem? Et: « gratia salvati « estis per fidem »,[2] ex quo habemus hoc ordine: *a*) gratiam, *b*) fidem, *c*) salvationem, seu terminum iustificationis.

Et de ordine inter actus liberi arbitrii habemus: « Dilexi « mandata tua », – en motum in Deum, – « propterea omnem « viam iniquam odio habui ».[3] Et: « Dilexisti iustitiam, et « odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo « iustitiae prae consortibus tuis ».[4] Quae, licet in hoc psalmo dicantur de Christo, valent quoque de omnibus sanctis, qui non ideo Deum amant, quia iniquitatem odio prosequuntur; sed ideo detestantur malum, quia amant omnis boni fontem, Deum.

Nec obiicias: « Diverte a malo, et fac bonum ». Haec enim non dicuntur de via praeparationis ad iustitiam, minus adhuc de ipsa iustificatione, sed de agendis a iusto. Iam vero quis non videat, per gradationem haec duo logice poni? Si autem intelligantur de accessu ad iustitiam, quis non videat, primum peccatoris gressum esse ut iam a peccando abstineat, antequam ad hoc perveniat ut valeat agere bonum?

Optime itaque scribit beatus Ruysbroeck: « Deus dat « suam lucem, et per medium huius lucis homo se libere « plene movet in Deum; et ex utroque fluit perfectus amor « in Deum. Et ex amore fluit perfecta contritio et conscien-

[1] Is., XLIII, 15.
[2] Eph., II, 8.
[3] Ps. CXVIII, 104.
[4] Ps. XLIV, 8.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« tiae purificatio ». Quia amat Deum, ideo invaditur displicentia erga seipsum et omnia sua opera.[1]

In Corpore. S. Thomas duo facit. 1) Adducta comparatione cum motu, statuit quod gratiae infusio praecedit liberi arbitrii motus, et isti praecedunt remissionem culpae. – 2) Ex subordinatione intrinseca statuit quod, inter liberi arbitrii actus, motus in Deum praecedit motum in peccatum.[2]

ARTICULUS IX.

UTRUM IUSTIFICATIO IMPII SIT MAXIMUM OPUS DEI.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Accedimus iam ad ultimam quaestionis partem, in qua S. Thomas agit de *excellentia* iustificationis tamquam operis Dei consideratae. Gratia enim operans, de qua hic praecipue est sermo, respectum primarium habet ad Deum tamquam ad causam efficientem sui.

2) Iam vero si quaeritur de operis magnitudine, – seclusa Incarnatione, quae locum principalissimum vindicat; seclusa quoque Immaculata Conceptione B. V. M., quae post Incarnationem omnibus praeeminet; – tres operationum ordines conferri possunt cum ordine iustificationis impii: ordo creationis, ordo elevationis ad statum supernaturalem, ordo consummationis in gloria. Inde oritur quaesitum triplex. *a*) Estne iustificatio impii opus maius creatione, sive in specie, sive in universali? *b*) Estne iustificatio impii opus maius elevatione originali protoparentum vel Angelorum ad gratiam? *c*) Estne iustificatio impii opus maius glorificatione Angelorum et Sanctorum in caelo?

3) Solutio harum quaestionum est a sequentibus criterii regulis desumenda. *a*) In opere considerari potest respectus ad terminum *a quo* et respectus ad terminum *ad quem,* seu id *unde* res fit et id *quod* fit. *b*) Insuper in opere considerari potest elementum relativum, id est proportio inter subiectum et operis terminum. *c*) Demum potest considerari manifestatio unius vel vel alterius perfectionis divinae. His positis, ad quaesita.

[1] Op. cit. ibidem

[2] Cf. de totó hoc argumento IV Sent. Dist. XVII, q. 1, a. 2, 3, 4, 5,

4) Creatio praestat iustificationi impii, si considero terminum *a quo,* in illa enim est nihilum, seu absentia cuiusvis potentiae; in hac habetur saltem potentia obedientialis. – Sed iustificatio praestat creationi, si considero terminum *ad quem:* in creatione enim hic terminus est ordo naturalis, in iustificatione ordo supernaturalis. (3. *a*).

5) Iustificatio impii praestat undequaque elevationi originali, tum *a*) quia inter naturam innocentem et gratiam est minor disproportio quam inter naturam lapsam et gratiam; tum *b*) quia iustificatio impii, praeter potentiam et gratuitam benevolentiam Dei, manifestat insuper eius misericordiam (3. *b*) *c*).

6) Glorificatio Angelorum et Sanctorum praestat iustificationi impii, si consideratur operis excellentia seu terminus *ad quem;* e contra autem praestat impii iustificatio, si attenditur proportio (3. *a*) *b*).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit nisi magnitudinem operis a parte absolutae perfectionis termini *ad quem*, non autem a parte proportionis; seu negligit elementum relativum.

2ª Obi. Non considerat distinctionem duplicis ordinis.

3ª Obi. Non attendit nisi magnitudinem operis a parte modi agendi.

Sed contra est. Ex hac doctrina habes rationem cur Deus tam saepe invocetur: *Omnipotens et misericors.* Omnipotentiam quippe suam non minus quam misericordiam in iustificatione impii maxime manifestat. Hanc omnipotentiam Christus ostendit, ubi ait: « Quid est facilius dicere: Dimit« tuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge et ambula? Ut « autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra « dimittendi peccata ... etc. ».[1] Caeterum aperte Psalmista de Domino dicit: « Miserationes eius super omnia opera eius ».[2] Et veniam deprecaturus, cantat: « Miserere mei Deus secun« dum magnam misericordiam tuam, et secundum multitu« dinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam ».[3]

[1] Math., ix, 5, 6.
[2] Ps. cxliv, 9.
[3] Ps. l, 1.

Et Ecclesia orat: « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo « maxime et miserando manifestas ».[1]

Excellentia operis iustificationis impii commendatur gemina parabola de ove perdita, et de drachma inventa, quam Christus hisce verbis claudit: « Dico vobis, quia ita gau- « dium erit in caelo super uno peccatore gratiam agente, « quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poe- « nitentia..... Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis « super uno peccatore poenitentiam agente ».[2]

Imo tota oeconomia Incarnationis et Redemptionis nonne eloquentissime praedicat, ex ipsa proportionis lege inter media et finem, iustificationem impii esse opus undequaque praecellentis potentiae et bonitatis?

In Corpore. En schema argumenti:

Opus Dei maximum est:
- 1) ex parte *modi* agendi: *creatio* (ex nihilo);
- 2) ex parte *magnitudinis* eius quod fit:
  - *a*) secundum quantitatem *absolutam:* — *glorificatio;*
  - *b*) secundum quantitatem *proportionis:* — *iustificatio impii* (ex indigno, per misericordiam).

Quaeres. – Quid de *miraculis?* – Solutio fere eadem est ac ea quam superius dedimus, conferendo iustificationem impii cum opere creationis, quemadmodum ex articulo sequenti melius apparebit. Corroboratur haec solutio per modum quo, uti ex modo allato textu aliisque apparet, Christus ipse morborum curationem subordinat remissioni peccatorum, quae subordinatio praecellentiam istius prae illa manifestat.

ARTICULUS X.

UTRUM IUSTIFICATIO IMPII SIT OPUS MIRACULOSUM.

I. De ipsa Quaestione. 1) Duo sedulo in hoc quaesito distinguenda sunt: *a*) utrum iustificatio impii sit opus maius miraculo; *b*) utrum sit opus miraculosum. Potest enim primum dari, quin secundum inde sequatur, si opus miraculosum involvat notam specialem, quae iustificationi impii non

[1] Dom. X Pentec.
[2] Luc., xv.

conveniat. Imo si miraculum constet variis notis, sufficit quod una non concordet, ut nomen, saltem in proprio loquendi modo, negari debeat.

2) Ubi primo adverte, miraculum nunquam dici prae potentia divina, sed prae potentia creaturae. Etenim, uti ait S. Th. « Nihil potest dici miraculum ex comparatione potentiae divinae ...; sed dicitur miraculum per comparationem « ad facultatem naturae, quam excedit ».[1]

3) Antequam autem ad quaesita solvenda accedamus, oportet distinguere inter miracula *quoad substantiam* et miraculum *quoad modum*. In primis illud quod fit, tantopere est portentosum, ut ipsa substantia rei[2] proportionem cum creata virtute praetergrediatur; in miraculis quoad modum, non rei substantia, sed modus aliquis quo effectus producitur, divinam virtutem exigit. Prioris generis exemplum habes in resurrectione mortui; alterius, in subitanea curatione morbi ex se, sed spatio temporis adhibito, non incurabilis.[3]

4) Iam vero, redeundo ad criteria in articulo praecedenti stabilita, dicendum est, miraculum prioris generis praestare iustificationi impii, in quantum magis participat de modo agendi creationis. Est enim quasi manifestatio immediata, praeter solitum naturae cursum, illius virtutis quae hunc ipsum cursum stabilivit. Cedit autem gratiae, in quantum non ascendit usque ad ordinem supernaturalem, et ad summum non pertinet nisi ad gratiam gratis datam. Miraculum autem alterius generis nullomodo iustificationi praestat.

[1] I Q. cv, a. 8, in *Corp.*

[2] Hoc autem duplici modo potest contingere (Cf. I Q. cv, a. 8): vel in effectu qui quoad substantiam vim naturae absolute omnino excedit: v. gr., quod corpus Christi per transsubstantiationem modo veluti spirituali sub alienis speciebus adsit, quemadmodum in consecratione sacramentali producitur; vel in effectu qui excedit quidem omnem vim naturae quoad effectus substantiam, sed in dato subiecto non omnino absolute: v. gr., quod corpori mortuo vita detur: potest quippe natura causare vitam, sed non in tali subiecto. Cave tamen, ne hoc alterum intelligas iuxta doctrinam generationis spontaneae, quae hodie ab omnibus praeiudicio philosophico liberis reiicitur.

[3] Ferunt, Aemilium Zola, dum in sanctuario B. M. Virginis de Lourdes degeret, testem ocularem fuisse instantaneae curationis morbi qui vocatus « lupus »; quumque prodigium nec recusarae posset, nec agnoscere vellet, violenta lucta ad lacrimas usque, secum ipsum pugnasse, donec sinceritatis sensum impia obstinatio praefocaret.

Huc faciunt verba S. Anselmi: « Sicut nulla voluntas, ante-
« quam haberet rectitudinem potuit eam, Deo non dante,
« capere; ita cum deserit acceptam, non potest eum nisi
« Deo reddente recipere. Et maius miraculum existimo,
« cum Deus voluntati desertam reddit rectitudinem, quam
« cum mortuo reddit vitam amissam. Corpus enim necessi-
« tate moriendo non peccat, ut vitam nunquam recipiat;
« voluntas vero per se rectitudinem deserendo, meretur ut
« illa semper indigeat. Et si quis sibi sponte mortem infert,
« non aufert sibi quod nunquam est amissurus; qui vero
« voluntatis rectitudinem deserit, hoc abiicit quod ex debito
« semper erat servaturus ».[1] Et ita solvitur primum quaesitum.

5) Ad solvendum alterum oportet prius notas miraculi stabilire, ut dein inquiratur, utrum necne iustificationi impii conveniant. Porro miraculum, derivatum a *mirari,* sicut spectaculum a spectare, illud est quod admirationem sui evocat, et quidem talem quae concludat necessario ad operationem divinam. Ex hac definitione apparet, ad miraculum requiri: *a*) ut effectus sit manifestus, licet virtus sit occulta; *b*) ut sit insolitus, praeter legem aliquam stabilem, sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis; *c*) ut legitime concludat ad operationem divinam, ac proin a solo Deo produci possit, sive quoad substantiam, sive quoad modum.

6) Applicando has notas iustificationi impii, habemus: nota *a*) deest, nisi cum apparatu externo transmutatio fiat manifesta; pariter deest nota *b*), nisi gratiae iustificatio praeter ordinem solitum producatur; tertia autem nota *c*) concordat, sed non in eodem gradu. Etenim, iuxta ea quae in praecedenti articulo et in praesenti n. 4 diximus, vis divina ex parte modi agendi magis elucet in effectu portentoso quoad substantiam, quam in iustificatione impii; licet ex parte magnitudinis operis iustificatio miraculo praestet. Et ita patet solutio ad alterum quaesitum.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat respectum ad modum quo miraculum producitur; unde maiorem admirationem excitat. Confundit duplex quaesitum distinctum.

[1] *Dial. de lib. arbitr.,* c. 10. – *P. L.,* t. CLVIII, col. 502.

2ª Obi. Arguit ac si quidquid in re contra inclinationem eius naturalem producitur, esset miraculum. In quo distinguendum est: si fiat praeter naturalem alterius rei virtutem agentem in priorem, ita ut soli Deo tribui possit, erit miraculum; secus non. In iustificatione autem talis habetur mutatio, quae non possit induci nisi a Deo. Caute intellige ultimam sententiam responsionis, iuxta dicta n. 2). Caeterum vis obiectionis non videtur esse in hoc quod iustificatio miraculosa dicatur a parte Dei. Secus quid de aliis effectibus qui non possunt nisi a Deo in natura produci?

Sed contra est. Argumentum heic ab Augustino desumptum debet intelligi iuxta modum quo iste Doctor loqui solet de elevatione hominis ad statum supernaturalem; quam elevationem, quia homini fuit congenita, iam veluti naturalem, sensu explicato superius, considerat. In rigore tamen sermonis non est in homine ad elevationem nisi potentia naturalis *obedientialis*, non vera potestas naturalis. Unde cave, ne dicta hoc loco, sicuti in *Corpore*, ultra limites urgeas.

In Corpore. Quaedam adnotasse sufficiat. In prima ex tribus notis, comple quod dicitur in textu, per ea quae exposuimus n. 5 *a*). Interest quoad hoc inter miraculum et iustificationem, quod primum effulget et admirationem provocat; altera quasi semper occulta manet, imo ab aliis ignoratur, nec ab ipso qui iustificatur, plena certitudine cognosci potest. In secunda nota observa, praeter dicta in *Sed contra est,* et praeter exposita n 3, 4 et 5, discrimen esse faciendum, iuxta doctrinam praecedentis articuli, inter animam creatam in innocentia naturali et animam impii. In tertia nota, quoad conversionem Pauli, distingue mutationem subitaneam, et miracula externa quibus fuit manifestata.

Corollarium I. - Ex dictis n. 5 conclude, duo deesse transsubstantiationi ut miraculum, in strictu sensu vocis, dicatur: 1) manifestationem, nam tegitur et creditur, sed non apparet;[1] 2) rationem insoliti, nam secundum stabilem legem sacramenti peragitur. Idem dic de iustificatione, licet instantanea, parvulorum in sacramento regenerationis.

[1] Cf. illud hymni *Adore te devote, - latens deitas, - quae sub his figuris - vere latitas; ... In cruce latebat - sola deitas; - at hic latet simul - et humanitas.*

Corollarium II. - Ex dictis in prima parte huius expositionis et in *Corpore* articuli vides, quomodo concilies doctrinam S. Thomae hoc loco cum resp. ad 2m, art. 7, Q. CIX. Ibi enim Angelicus confert conversionem peccatoris cum resurrectione mortui, dum heic unum potius alteri opponit. Vides proin, quanti sit momenti distinguere, quemadmodum fecimus, inter capacitatem animae naturaliter innocentis ut supernaturalis fiat imago Dei, et animae impii ut ad amissae imaginis dignitatem restauretur.

Brevissima totius Quaestionis Synopis.

1) Iustificatio est transmutatio de statu iniustitiae ad statum iustitiae, in qua transmutatione terminus *a quo* est status iniustitiae, terminus *ad quem* status iustitiae; transitus autem perfici nequit sine remissione peccatorum; unde iustificatio dici quoque potest remissio peccatorum (a. 1).

2) Quae peccatorum remissio, quum fundetur in gratuita offensae condonatione, nequit obtineri sine speciali divina bona voluntate in iustificati animam agente per infusionem gratiae. Quare nulla datur peccatorum remissio sine gratiae infusione (a. 2).

3) Sed et insuper oportet ut homo, liberi arbitrii capax, ab iniustitia ad iustitiae statum per gratiam moveatur modo congruo suae naturae, id est per motum ipsius liberi arbitrii. Qui motus est duplex: *a*) in Deum, qui animam ad se revocat, *b*) in peccatum, a quo anima propter Deum refugit: prior respicit terminum *ad quem,* alter terminum *a quo* (a. 3, 4, 5).

4) Accessus autem ad terminum *ad quem* fit per culpae remissionem, quatenus tunc solum anima in statu habituali iustitiae collocatur, quando per virtutem infusae gratiae motusque liberi arbitrii peccata delentur.

5) Fit autem haec transformatio in instanti, quum virtus qua fit infinita sit, potens materiam ad formam recipiendam in instanti praeparare (a. 7). Nihilominus in his quatuor repetitur ordo logicus, ita ut praecedat motio moventis, seu infusio gratiae, sequatur motus mobilis, seu actus liberi arbitrii in Deum et in peccatum, demum veniat terminus motus, seu

remissio culpae. Hic autem terminus motus habet duplicem formalitatem, scilicet remissionis culpae, et habitualis gratiae ab anima acceptae (a. 8).

6) Hoc iustificationis opus, si excellentiam operis, praesertim secundum quantitatem proportionis consideras, maximum inter opera Dei vocandum est (a. 9). Non ideo tamen debet dici miraculosum, praesertim quia completur in abscondito, iuxta quasi leges providentiae supernaturalis; si tamen praeter has leges, praesertim cum externis signis portentosis completur, vere tamquam miraculum habetur et colitur (a. 10).

Appendix de Doctrina Concilii Tridentini circa modum et ordinem iustificationis.

Praemissa doctrina de naturae et Legis imbecillitate ad iustificationem procurandam, necnon de dispensatione et mysterio adventus Christi, et de modo quo membra Adamo novo inseruntur, Concilium Tridentinum, Sess. VI, a cap. 4, aggreditur doctrinam de modo et ordine iustificationis. Definitio quam dat iustificationis quasi ad verbum consonat cum doctrina S. Thomae in articulo primo. Allato textu Pauli[1] quem eodem loco civitavimus, aiunt Patres Tridentini: « Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit « translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi « Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per « secundum Adam Iesum Christum, Salvatorem nostrum ». Ex qua definitione iam fluit doctrina quam S. Thomas exponit in resp. I, art. 3, ubi de necessitate sacramenti regenerationis: unde Concilium immediate concludit: « Nisi quis « renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare « in regnum Dei ».[2]

Iam de necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, et quidem primo, unde sit; dein, quo ordine sit.

In primo refutanda est non solum haeresis Pelagiana et Semipelagiana de viribus naturae in ordine ad gratiam, sed etiam error Lutheranus de negatione liberi arbitrii, deque

[1] Coloss., I, 12 sq.
[2] Ioann., III, 5.

inanitate praeparationis ad iustificationem per actus eiusdem moventi gratiae cooperantis. Doctrina proin Concilii in cap. 5, in quo de origine praeparationis agitur, potest ad haec duo reduci: 1) gratia sine praecedentibus meritis praevenit operans excitando, adiuvando; 2) homo cooperatur, assentiendo, recipiendo, et quidem ita ut possit gratiam abiicere, non autem sine illa se ad iustitiam movere. Priorem partem iam supra citavimus, ubi de errore Pelagiano. En alteram: « ut qui per « peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque « adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipso- « rum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et « cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis « per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil « omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam « et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere « se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde « in sacris Litteris, quum dicitur "Convertimini ad me, et « ego convertar ad vos",[1] libertatis nostrae admonemur; « quum respondemus: "Converte nos, Domine, ad te, et con- « vertemur",[2] Dei nos gratia praeveniri confitemur ». Vides concordiam inter hanc doctrinam et articulum 3 huius Quaestionis.

Huic capiti respondent canones 3, 4, 5, 6. Tertius contra errorem Pelagianum dirigitur, ideoque iam superius citatus est. Tres alii asserta novatorum, praesertim Lutheri, condemnant. Quartus stabilit, voluntatem gratia motam vitaliter, imo libere agere. « Si quis dixerit, liberum hominis « arbitrium a Deo motum et excitatum, » – en partes gratie operantis, – « nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque « vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se dispo- « nat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti « inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se « habere; a. s. ».

Uti apparet, hic canon, summi momenti in re gratiae,[3] supponit, liberum arbitrium per Adae peccatum non fuisse

[1] Zachar., I, 3.

[2] Ierem., *Thren.*, v, 21.

[3] Momentum huius can. magis apparebit in dissertione de concordia liberi arbitrii cum gratia.

destructum, quemadmodum Lutherum affirmare audivimus. Sequitur proin canon. 5 supra iam citatus, in quo haec libertas contra servi arbitrii doctorem vindicatur.

Nec satis. Ex doctrina utriusque canonis 4 et 5 sequitur, hominem esse auctorem viae suae malae, imo ipsum viae suae bonae per cooperationem aliquomodo auctorem esse; et per consequens, impium esse ut aequaliter Deo tribuantur opera bona et mala, quum haec ultima Deus solum permittat, priora vero utique operetur, cooperante tamen libera hominis voluntate. Quem canonem quoque superius citatum invenis.

Iam determinato principio unde sit praeparatio ad iustificationem, ex gratia scilicet et libero arbitrio, Concilium, in cap. 6, transit ad explicandum eiusdem praeparationis ordinem. Textum integrum citamus, adiungendo variis incisis ea quae argumentum postulat, ad perfectam harmoniam ostendendam inter doctrinam Concilii et Quaestionem praesentem Aquinatis. « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam « dum *excitati divina gratia* et adiuti (en principium movens) « *fidem* ex auditu concipientes (en principium totius motus), « libere *moventur in Deum* (en primum motum), credentes « vera esse quae divinitus *revelata* et *promissa* sunt, atque « illud imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, « per redemptionem quae est in Christo Iesu; et dum pec- « catores se esse intelligentes, a divinae *iustitiae timore,* quo « utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam « se convertendo *in spem* eriguntur, fidentes Deum sibi pro- « pter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis « iustitiae fontem *diligere incipiunt* ». En analysim ipsius motus in Deum, quatenus continet fidem in revelata et promissa, in genere et in specie, iuxta verbum Apostoli;[1] et inde fluunt timor, spes, et initialis dilectio. Sequitur alter motus in peccatum, eiusdemque analysis: « ac propterea » – vides alterum motum in priori fundari ac proin logice sequi – « moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem », – adverte istud *aliquod,* quemadmodum de dilectione habetur: tamquan *fortem iustitiae* diligere *incipiunt;*

[1] Hebr., ix, 6.

praeparatio quippe ad iustificationem non includit nec perfectam charitatem, nec perfectam poenitentiam, secus iustificatio deberet sacramentum ipsum praecedere, – « hoc est « per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet, » – ex quibus verbis manifeste apparet, Concilium agere directe de modo secundo ex quinque modis p. 416 sq. enumeratis « denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare « novam vitam et servare divina mandata ». Habes proin motum in peccatum tria continentem: poenitentiam, voluntatem suscipiendi Baptismum, propositum futurae emendationis.[1]

Huic capiti respondent canones 7 et 8. In primo damnatur blasphemia Lutheri, contra quamvis praeparationem ad gratiam invehentis. « Si quis dixerit, opera omnia quae ante « iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere « esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehe- « mentius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum « gravius peccare; a. s. ». In altero vindicatur bonitas timoris ex gehennae metu inspirati: « Si quis dixerit, gehennae « metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo « confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut « peccatores peiores facere; a. s. ».

Quum in cap. 6 Concilium agat directe de iustificatione praecedente via ad eamdem, repugnat ut ordinem modo expositum simpliciter logicum et non etiam temporalem concipiat. Ubi autem in cap. 7 ipsum instans iustificationis describit, ostendit, agi de operatione instantanea: « Unde in « ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia « *simul* infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inse- « ritur fidem, spem, et charitatem ». Non autem ex hoc loco potest stricte corroborari doctrina S. Thomae de instantanea iustificatione, quum hypothesis non sit eadem, et praecipua difficultas in iustificatione instantanea petatur ex dispositione subiecti, praesertim per motum liberi arbitrii. Corroboratur autem ex hoc loco doctrina S. Thomae de iustificatione per infusionem gratiae, et de remissione peccatorum.

[1] Sequuntur auctoritates Scripturae doctrinam huius capitis exponentes: Hebr., vi, 6; Eccl., i, 27; Act., ii, 38; Matth., xxviii, 19 sq.; i Reg., vii, 3.

Quaeres. – Quaenam fides, vel quaenam spes intelligendae sunt requiri in dispositione ad iustificationem? – Certum est, ex modo dictis, non esse fidem vel spem habitualem charitate perfectam. Neque videtur esse fides vel spes imperfecta quidem, sed tamen virtus habitualis, quae permanet amissa charitate. Nam si talis esset, sequeretur, quum uti necessaria praerequiratur, quod Baptismus numquam directe in adultis tales virtutes infunderet: praeessent enim. Iam vero verba modo citata cap. 7 declarant, eas infundi. Ergo probabilius non sunt nisi actus earumdem virtutum, vi praevenientis gratiae eliciti. De quo argumento fusius agetur in tractatu *De Virtutibus infusis.*

SECTIO II.

B) De Merito.

(Quaestio CXIV).

De Ratione et Ordine Quaestionis. – Tantopere gratia operans et cooperans intime conveniunt, ut in effectu operantis gratiae seu in iustificatione ipsa cooperans gratia in actibus liberi arbitrii implicite contineatur, et in effectu gratiae cooperantis seu in merito praecipua vis meriti ex operante divina motione sit derivanda. Quod in hac Quaestione illustandum remanet.

Methodus autem qua S. Thomas eam evolvit, est sequens. Praemissa fundamentali veritate de *existentia* meriti (a. 1), quaerit de meriti *subiecto* (a. 2), tum de meriti *gradibus*[1] (a. 3), demum de meriti *principio* (a. 4). His, quibus prima pars Quaestionis consistere videtur, rite discussis, iam transit ad varia meriti *obiecta:* ad *primam* scilicet gratiam, pro qua meritum quodvis excludit (a. 5); ad gratiam *alteri* merendam, pro qua excludit meritum de condigno (a. 6); ad *reparationem* post lapsum, pro qua rursus excludit meritum quodvis (a. 7); ad *augmentum charitatis,* pro quo utrumque concedit (a. 8); ad *finalem perseverantiam,* pro qua, facta distinctione, reiicit meritum in sensu magis obvio, admittit autem piam impetrationem (a. 9); demum ad *bona temporalia*, quae directe sub merito condigno cadere negat (a. 10).

Praenotamen de doctrinis merito contrariis.

Antequam ad Quaestionis expositionem accedamus; iuvat praemittere quaedam de variis doctrinis quae meritum sive indirecte sive directe impugnant.

I. *Directe* meritum oppugnant *Lutherus* et *Calvinus,* dum proclamant, iustorum opera bona nihil conferre ad salutem, imo omnia etiam iustorum opera tot esse peccata, quae Deus

[1] Vel de subiecto *a*) quoad vires naturae et gratiae (a. 2), *b*) quoad gradus meriti (a. 3), *c*) quoad principium merendi (a. 4).

punire deberet, nisi ob Christi iustitiam eis imputatam misericordia uteretur. Etenim in systemate internae pravitatis et externae tantum iustificationis, meritum necessario repugnat, essetque derogatio iustitiae Christi. Quare Lutherus eousque processit ut proclamaret, hominem iustum ad nulla opera bona teneri, nullumque peccatum ipsi posse nocere, iuxta duplex axioma: « Iustus in omni opere bono peccat mortaliter »; « fortiter pecca, et fortius crede! ».[1]

Lutheri discipuli, ut moralem vulgi torporem aliquantulum excuterent, quin tamen fondamentale principium de solis Christi meritis abdicarent, aliquod praemium temporale, imo spirituale bonis operibus affixum admittebant; non autem aeternae vitae mercedem.

Iam ante novatores saeculi XVI inutilitas bonorum operum ad vitam aeternam a pluribus sectis negata fuit, inter quas eminent discipuli *Simonis Magi*, *Nicolaïtae*, discipuli *Aëtii* et *Eunomii*, qui solam fidem, non opera ad salutem esse necessariam proclamabant;[2] *Valentiniani*, qui, utpote spirituales, externa opera bona despiciebant; *Gnostici*, necnon Cainitae et Carpocratiani, qui, ulterius progressi, transgrediendo legem perfectionem libertatis suae exprimi docebant; *Messaliani*, *Begardi*, et *Beguinae*, *fratres de libero spiritu*, quibuscum aliqualiter convenit Eccardus, opera a perfectionis statu excludebant; item *Flagellantes* despectu operum bonorum conspicui; *Hussius* demum, Calvini in hoc deeessor, operum bonorum praedicans inutilitatem ad salutem, quippe quae unice pendet a praedestinatione.[3]

II. *Indirecte* meritum oppugnarunt *mystici* illi, qui, exaggerantes perfectionem quietis animae iustae sub actione divina, stimulum operositatis retundunt, ac ita meritum in suo fonte inhibent. Adnumeratur his auctor libri « Von der « Geistlichen Armuth »,[4] qui interdum minus caute de quiete animae sub actione Dei loquitur.

[1] Ipse tamen Lutherus, colluvie pravitatis ab hac doctrina inductae quasi deterritus, horrorem huius blasphemiae postea temperare voluit.

[2] Unde vides, novatores saeculi XVI antiquarum fuisse blasphemiarum instauratores.

[3] Cf Katschthaler, op. cit., p. 325 sqq.

[4] P. II, c. 17 ita ibi legitur: « Und davon ist es dem Mensch allerbest das er « aller Werke ledig sei; wann wäre er aller Werke ledig, so wäre er ein blosses

Notissima autem doctrina *Quietistarum,*[1] quorum decessores *Hesychastae* saec. XIV Ecclesiam Orientalem perturbarunt.

Occidentalium Quietistarum auctor fuit Hispanus sacerdos *Michaël Molinos,* addictus sectae *alombrados* nuncupatae, qui pluribus scriptis, praesertim opere cui titulus *Guida Spirituale*[2] falsam periculosamque animae quietem, in quocumque opere, in desiderio caeli, in oratione, in resistendo tentationibus, etc. commendavit ac defendit. Ipsi in Italia valide restitit princeps concionatorum ven. Segneri S. I.[3] Controversia Sedi Apostolicae submissa, Innocentius XI damnavit (1687) sexaginta et octo propositiones Molinos, qui laudabiliter se subiecit, monasterioque inclusus, vitam in quiete pia absolvit.

Molinos aemula fuit in Gallia *Ioanna de la Mothe Guyon,*[4] quae, specie amoris puri seducta, eosdem prope errores instauravit. Conventu Praesulum in Issy (1694 et 1695) habito, doctrina eius damnata est, et catholici mysticismi principia in triginta quatuor articulis stabilita sunt. – Nihilominus, adhuc vivente Ioanna Guyon, Fenelonius, licet longe mitius, mysticae quieti partes nimias tribuit; unde a Bossuetio[5] vehementer oppugnatus, viginti tribus propositionibus ex opere *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure* ab Innocentio XII, 12 martii 1699, damnatis, tam memorabili submissione errorem delevit,[6] ut victorem suum ipsum humilitate et charitate superasse videatur.

« Gezeug Gottes, das Gott ohne alle Hinderniss mit ihm mögte gewirken und alles, « das Gott von uns haben will, das ist, das wir müssig seien, und ihn Werkmeister « lassen sein. Wären wir zumal müssig, so wären wir volkommene Menschen ». Opus hoc, diu adscriptum fuit Taulero, cuius tamen non esse, doctissime demonstravit P. Denifle O. Pr.

1 De Quietistis fuse agemus, Deo dante, in proximo nostro tractatu *De Virtutibus infusis.*

2 Vic. de la Fuente, *Hist de las sociedades secretas de España,* III, 417 seg.

3 *Concordantia laboris cum quiete in oratione.*

4 Discipula Barnabitae Lacombe, auctoris libri cui titulus *Analysis orationis,* anno 1688 damnati, qui, quum sententiae S. Sedis et Galliarum episcopatus parere recusasset, in carcerem redactus, obiit anno 1699. – Ioanna, e contra, utpote vere pia, iudicio conventus in Issy habito se laudabiliter subiecit, et, anno 1717, in claustris S. Cyri religiosissime obiit.

5 In libro *Sur les états d'oraison* Bossuetius doctrinam suam robuste exposuit.

6 Cf. Hergenröther, *Kirchengesch.*, t. II, 8, n. 137 sqq.

Contra hos omnes doctrina catholica non solum excellentiam bonorum operum vindicat, sed meritorum stimulo operositatem animae, afflante gratia, saluberrime provocat.

ARTICULUS I.

UTRUM HOMO POSSIT ALIQUID MERERI A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - Praesentis quaesiti solutio pendet evidenter a natura tum meriti, tum relationis quae inter hominem et Deum.

1) Meritum, idem sonans ac merces, pretium dicit pro labore debitum. Relevat proin de iustitia, quae postulat aequalitatem inter valorem rei ac pretium eius. In classico et etiam biblico vocis sensu meritum aeque valet de poena debita malo ac de remuneratione debita bono;[1] usus tamen invaluit meritum magis usurpare de pretio operum bonorum, et in hac sola acceptione hic intelligitur.

2) Iam vero ex aequatione iustitiae, quae est de essentia meriti, sequitur, meritum stricti nominis dari non posse nisi inter aequales, quales sunt quoad remunerationem operarius et eius conductor. Imo inde talis operarius mercenarii nomen accepit, in mercedem quippe seu meritum conductus. Longe autem aliter loquendum de servo relate ad dominum, - si modo legitime dominus sit, - et de filio ad patrem: in primo ius dominii, in altero ius naturae inducit inaequalitatem merito stricto oppositam.

3) Quid proin de homine ad Deum? - Quum Deus simul sit dominus creaturae suae et pater, imo titulo infinite perfectiori quam dominus et pater inter homines vocari possunt, sequitur, a parte naturae nullum posse in homine ad Deum dari meritum stricti nominis. Res est in aperto.

4) Non ideo tamen excluditur in homine meriti fundamentum. Etenim si homo a Deo destinatur fini per liberum usum facultatum suarum attingendum, homo qui debito modo facultatibus utitur, finem ex merito consequetur, non autem ex merito absoluto, sed conditionato, neque merito stricte dicto, sed ex merito latiori sensu intellecto, quod

[1] Cf. Eccl., xxx, 20; Rom., vi, 23.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

non in iustitia proprie, sed in aequitate fundetur, uti ex dicendis in articulo sequenti magis apparebit.

5) Hoc autem meritum non excedit ordinem naturae. Si autem homo ad ordinem supernaturalem elevatur, et si insuper in hoc ordine Capiti excellentiae divinae uti membrum inseritur, iam exinde novus meriti oritur titulus tantae dignitatis et virtutis, ut novi strictique meriti fons inde scaturiat. Sed de hoc fusior in articulo tertio sermo redibit.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit ex falso principio, ad rationem meriti pertinere quod praestitus actus non debeatur. Ex quo principio utique sequeretur, meritum de quo quaeritur, repugnare. Attende tamen et hic dari duplex debitum: aliud strictum, quod cadit in servitii divini substantiam; aliud minus strictum, quod cadit in eiusdem modum. Priori, si desit opus, respondet peccatum; alteri, non peccatum, sed minor perfectio.

2ª Obi. Confundit naturam divinam cum manifestatione gloriae eiusdem.

3ª Obi. Non attendit ad ea quae diximus n. 4; ex quo sequitur, Deum ex hypothesi esse quasi debitorem sibi, et per consequens etiam nobis.[1]

Sed contra est. Argumenta Scripturae, auctoritatis ecclesiasticae et traditionis vide in art. 3 offerenda, ubi de merito de condigno agemus. A fortiori valent pro art. praesenti.

Directe autem praesentis articuli thesis de merito qualicumque ex textibus sequentibus probatur: « Misericordia « faciet locum unicuique secundum meritum operum suo- « rum ».[2] « Beneficentiae autem et communionis nolite obliviscci; talibus enim hostiis promeretur Deus ».[3] Implicite quoque in centenis locis, in quibus sermo est de remuneratione, de mercede, de corona, etc.; necnon in parabolis ac sermonibus Domini, in quibus operarii pro lucro facto ex donis, vel homines iudicium iuxta opera praestita mercedem recipere exhibentur.

[1] Cf. textum ex S. Bernardo afferendum in nostra dissertatione finali.
[2] Eccl., xvi, 15.
[3] Hebr., iii, 16.

Doctrina autem Concilii Trid. tam explicita est, ut thesis simpliciter sit dicenda de fide. Textus allatos invenies in *Sed contra est* art. 3.

Accedit Patrum auctoritas. Satis sit ad illum provocare, e quo ab adversariis maxime difficultates opponuntur (cf. art. 3), necnon ad principem Apologistarum. « Quomodo, « ait Tertullianus, quomodo multae mansiones apud Pa- « trem,[1] si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella « a stella distabit in gloria,[2] nisi pro diversitate radio- « rum? ».[3] Et Augustinus: « Nullane igitur, ait, sunt merita « iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt. Sed, ut iusti fierent, « merita non fuerunt ».[4] « Sicut merito peccati tamquam sti- « pendium redditur mors,[5] ita merito iustitiae tamquam « stipendium vita aeterna ».[6] Et alibi: « Vita aeterna est « totum praemium, cuius promissione gaudemus. Nec prae- « mium potest praecedere merita, priusque homini dari « quam dignum est ».[7]

In Corpore. Processus lucidus. S. Thomas tria facit: 1° determinat sensum meriti, et consequens inde fluens quoad aequalitatem quam supponit, adductis exemplis; – 2° applicat hanc definitionem merito hominis ad Deum, negando dari posse, strictum meritum, ex defectu aequalitatis; – 3° Concedit nihilominus rationem minus strictam meriti, ex ordinatione divina, discrimen simul adducens quod existit quoad hoc inter alias creaturas et creaturam rationalem, solam, propter liberum arbitrium, talis meriti capacem.

Scholion. Ex dictis in prima *Corporis* parte, necnon in statu Quaestionis n. 1 et 2 conclude quoad quaestionem « socialem » nuncupatam: 1) munus operarii nullo modo

[1] Ioan., xiv, 2.

[2] I Cor., xv, 15, 41.

[3] *Advers. Gnost.*, c. 6. - Citatur ab aliquibus Ignatius martyr: « Sinite me fera- « rum escam fieri, per quas licet Deum adipisci ». * Sed haec locutio maneret vera, etiamsi martyrium non esset nisi, quemadmodum mors, conditio sine qua non ad gloriam perveniendi, non autem principium gloriam ipsam merendi.

[4] *Ep. 194 ad Sixtum*, c. 3, n. 6. – *P. L.*, t. 33, p. 876.

[5] Rom., vi, 23.

[6] Ibid., c. 5, n. 20.

[7] *De Mor. Eccl.*, l. i, c. 25, n. 55.

* *Ep. ad Rom.*, n. 4.

cum hominis dignitate et libertate pugnare; imo quoad retributionem mercedis, operarium et conductorem in aequo stare; – 2) sacrum esse, utpote iuri primario innitens, meritum operarii ut mercedem iustam, integram accipiat; – 3) iustae autem mercedis mensuram desumendam esse non a necessitate in qua operarius versatur, sed a valore laboris praestiti, saltem ex iustitia; – 4) non ideo tamen excludi quoddam officium quasi paternum, vi cuius, non quidem ex iustitia, sed ex aequitate, aequum erit ut interdum limites iustitiae conductor praetergrediatur, quatenus non solum opus recompenset, sed operanti subveniat.

ARTICULUS II.

UTRUM ALIQUIS SINE GRATIA POSSIT MERERI VITAM AETERNAM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Nexus cum tertia parte *Corporis* art. 1 apparet. Ibi enim dictum est, hominem per liberum arbitrium posse ex ordinatione divina, mereri sibi finem. Iam vero finis hominis est vita aeterna. Poteritne igitur homo mereri vitam aeternam? et quomodo? sine gratia, an solum cum gratia? En argumentum huius articuli, valde connexi cum art. a. 5, Q. CIX, cuius titulus quasi idem sonat. Discrimen tamen est in hoc, quod heic ratio obtentionis *per meritum* ponitur magis in recto; dum ibi, de efficacia qualiscumque tendentiae in vitam aeternam sine gratia quaerebatur.

2) Meritum de quo in art. 1, non cadere in finem supernaturalem sine ope gratiae, ex ipso principio unde hoc meritum procedit, satis manifestum est. Potuisset tamen Deus destinare ad finem supernaturalem, quin efficacia meriti se extenderet ad hunc ipsum finem, quemadmodum in praenotamine vidimus, sat multos Protestantes distinguere inter meritum boni temporalis vel etiam spiritualis, et ipsam vitam aeternam.

3) Haec autem distinctio inanis apparebit, si ex una parte auctoritates Scripturae ac traditionis assignant merito ipsam finis supernaturalis assecutionem; et si ex altera parte principium a quo meritum supernaturale procedit, usque ad

ipsum hunc finem attingere probatur. Utrumque in art. sequenti praestabitur. Pro re praesenti sufficit negare hanc vim activitati naturae viribus suis relictae.

Ad Textum. - *1ª Obi.* Retorquetur argumentum. Quum meritum concessum in tertia parte *Corporis* art. praeced. fundamentum habeat ordinationem divinam, et in hac ordinatione divina statuat vitam aeternam nonnisi ope gratiae merendam; sequitur, sine gratia hominem tali merito imparem esse.

2ª Obi. Supponit, idem esse opus naturali et supernaturali virtute praestitum. Caeterum opera ex maioribus bonis receptis praestita, si ex maiori amore procedant, iam sunt intrinsece meliora, licet a parte ea praestantis videri possint minus meritoria, utpote magis debita, ac ita, sicut de Sanctis legitur, humilitatem potius quam extollentiam nutriant.

3ª Obi. Tripliciter peccat: 1) non attendit ad discrimen ordinis naturalis et supernaturalis; 2) stando etiam in merito naturali, non attendit ad principium gratuitum meriti in homine ad Deum, a quo ipsam naturam accepit; dum homines non ab invicem habent unde sibi meritum ab invicem acquirant; 3) demum retorquetur quantum ad offensam, quum etiam inter homines offensae remissionem nonnisi praestita satisfactione possit offensor mereri, si tamen unquam stricte mereatur.

Sed contra est. Cf. auctoritates allatas in art. 5, Q. CIX.

In Corpore. Cf. hoc argumentum cum argumento eiusdem articuli. - En schema:

- Vitam aeternam sine gratia homo mereri nequit:
  - 1) nec in statu integro:
    - propter disproportionem inter vires mere naturales et finem supernaturalem;
  - 2) nec a fortiori in statu lapso:
    - *a*) propter eamdem rationem, et insuper
    - *b*) propter peccatum, nonnisi per gratiam delendum.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO IN GRATIA CONSTITUTUS POSSIT MERERI VITAM AETERNAM EX CONDIGNO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quam n. 3 praec. art. quaestionem indicabamus, iam hic est solvenda; et quidem duplici via: *a*) auctoritatis, afferendo testimonia Scripturae traditionisque, quibus vitam aeternam ex merito dari probatur; *b*) rationis theologicae, ostendendo gratiam tales homini praestare vires, quibus iam ipse finis supernaturalis ut merito debitus attingatur. Primum in *Sed contra est*, alterum hoc loco praestabimus.

2) Quo latius solutio pateat, pleniusque argumentum comprehendat, explicandus est duplex gradus in merito, iuxta ea quae in art. 1 huius Quaestionis iam probavimus: aliud enim fundatur in iustitia, aliud in aequitate. - Illud, praesupposita ordinatione divina, aequalitatem parit, unde vocatur de *condigno;* hoc, nonnisi decentiam, unde ei nomen de *congruo*. Sequitur iam, quum finis supernaturalis sit participatio per fruitionem ipsius divinae essentiae, meritum de condigno vitae aeternae (iuxta art. 2) dari non posse, nisi virtute alicuius principii proportionem perfectam cum hoc fine quasi divino habentis.

3) Atqui tale principium est gratia: est quippe ipse Spiritus Sanctus animae, cui iam in hac vita, licet in germine atque velatam, ipsius divinitatis participationem confert. Quum igitur inter hanc gratiae motionem et eiusdem terminum perfecta existat proportio, - est quippe idem Deus sese animae communicans, hic movens, illic fruendus, - patet, efficaciam meriti, et quidem *de condigno,* usque ad ipsam vitam aeternam pertingere.

4) Sed non hic solus respectus in merito considerandus est. Restat veritas in fine art. 1 posita: scilicet per liberum arbitrium hominem fieri meriti capacem. Quid iam de hoc respectu? - *Resp.* Gratia elevat, sed non deificat. Quodcumque igitur homo de se cooperando gratiae praestat, non est nisi humanus conatus, nec ipsum opus potest excedere creaturae substantiam. Quare sub hoc respectu, quum proportio

necessario etiam sub gratia maneat, opus, meritorium de condigno quatenus a Deo per gratiam procedit, nequit esse, quatenus procedit de libero arbitrio, etiam elevato, nisi meritorium de congruo.

5) Cave tamen, ne hanc distinctionem nimis urgeas, quasi gratia et liberum arbitrium agerent distinctim, veluti duo equi trahentes currum. E contra ad modum unius, uti pulcherrime docet S. Bernardus,[1] agunt simul, quin tamen ideo inter se confundantur.

6) Ex dictis n. 3 et 4 habes leges interpretandi Scripturas. Quotiescumque enim Scripturae meritum simpliciter praedicant, intelligendae sunt iuxta virtutem quasi divinam homini a Spiritu Sancto obvenientem. E contra, quotiescumque videntur meritum etiam iustorum operibus denegare, de altero respectu liberi arbitrii, radicaliter in limite facultatis creatae remanentis, sunt intelligendae.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Non attendit ad principium meriti, quod in mera gratuitate fundatur.

3ª Obi. Non considerat quod, ubicumque meritum datur, recipiens debet post acceptam mercedem, habere aliquid quod nondum habuerit. Illud autem in casu est excedentia gloriae super meram gratiam. Apparet proin obiectionem carere fundamento. Deberet monstrare, non dari proportionem inter valorem operis boni in gratia praestiti et illam excedentiam gloriae super gratiam viae. Hoc autem quomodo obtineret, nisi demonstrando, differentiam inter utramque esse essentialem? Quod ex ipso gratiae principio iam patet esse falsum.

Sed contra est. Ex Scripturis, traditione, et ecclesiastica auctoritate doctrina huius capitis contra errores supra expositos vindicatur.

1) Multi loci Scripturae dantur, in quibus hominis meritis aeterna merces assignatur: « Noli timere, Abram, ego pro« tector tuus, et merces tua magna nimis ».[2] « Iusti autem in « perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum ».[3]

[1] Circa finem tractatus *De gratia et libero arbitrio*, n. 47.
[2] Gen., xv, 1.
[3] Sap., v, 16.

« Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad « mortem sanctificari, quoniam merces Dei manet in aeter- « num ».[1] « Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit « vobis (Dominus) mercedem in tempore suo ».[2] « Dominus « Deus in fortitudine veniet, ecce merces eius cum eo »[3] In quibus locis, licet non expresse meritum uti de condigno exhibetur, nihilominus fatendum est, magnam pro tali mercede praesumptionem stare, quum haec sola sit merces propria dicta, et pro aliis argumentis eadem vox hoc sensu adhibeatur.

Iam in Novo Testamento idem conceptus manifestior redditur. Praeter parabolas et rationes ad quas iam in art. 1 alludebamus, sint quaedam saltem praecipua. Spes meriti persecutionem[4] lenit: « Gaudete et exsultate, ait Dominus, « quoniam merces vestra copiosa est in caelis ».[5] - Opponitur merces quam in hoc mundo vani vanam (Aug.) referunt, « receperunt mercedem suam »,[6] mercedi quam in caelo referunt illi qui agunt pro Deo; et haec merces exhibetur ut *redditio,* id est, ut aequa compensatio pro labore eleemosynae, orationis, ieiunii praestito: « Pater tuus, qui videt in « abscondito, reddet tibi ».[7] - Commensuratur merces operi: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem « prophetae accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, « mercedem iusti accipiet ».[8] – Nullum opus, ne minimum quidem, modo ex hoc supernaturali principio proveniat, mercede frustratur: « Et quicumque potum dederit uni ex mini- « mis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine disci- « puli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam ».[9] Cuius mercedis spes, remota temporalis remunerationis expe-

[1] Eccl., xviii, 22.

[2] Ibid., li, 38.

[3] Is., xl, 10; cf. lxii, 11.

[4] Nexus valde intimus apparet ex Scripturis inter meritum et passiones. Ratio est manifesta. Nihil magis perficit animam, quam participatio cruci Salvatoris. Unde dicebat ingeniose S. Franciscus Salesius: « Dieu ébauche ses Saints sur le Thabor, « mais il ne les perfectionne que sur le Calvaire ».

[5] Matth., v, 12; cf. Luc., vi, 23.

[6] Matth., vi, 2, 5, 16.

[7] Ibid., 4, 6, 18.

[8] Ibid., x, 41.

[9] Ibid., 42; Marc., ix, 40.

ctatione, tamquam supernaturalis zeli stimulus a Christo suis commendatur: « Diligite inimicos vestros; benefacite, « et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra « multa, et eritis filii Altissimi ».[1] - Propter hanc legem proportionis inter opera et remunerationem opera vocantur semen, vita aeterna messis: « Quae enim seminaverit homo, « haec et metet; ... qui seminat in spiritu, de spiritu metet « vitam aeternam ».[2] Sublimis exspectatio, quae Pauli animum inter aerumnas solatur ac roborat! Opera enim eius reponuntur in ultimum diem a Iudice iusto, qui coronam iustitiae pro laboribus reddet. « Reposita est mihi corona iustitiae », reddenda potius quam danda, « quam reddet mihi Dominus »; corona non frustranda: « Scio cui credidi, et certus sum quia « potens est depositum meum servare in illum diem ».[3] Inde mediis in angustiis anticipata iustorum beatitudo: « Beatus « vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, « accipiet coronam vitae ».[4] Cfr. argumentum complendum in expositione doctrinae Conc. Tridentini.

2) Hanc lucidam Scripturarum doctrinam Augustinus verbo comprehendit: « In his, ait, quae iam habemus, laude- « mus Deum largitorem; in his, quae nondum habemus, « teneamus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid « a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo ».[5] Imo, inquit S. Prosper, vel auctor operis cui titulus *Antiquitates:* « Tanta ... est erga homines bonitas Dei, ut nostra « velit esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his quae « largitus est, aeterna praemia sit donaturus » (c. 9). Cuius altissimae oeconomiae ubertatem Apostoli, martyres, virgines, et quotquot per saecula mundum spreverunt vel zelo irrigarunt, virtutum flore, sanguinis purpura, vocis ardore certatim proclamant, merita Christi per merita sua, vitis divinae palmites veri, extollentes.

3) Quum autem apparerent palmites aridi, a vite truncati, qui meritis hominum Christi merita frustrari blasphemarent,

[1] Luc., vi, 35.
[2] Gal., vi, 8 – cf. Ioann., iv, 36.
[3] ii, Tim., iv, 8; i, 12.
[4] Sap., i, 12.
[5] Serm. 258. – *P. L.*, t. xxxviii, col. 863.

Ecclesia doctrinam de merito solemniter definivit. Licet Conc. Trid. non expresse declaravit, opera a supernaturali virtute procedentia meritoria esse de *condigno*, ita ut haec perfecta meriti ratio vix queat dici de fide; nihilominus toto contextu efficacissime suadetur sententia quam principes Scholae, Richardus, Thomas, Bonaventura, Scotus aliique iam ante novatorum controversias doctissime exposuerunt.

En igitur ex integro cap. 16, sess. VI. Conc. Trid. de fructu iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.... « Iustificatis hominibus, sive « acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam « recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: " Abun- « date in omni operi bono, scientes, quod labor vester non « est inanis in Domino.[1] Non enim iniustus est Deus, ut obli- « viscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in « nomine ipsius „;[2] et: " Nolite amittere confidentiam ve- « stram, quae magnam habet remunerationem „ ».[3]

« Atque ideo bene operantibus usque in finem[4] et in Deo « sperantibus proponenda est vita aeterna et tamquam gratia « filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et « tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum « operibus et meritis fideliter reddenda.[5] Haec est enim illa « corona iustitiae,[6] quam post suum certamen et cursum, « repositam sibi esse aiebat Apostolus, a iusto iudice red- « dendam, non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt « adventum eius ».

Sistamus post hanc primam capitis partem. Hucusque habemus ex multiplici testimonio, vitam aeternam simul esse gratiam et mercedem: gratiam, quia a gratuita Dei per Christi merita promissione fluit; mercedem, quia iuxta promissa, tamquam operum meritis fideliter redditur. Factum tenemus, iam audiamus rationem facti. Si per factum constat, doctrinam art. 1 huius Quaestionis probari; per facti rationem doctrina praesentis articuli lucide vindicabitur; meri-

[1] Cor., xv, 21.
[2] Hebr., vi, 10.
[3] Ibid., x, 35.
[4] Matth., x, 22.
[5] Rom., v, 21.
[6] ii Tim., iv, 8.

tum enim apparebit de condigno intelligendum, ex ipso principio a quo derivatur.

« Quum enim ille ipse Christus Iesus, tamquam caput in « membra, et tamquam vitis in palmites,[1] in ipsos iustificatos « iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera « semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua « nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt; *nihil* « ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus « *plene* illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae « legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam « suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint,[2] con- « sequendam *vere* promeruisse censeantur, quum Christus « Salvator noster dicat: « Si quis biberit ex aqua, quam ego « dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet ei fons aquae « salientis in vitam aeternam „ ».[3]

Attende, hunc textum esse illum ipsum quem, optimo iure, S. Thomas affert ad meritum de condigno demonstrandum. Nota insuper verba *nihil, plene, vere,* quibus idem efficitur. Praesertim pondera argumentum, cum Angelici argumento plane consonum, ex quo sequitur, per insertionem vitalem in Christo et per Spiritus Sancti influxum divinam tribui operanti Christiano virtutem, cui de condigno merces vitae aeternae respondeat.

In tertia parte eiusdem capitis Concilium doctrinam modo expositam vindicat ab obiectionibus et calumniis contra eam a novatoribus adduci solitis. Breviter huius partis summam excerpere sufficiat.

a) Doctrina catholica nullam facit iniuriam iustitiae Dei nec meritis Christi, quum virtutem praedicet ipsius divini influxus a merito Christi derivati. - *b*) Etsi praedicat supereminentiam praemii iuxta promissa Evangelii, « absit tamen, « ait, ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel glo- « rietur,[4] et non in Domino, cuius tanta est erga homines « bonitas, ut eorum velit esse merita,[5] quae sunt ipsius dona ».

[1] Ioann., xv, sqq.
[2] Apoc., xiv, 13.
[3] Ioann., iv, 13, 14.
[4] i Cor., i, 31; ii Cor., x, 17.
[5] *Ex ep. Caelest.* i, ad ep. Gall. c. 12; cf. textum S. Prosperi modo citatum.

– Demum *c*) conscientia quotidianae debilitatis impedit, ne divinae misericordiae ac bonitatis testimonia impediant salutarem timorem: « quoniam omnis hominum vita non « humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei " qui « illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia « cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo „ [1] qui, ut scrip- « tum est, " reddet unicuique secundum opera sua „ ». [2]

Huic directae expositioni respondent inter canones 26, 31, 32, 33, qui ita sonant. Can. 26: « Si quis dixerit, iustos « non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerunt facta, « exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo, per « eius misericordiam et Iesu Chr. meritum, si bene agendo « et divina mandata custodiendo usque in finem persevera- « verit; a. s. ». Ex quo canone habes: *a*) iustis non solum licere ut mercedem exspectent, sed et illos eam exspectare debere, quum haec exspectatio sit pars theologicae virtutis quae vocatur spes; – *b*) operum mercedem fundari simul in debito, quia est merces, et in gratia, quia ex misericordia Dei est et meritis Christi; – *c*) perseverantiam finalem esse mercedis aeternae conditionem sine qua non.

Can. 31 ita sonat. « Si quis dixerit, iustificatum peccare, « dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; a. s. ». Qui canon indirecte, sed efficaciter errores Quietistarum convellit.

Et can. 32. « Si quis dixerit, hominis iustificati bona « opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius « iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, « quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius « vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum « gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen « in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae « augmentum; a. s. ».

In quo canone, praeter corroborationem *b*) et *c*) can. 26, habes *a*) rationem propriam, a qua operibus bonis derivatur fecunditas meriti, esse vitalem unionem cum Christo; – *b*) meritum autem comprehendere α) augmentum gratiae, β) vitam aeternam, γ) consecutionem vitae aeternae, δ) augmentum gloriae. – De hoc α) et γ) vide dicenda in art. 8 et 9.

[1] I Cor., iv, 5.
[2] Matth., xvi, 27.

Demum can. 33, de tota iustificationis doctrina valens, specialiter doctrinam de merito respicere dicendus est: « Si « quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de iustificatione, « a sancta Synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua « ex parte gloriae Dei vel meritis Iesu Christi Domini Nostri « derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique « ac Christi Iesu gloriam illustrari; a. s. ».

Et re quidem vera, dum protestantica doctrina meritum impugnans destruit gloriam quae Deo accedit ex potenti virtute gratiae suae, et ex Christi corpore mystico sua propria vita animato; Catholici per doctrinam de merito simul opus Dei et Christi mirabiliter extollunt. Quin imo, Protestantes illi qui meritum aliquod concedunt, sed non ipsius vitae aeternae, in hoc derogant gratiae, quum hoc meritum, etiamsi minutum, non procedat ex vitali unione per intrinsecam gratiam cum capite Christo. Quare illorum calumnia, imbellis contra nos, lethali vulnere in ipsos retorquetur.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Opus meritorium	1) secundum quod procedit ex libero arbitrio,	id est, secundum: *a*) substantiam operis, *b*) activitatem liberi arbitrii,	est meritorium:	α) non de condigno, propter inaequalitatem; β) sed de congruo, propter quamdam proportionem;
	2) secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti,	id est, secundum: *a*) virtutem divinam moventem, *b*) dignitatem filiationis adoptivae,		est meritorium de condigno, propter aequalitatem.

Vide quantopere 2) *a*) et *b*) respondeant art. 1, Q. CIX, in quo gratia consideratur tamquam forma et tamquam motus.

Vide pariter, in quo hoc argumentum differat ab expositione decreti Conc. Tridentini. Ibi magis in recto ponuntur insertio in Christo et unio vitalis cum eo. Hic potius ponitur in recto effectus huius unionis: habitualis scilicet participatio per Christum divinae naturae; actualis, scilicet motus elementi vitalis a vite ad palmites. Res est eadem, modus autem aliqualiter differt. Id unum magis in expositione

Conc. Tridentini apparet: dependentia scilicet meritorum a Christo capite; unde modus quo doctrina a Tridentinis patribus evolvitur, maiorem contra Protestantes efficaciam habet.

S. Bonaventurae doctrinam schemate expressam heic afferre iuvat:

Opus meritorium conferri potest:	*A*) ad *principium* a quo est:	1) ad *voluntatem* liberam .	meritorium	de congruo,
		2) ad *gratiam*.	»	de condigno;
	B) ad *finem* pro quo fit:	1) ad largitatem dispensationis	»	de congruo,
		2) ad veritatem pollicentis .	»	de condigno;
	C) ad *statum* in quo fit:	1) ad temporis opportunitatem	»	de congruo,
		2) ad operis difficultatem (qua omnes superat naturae vires)	»	de condigno;

Corollarium I. - Ex dictis patet, quomodo respondeas quaestioni, utrum Deus meritum condignum mercede superet, an solum aeque compenset. Post damnatam Baji prop. 14: « Opera bona iustorum non accipient in die iudicii extremi « ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur « accipere », vix de mercede debitum exsuperante dubitari potest. Ex modo autem quaestionem ponendi forte factum est, nonnullos theologos, inter quos Vega, contrarium tenuisse. Itaque sequenti distinctione quaesitum solve.

Si consideras meritum a parte liberi arbitrii et operis substantiae, patet solutio; negandum est meritum de condigno, et undequaque praedicanda merces meritum excedens. Si consideras meritum a parte divini influxus, iterum distingue: promissionem gratuitam, vi cuius Deus se debitorem constituit, et gratiae principium elevans et movens in ordine ad producendum meritum. Principium gratiae per se non est impar mercedi, imo secundum hanc partem concedenda est aequalitas, quatenus praestituto quod talis potius impulsus gratiae tali mercedi obtinendae destinetur, vi principii ac motionis divinae finis ex aequo attingitur. Sed quum fundamentum huius aequationis, seu fecunditatis gratiae, sit mera gratuita promissio et liberalis ordinatio Dei, absolute loquendo, mensura mercedis exsuperat debitum operis.

Haec veritas multis Scripturae locis exhibetur. Illi qui pro Christo omnia reliquerit, centuplum a Christo repromittitur.[1] Ad quae verba pulcherrime S. Bernardus: « Arbitror « verba lectionis huius, ea esse, de quibus ad immortalem « Sponsum a finibus terrae clamat Eccesia: " Propter verba « labiorum tuorum ego custodivi vias duras ,,. Haec nempe « sunt verba, quae contemptum mundi in universo mundo et « voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Haec sunt, « quae monachis claustra replent, deserta anachoretis.... Hic « sermo vivus et efficax convertens animas fideli aemula- « tione sanctitatis, et veritatis promissione fideli.... Nec inu- « tilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reli- « quisse. Nam et simul cum eo donantur omnia: et ubi appre- « henderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro « ipso omnia reliquerunt ».[2]

Porro mercedem esse merito proportionatam, indicat parabola de servis qui alius pro decem, alius pro quinque talentis acceptis totidem labore erant lucrati.[3] Ne autem haec iusta remuneratio bonam Dei voluntatem vinculare videatur, additur et alia parabola de superabundanti mercede operariis undecimae horae a vineae Domino gratuita benevolentia concessa.[4]

Quo magis autem hac superabundanti mercede opera nostra a divino largitore mensurentur, monet nos ipse Christus, ut erga proximum et nos superabundanti mensura utamur.[5] Imo hortatur nos, ut benefaciamus et mutuum demus « nihil inde sperantes » ab hominibus; et « erit, ait, merces « vestra multa » apud Altissimum.[6]

Inde S. Fulgentius: « Meritum bonum (Deus) iugi con- « firmat auxilio, cui gratia glorificationis iuste reddatur « praemio. Gratia autem etiam ipsa ideo non iniuste dici- « tur; quia non solum donis suis Deus dona sua reddit; sed, « quia tantum etiam ibi gratia divinae retributionis exube-

[1] MATTH., XIX, 27 sqq.
[2] *Serm. de verbis Evang. Ecce nos.*
[3] MATTH., XXV, 14 sqq.
[4] Ibid., XX.
[5] LUC., VI, 38.
[6] Ibid., 35.

« rat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum « quamvis bonae et a Deo datae humanae voluntatis atque « operationis excedat ».[1]

Ex modo quo per triplicem distinctionem quaesitum solvimus, patet, vitam aeternam esse simul gratiam, iustitiae coronam, et mercedem superfluentem.

Unde loci Scripturae in quibus disproportio praedicatur inter opus praestitum et mercedem promissam, non solum solvuntur per distinctionem inter elementum de congruo et elementum de condigno, uti in solutione 1ae obi, sed etiam per hanc doctrinam de mercedis mensura ipsum condignum excedente. Unde Paulus ait: « Non sunt condignae passio- « nes huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur « in nobis ».[2]

Gratuitatis fundamentum, cui doctrinam nostram superstruimus, S. Bernardus prae oculis habet quando ait: « Neque « enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna « debeatur ex iure, aut Deus iniuriam faceret, nisi eam dona- « ret »;[3] nisi dicatur, S. Doctorem elementum de congruo considerasse. E contra, consequenter ad hoc promissionum divinarum fundamentum loquitur Augustinus: « Non enim « iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiae ».[4] Quod ante Augustinum dixerat ipse Paulus: « Reposita est mihi « corona iustitiae, quam reddet mihi in illa die iustus iudex ».[5]

Nitide hanc doctrinam comprehendit hisce verbis cl. Pêgues O. P.: « L'homme revêtu de la grâce et agissant sous « la motion surnaturelle de l'Esprit-Saint, mérite, par ses « actes libres, d'un mérite condigne, la vie éternelle. Et « cela veut dire qu'aux actes accomplis de la sorte, la vie « éternelle, de par l'ordination divine, est due en iustice, « non point que ces actes, considérés en eux-mêmes et selon « qu'ils procédent du libre arbitre de la créature, aient un « rapport d'égalité avec un tel salaire; ils n'auraient tout « au plus de ce chef, qu'un rapport de proportion; mais le

[1] *Ad Maximum*, l. I, c. 10.
[2] Rom., VIII, 18.
[3] *Serm. I de Annuntiatione.*
[4] *De nat. et grat.*, c. 2.
[5] II Tim., IV, 8.

« rapport d'égalité leur vient, dans la mesure où l'égalité « peut exister en vertu de l'adoption, entre Dieu et l'homme, « par la gráce qui constitue l'homme enfant adoptif de Dieu, « et aussi par le vertu de l'Esprit-Saint, qui meut l'homme « en vue de la vie éternelle, à conquérir en vertu de son « acte ».[1]

Corollarium II. – Si doctrinam de bonorum operum merito componis cum doctrina de operum necessitate, apparet, merita non solum dari, sed esse *ad salutem necessaria,* utique in adultis. « Si quis hominem iustificatum, ait Conc. Tri« dentinum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad « observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum « ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et abso« luta promissio vitae aeternae sine conditione observationis « mandatorum; a. s. ».[2]

Inde a Christo Domino toties opera commendantur: « Si « vis ad vitam ingredi, serva mandata »;[3] et damnationis ignis vel beatitudo caelorum iuxta opera singulis assignantur.[4] Inde fides sine operibus vocatur impotens ad salvandum.[5] Et Paulus postquam dixit, nos filios esse et haeredes, subito adiungit: « Si tamen compatimur, ut conglorifice« mur ».[6] Quam doctrinam uno consensu Patres, imprimis Hieronymus in libro contra Iovinianum, et Augustinus in libro de fide et operibus vindicarunt.

Quomodo autem haec doctrina de existentia et necessitate meritorum non deroget meritis Christi, sed potius illa augeat, quum ea in singulis fructuum supernaturalium feracia reddat, superius indicavimus, ubi Conc. Tridentini decretum de merito exposuimus.[7]

[1] Op. cit., p. 729.

[2] Sess. VI, c. 20. - Cf. 19 et 21.

[3] MATTH., XIX, 17.

[4] Ibid., XXV, 81 sqq. - Cf. MATTH., XVI, 27, et APOC., XX, 12 sq.

[5] IAC., II, 14.

[6] ROM., VIII, 17.

[7] Lege apud Katschthaler experientiam quam cl. Preuss, a protestantica cathedra ad catholicam veritatem conversus, de inefficacia formulae Lutheri: « Christi « Blut und Gerechtigkeit, das ist mein Schmuck und Ehrenkleid, damit werd' ich « vor Gott bestehen », ad animae harum Scripturarum non ignarae fiduciam, inter angustias marinae tempestatis nutriendam, in se ipso perpessus est (op. cit., p. 342).

Corollarium III. - Ex dictis de meritis iustorum et de meritis Christi conclude, praeter divisionem meriti in meritum de congruo et meritum de condigno, alteram dari, scilicet in meritum *impartecipatum,* quod vim merendi, nonnisi a dignitate personae agentis derivat: tale est meritum Christi; et meritum *partecipatum,* quod fundatur radicitus in merito alterius: tale est meritum nostrum.

Corollarium IV. – Quum meritum ab unione membrorum cum Christo capite suam virtutem condignam derivet, sequitur, nihil efficacius in membris feracitatem meriti stimulare, quam intimam unionem cum Christo. Quae unio maxime per SS. Eucharistiam digno receptam fovetur et coarctatur. Ad rem S. Cyrillus Alexandrinus: « Qui manducat, inquit, « (Christus), carnem meam et bibit meum sanguinem, in me « manet, et ego in illo. Sicut enim si quis liquefactae cerae « aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam com- « misceat necesse est: sic qui carnem et sanguinem Domini « recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso, et « ipse in Christo inveniatur ».[1] Hinc figuram vitis et palmitum Christus adhibuit, ut fecunditatem operum a Christo capite derivari inculcaret ».[2]

[1] *Lib. IV in Ioann.,* c. 17. - Pulcherrime hanc unionem per Eucharistiam productam ita Rev. P. Brisson expressit: « Ceci est mon corps: c'est le vôtre, Seigneur « Jésus, c'est le mien....

« Ceci est mon corps: c'est le Vôtre; toutes les amabilités du petit Enfant de « la Crêche, toute la sagesse du Messie, toute la résignation du Rédempteur en « Croix, toute la majesté du Fils qui est à la droite du Père se trouvent sous mes « yeux, dans ma main, près de mon cœur.

« Ceci est mon corps: c'est le mien; car je suis votre sang, l'os de vos os, la « chair de votre chair. Vous êtes mon Dieu fait homme comme moi, et vous me « voulez homme fait Dieu comme vous.... En substance? - Non, mais en ressem- « blance. - En réalité? - Non, mais en charité.

« Oui, Seigneur, voici nos pieds, voici mes mains, voici tout mon corps, faites- « le vôtre. Consacrez-le au Corps et au Sang, et à la vie de vous. Ma chair a besoin « de vous: elle veut la vie de votre chair; elle est haletante, harassée.... Commu- « niquez-lui le mouvement que vous fait agir, le sentiment qui vous fait aimer, la « respiration qui vous fait vivre.

« O mon Dieu, que vous m'êtes Dieu! Quand est-ce que je me verrai possédant « en moi tout ce que vous m'êtes! ». *

[2] « Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fru- « ctum multum » (Ioann., xv, 5).

* *Extraits de notes intimes. - Après son ordination,* 1840.

Quaeres. – Quo spectat haec doctrina de meritis? Nonne perfectius est et nobilius Deo fideliter servire, non intuitu meritorum, sed ex puro affectu amoris et dependentiae, iuxta ipsius Christi verbum: « nihil inde sperantes? ».[1]

Resp. 1) Ut ab hoc ultimo verbo incipiam, Christus non dicit ut bona agendo nihil ab ipso speremus, sed imo hortatur ut nihil speremus ab hominibus, quo plenior nobis merces ab ipso Deo reddatur. Unde in celebri oratione habita in monte, Christus inter se opponit illos qui hominum intuitu in actionibus suis ducti « receperunt mercedem suam » et illos quibus « Pater caelestis, qui videt in abscondito », reddet omnia pro ipso facta.[2]

2) Aliud est, vindicare meritum bonorum operum; aliud, inde concludere, bona opera non ex amore Dei, sed intuitu meritorum esse agenda. Imo in articulo sequenti ostendemus, charitatem esse principale meritorum principium. Iam vero quo magis aliquid fit ex pura charitate, eo minus, saltem directe, fit meritorum intuitu. Unde sanctiores animae de personali merito parum sunt sollicitae; imo promptas se Deo et Christo protestantur omnia pro eo agendi et patiendi ex puro charitatis affectu.

3) Quum tamen ipsum meritum principalius consistat in augmento charitatis, id est in maiori capacitate diligendi et possidendi Deum, ipsa charitas urget amantes ut per merita maioris amoris feracia ad sublimiorem amoris gradum ascendant. Sed de hac quaestione fusius agemus in proximo tractatu *De Virtutibus*.

ARTICULUS IV.

UTRUM GRATIA SIT PRINCIPIUM MERITI PRINCIPALIUS PER CHARITATEM QUAM PER ALIAS VIRTUTES.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Quum meritum procedat a libero arbitrio, et virtutes afficiant potentiam formaliter, dum gratia sanctificans formaliter afficit animae substantiam, evidens est gratiam sanctificantem non esse princi-

[1] Luc., vi, 35.
[2] Matth., vi.

pium formale meriti, nisi per virtutes. Quaestio ergo movetur quaenam sit principalis virtus.

2) Distinguuntur autem virtutes in theologicas et cardinales, ad quas aliae virtutes morales reducuntur. Iam vero talis est inter utrasque nexus, ut ex una parte fides et spes a charitate suam perfectionem accipiant; charitas autem per alias virtutes morales, quasi per totidem ramos, sese diffundat. Nucleus proin ac centrum totius vitae supernaturalis est charitas. Ipsi ergo et non alii cuivis virtuti convenit dignitas ut principale sit meritorum principium.

3) Nec satis. Huic rationi, ab intimo virtutum organismo petitae, accedit altera a proportione inter opus meritorium et finem supernaturalem derivata. Vita aeterna, utpote in divinae essentiae fruitione consistens, consummatur per ineffabilem motum supernaturalis amoris, infinitum obiectum directe amplectentis. Quo in motu concurrunt duo: gratia elevans et impellens, voluntas supremo nisu in obiectum se extendens. Oportet proin, quum haec sit consummatio finis, ut, vi legis proportionis superius stabilitae, opus meritorum derivet principalem suam virtutem a principio huic fini directe proportionato, id est a charitate elevante, movente, liberumque arbitrium prae omni alio motivo stimulante.

4) Indirecte idem ostenditur per effectum peccati. Merita demeritis ex opposito respondeant oportet. Atqui nullum est peccatum lethale, contra quamlibet virtutem commissum, quo non amittatur charitas, quia formalitas peccati lethalis directe principium charitatis oppugnat; ergo e converso oportet ut opera bona principalius a charitate principium merendi derivent.

Ad Textum. – *1ª Obi.* Non attendit ad organismum vi cuius aliae virtutes in charitate radicantur, quemadmodum media vel instrumenta reguntur a fine.

2ª Obi. Non attendit ad duplicem speciem laboris, aliam ex operis magnitudine, aliam ex defectu operantis. Huc facit belle dictum Augustini: « Ubi amatur, non laboratur; vel, si « laboratur, labor ipse amatur ».

3ª Obi. Gratuito separat fidem, patientiam, fortitudinem a charitate perficiente ac regente.

Sed contra est. Veritas in hoc articulo demonstrata iam ab initio generis humani apparet. Munera quippe Caini Dominus respuit, dum Abelis oblata respexit; cur? nisi quia haec a charitate, illa a mere externo sine charitate servitio procedebant? Hoc enim ostendunt verba Dei ad Cain ob reiecta munera vehementer iratum: « Quare iratus es? et cur con- « cidit facies tua? Nonne si bene ageris, recipies: sin autem « male, statim in foribus peccatum erit »?[1]

Insinuatur quoque per modum quo Christus Petro summum magisterium commisit. Priusquam eum tum agnorum, tum ovium Pastorem institueret, voluit publicum ab eo dilectionis praecipuae audire testimonium. Cur? nisi quia Ecclesiae regimen non posset esse proficuum, nisi in charitate Pastoris fundaretur.[2] Ex hac charitate tantum valoris accepit oblatio viduae,[3] et promptitudo qua Petrus et Andreas vocantem Dominum secuti sunt.[4] « Ad vocem dominicam, « ait Gregorius Magnus, uterque iste piscator, quid et quan- « tum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres « carissimi, affectum debemus potius pensare quam censum. « Exteriora nostra Domino, quantumlibet parva, sufficiunt. « Cor namque et non substantiam pensat, nec perpendit « quantum in eius sacrificium, sed ex quanto proferatur ».[5]

Directius praesens doctrina probatur per laudes quas Paulus tribuit charitati.[6] Ubi Augustinus: « Si linguis homi- « num loquar, etc. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur « et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incen- « sionem, et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde « charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil pro- « sunt caetera. Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid « pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid securius, « quid utilius »?[7] Unde idem Doctor, in explicanda parabola

[1] Gen., iv, 6 sqq. Et profunde, ad ostendendum dominium quod homo per liberum arbitrium super vehementissimas quoque passiones servare potest et debet. Deus addit: « Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius » (ibid.).

[2] Ioann., xxi, 15 sqq.

[3] Luc., xxi, 2 sqq.

[4] Matth., iv, 18 sqq.

[5] *Hom. sup. Matth.*, hoc loco.

[6] 1 Cor., xiii.

[7] *Hom. sup. Ioann.*, x.

decem virginum, per oleum quo lampades nutriuntur, charitatem intelligit.

In Corpore. Processus lucidus. Est ipsum argumentum quod n. 3 evolvimus, sed cum magis apparenti distinctione inter elementum liberi arbitrii et elementum divinae ordinationis. Verba quibus S. Thomas vitam aeternam in Dei fruitione consistere affirmat, magni momenti sunt pro controversia de constitutivo aeternae beatitudinis. Textus quippe huius articuli utramque sententiam conciliare videtur.[1]

Quaeres. – Quaenam charitas intelligenda sit tanquam principalius principium meriti? – *Resp.* De charitate habituali dubium non est: haec enim est principalis virtus statum iustitiae constituens. Atqui omnes theologi exigunt tanquam conditionem sina qua non meriti de condigno, ut homo sit in statu iustitiae.

Sed quid de impulsu charitatis actualis? Constat rursus apud omnes theologos, ad actum supernaturalem in iusto meritorium de condigno requiri impulsum supernaturalem (Cf. 1m partem cap. 16, sess. VI, Conc. Trid.). Sed non amplius conveniunt in determinando minimum ad hunc impulsum requisitum. Alii exigunt ad meritum de condigno, – intellige meritum *essentiale,* scilicet directe respiciens vitam aeternam, augmentum gratiae et gloriae, – impulsum charitatis actualem, aut saltem virtualem; ita Salmanticenses, Bellarminus, Tannerus, Antoine, Billuart, Habertus, Gonetus, Gotti, etc. Alii dicunt, omnia iustorum opera bona, modo sint supernaturalia, esse meriti de condigno feracia, non quidem ex charitatis impulsu, sed ex charitatis habitualis latenti virtute: ita Suarez, Vasquez, Lugo, Viva, Becanus, Sylvius, Montagne, Gury, Ballerini, Jungmann, Hurter, Katschthaler. S. Thomas plerumque prioris sententiae patronis adnumeratur. Fatendum est, argumentum *Corporis* magis iuxta illam sententiam procedere, praecipue quoad rationem voluntarii; non tamen certo constat, S. Doctorem non de habituali vi latenti charitatis esse locutum. Caeterum, – quod

[1] De meritorum reviviscentia gratiae reparationis adnexa agetur ex professo in tractatu *De Virtutibus infusis.*

non ab omnibus satis animadvertitur, – S. Thomas heic non quaerit utrum charitas sit unicum principium, sed utrum meritum *principaliter* sit charitati tribuendum.

His positis, quaesito iuxta S. Thomam ita responderi posse videtur. Charitas, uti habitus, est fundamentum indispensabile meriti de condigno; uti actus, est principium principale meriti, excellentiam proin maiorem merito tribuens; non ideo tamen ad qualecumque meritum de condigno requiritur impulsus actualis charitatis, sufficit virtualis, vel etiam, modo non desit impulsus supernaturalis, nexus habitualis quo omnes virtutes in charitate radicantur et nata sunt a charitate imperari.

Porro, quum ipse charitatis actus sit interdum ex officio eliciendus, et iste actus habeat de natura sua ut omnes alios actus regat, hic idem actus charitatis, quotiescumque elicitur, renovat charitatis impulsum, veluti illi cordis impulsus quibus sanguis ad corporis extrema immittitur. Imo ideo interdum urget ipse actus charitatis, ne vitalis ille influxus principii fundamentalis efficaciam meriti amittat.

De mente Conc. Tridentini vide textus allatos in art. 3, ubi videbis, cautissime Patres esse locutos, totum reducentes ad hoc quod homo per gratiam sit membrum Christi, et quod opera eius in Deo sint facta.

Necessitatem autem status iustitiae ut homo possit meritum acquirere, Ecclesia proclamavit tum per haec decreta, tum per proscriptionem sequentium propositionum Michaëlis Baii: prop. 12: « Pelagii sententia est: opus bonum citra gra- « tiam adoptionis factum non est regni caelestis meritorium »; prop. 13: « Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt « rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis « inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi »; prop. 17: « Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessa- « rium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis « sublimetur ad statum deificum ».

Corollarium I. - Collige ex huius articuli doctrina, quantopere commendandum sit fidelibus ut omnes suas actiones charitate Dei et proximi informent, iuxta illud Apostoli:

« Omnia vestra in charitate fiant ».[1] Quae vitae christianae lex fundamentalis non est modo lex prudentiae quae suadet mercedes non mitti « in saccum pertusum »;[2] sed lex spiritualis voluptatis, quatenus quidquid agitur ex amore, etsi in se durissimum sit, veluti condimento suavissimo conspergitur, imo uti fermento caelesti informatur.

Corollarium II. - Pariter ex hac doctrina elucet, quid intersit inter filium adoptivum et mercenarium. Mercenarius non ducitur amore, sed unice intuitu mercedis.[3] Adoptivus filius ex amore facit quidquid facit. Quare nedum doctrina de merito in hac Quaestione exposita mercenarium animum nutriat, quemadmodum levissime ei interdum obiicitur, e contra mercenarium animum expellit, quum fundamentum meriti reponat in charitate. Sed de hoc argumento in proximo nostro tractatu plura.

ARTICULUS V.

UTRUM HOMO POSSIT SIBI MERERI PRIMAM GRATIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iuxta ordinem in initio Quaestionis expositum, in articulis sequentibus quaeritur de variis obiectis meritorum. Praesens art. se habet de art. 6, Q. CIX, quemadmodum art. 2 ad art. 5; et quemadmodum, uti mox apparebit, art. 7 ad art. 7;[4] et art. 9 ad art. 10. Ibi directe quaerebatur de qualicumque efficaci nexu, hic explicitius de nexus sub formali ratione meriti. Quum autem intima sit utrobique relatio, celeriter iam hos articulos absolvere licet. Patet enim, quaecumque in Q. CIX negata, a fortiori hic esse neganda, quum formalitas meriti non solum ponat effectum, sed effectum nobili titulo qualificatum.

2) Ex superius dictis[5] constat, hunc articulum, quemadmodum art. 6, Q. CIX, directe contra Semipelagianos dirigi.

[1] I Cor., xvi, 14.

[2] Agg., i, 6.

[3] Hinc de eo Christus ait: « Mercenarius fugit, quia mercenarius est, et non « pertinet ad eum de ovibus » (Ioann., x, 13).

[4] Partialiter saltem.

[5] Pag. 163 sqq.

Quo facilius nexus appareat inter hunc articulum et art. 6, Q. CIX, brevi heic schemate recolimus quae ibi exposuimus de celebri axiomate: « Facienti quod in se est, « Deus non denegat gratiam ». [1]

- Facienti quod in se est, etc.:
  - I) sine gratia habituali:
    - *a*) cum auxilio actuali, cooperante voluntate, Deus dat habitualem: — verum;
    - *b*) sine auxilio actualis gratiae:
      - α) viribus naturalibus gratiam exigentibus: — falsum;
      - β) ex voluntate salvifica:
        - α') immediate, sine praevia dispositione: — falsum;
        - β') cum praevia dispositione: — verum;
  - II) cum gratia habituali:
    - 1) sine nova gratia Deus dat gratiae augmentum et perseverantiam: — falsum;
    - 2) gratiam medicinalem ubi requiritur: verum;
    - 3) cum gratia actuali:
      - *a*) augmentum gratiae actualis: verum;
      - *b*) perseverantiam:
        - α') quasi ex merito: — falsum;
        - β') uti pie impetratam: — verum.

Vides, doctrinam huius articuli contineri in I) *b*; doctrinam autem articuli 8 in II) 3) *a*; et art. 9 in II) 3) *b*.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Sententia: fides meretur iustificationem, nunquam habet veritatem: si intelligitur fides sine gratia, directe est Semipelagiana; si fides ex gratia, sed adhuc imperfecta, errat nimiam huic fidei intrinsecam efficaciam tribuens; si fides perfecta, iam continet iustificationem et proin nequit illam mereri.

2ª Obi. Axioma: Deus non dat gratiam nisi dignis, intelligendum est in sensu composito, non autem diviso.

3ª Obi. Est inanis ludus verborum. Aliud est habere rem in usu; aliud, eam habere ut suam. Insuper aliud est mereri rem iam habitam ut suam, quod repugnat; aliud, eiusdem rei mereri augmentum, si res sit capax augmenti, quod in gratia conceditur.

Sed contra est. Cf. omnes auctoritates allatas in art. 6, Q. CIX.

[1] Pag. 177 sq.

In Corpore. Ex schema argumenti:

- Si gratia consideretur:
  - I) secundum rationem *gratuiti doni:* — omne meritum excludit, utpote definitioni repugnans;
  - II) secundum *naturam* ipsius doni:
    - 1) in *non habente* gratiam: — meritum repugnat:
      - *a*) propter disproportionem naturae;
      - *b*) propter impedimentum peccati;
    - 2) in gratiam *habente:*
      - *a*) repugnat meritum primae gratiae (esset petitio principii);
      - *b*) non autem relate ad subsequentem gratiam.

ARTICULUS VI.

UTRUM HOMO POSSIT ALTERI MERERI PRIMAM GRATIAM.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Imprimis ipse articuli titulus est recte intelligendus. Homo de quo agitur, non est homo gratiam non habens: quomodo enim qui nec sibi primam gratiam potest mereri, eamdem alteri mereretur? Sed est homo iam gratia ornatus. Qui autem affirmative quaesitum solveret, Pelagianismi notam non incurreret nisi indirecte, quatenus consequens huius affirmationis esset, primam gratiam posse homini deberi, scilicet si alius eam illi meritus sit. Unde, quum absolute tenendum sit, nulli homini primam gratiam deberi, habes indirectum argumentum ad negandum, posse aliquem alteri primam gratiam mereri.

2) Sed hic occurrit distinctio summi momenti, scilicet inter Christum caput Ecclesiae et membra Christi. Meritum quod negatur membris, praedicandum est de capite. Ratio patet. Christus ad hoc venit et a Deo ordinatus est, ut per merita sua sibi per gratiam membra sua uniret. Quare Christus primam gratiam omnibus hominibus meritus est. Non tamen ideo illam gratiam meritus est singulis uti illis debitam. Unde utrumque salvatur et componitur: ex una parte, Christum de condigno gratiam meritum esse aliis hominibus; ex altera vero, singulos iustificatos gratiam non sibi, nec ex merito Christi, debitam recepisse. Inter meritorum acquisitionem per mortem Christi et membrorum per gra-

tiam insertionem in caput, spatium relinquitur proposito Patris, Filio, quos ipse elegerit, gratuito dantis.[1]

3) Longe inferius huic merito Christi est meritum membrorum ad hoc ut alia membra capiti inserantur. Hic non adest nisi meritum de congruo, proveniens ex dignitate rogantis et ex bonitate petitionis. Potest autem hoc meritum frustrari per indignitatem illius pro quo rogatur; quae tamen indignitas non intelligendus est ipse peccati status, secus quomodo unquam primam gratiam quis alicui etiam de congruo mereri posset? Sed intelligitur aliqua specialis indignitas per proprias culpas vitio naturae superadditas.

4) Quando autem merito de congruo non frustratur, dicitur homo impetrare illud quod obtinere cupiebat. Unde possunt haec duo optime stare, scilicet aliquid exsuperare meritum, utique de condigno, et nihilominus impetrationem, utique per meritum de congruo, non excedere (Cf. dicenda in art. 9).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non distinguit inter meritum de condigno, quod negatur, et de congruo, quod conceditur.

2ª Obi. Non considerat dicta n. 4. Ad efficaciam orationis sufficit quod non careat effectu; non autem requiritur ut eumdem titulo meriti attingat.

3ª Obi. En schema responsi:

Pauperes recipiunt in aeterna tabernacula:	1) formaliter orando:	*a*) de condigno, neg.: *b*) de congruo, aff.:	obi. est ad rem;
	2) materialiter:	provocando opera quibus illi vitam aeternam mereantur:	obi. extra rem.

Sed contra est. Vis huius citationis est in hoc quod, si adesset meritum de condigno, non posset effectu frustrari.

Hinc pluries legitur Dominus dixisse Ieremiae: « Tu ergo « noli orare pro populo hoc ».[2] Quasi simul insinuaret, preces eius non fore efficaces, ac proin melius esse ut ab eis abstineat, ac proin Deo veluti parcat, ne tam fidelis servi orationem respuere cogatur.

[1] Recole superius dicta de errore Malebranchii hunc ordinem invertentis.
[2] Ierem., vii, 16; xi, 14; xiv, 11.

Quantopere autem apud Deum valeat oratio iusti misericordiam exposcentis, apparet ex historia Abraham orantis pro Sodomis. Etenim non Deus denegatione, sed Abraham timore[1] finem petitioni imposuit; apparet insuper in historia Moysis iram Dei a populo precibus declinantis.[2]

Quanta autem humilitate preces huiuscemodi fundendae sint, ex multis psalmis apparet, imprimis ex oratione pulcherrima quam Daniel in exsilio pro se et pro exsule populo ad Deum direxit, cuius ultima verba praesentem doctrinam pulchre confirmant: « Neque enim in iustificationibus nostris « prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miseratio- « nibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende « et fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus: quia « nomen tuum invocatum est super civitatem et super popu- « lum tuum ».[3]

In hisce autem orationibus ad liberum Dei consilium esse attendendum, ipse Christus insinuat: « Non pro mundo « rogo, sed pro his quos dedisti mihi.... Quos dedisti mihi, « custodivi: et nemo ex eit periit, nisi filius perditionis, ut « Scriptura impleatur ».[4]

In Corpore. En schema argumentationis:

Primam gratiam aliquis mereri potest:	1) merito de *condigno:*	*a*) Christus caput, quia anima Christi in hoc a Deo est mota; *b*) non alii homines, quia nonnisi ad propriam salutem a gratia ita moventur;
	2) merito de *congruo:*	*a*) quia iustus Dei est amicus, quem congrue Deus audit; *b*) nisi aliunde iustificandus obicem ponat.

Obiicies. Nonne Christus interdum pro aliis oravit, quin audiretur? – Modo absoluto: nego; ita semper auditum apud Patrem invenit; modo conditionali, subiiciendo voluntatem suam humanam ipsi divino beneplacito, concedo.

[1] Gen., xviii, 23 sqq.

[2] Num., xiv.

[3] Dan., ix, 16 sqq.

[4] Ioann., xvii, 9, 12. Ex quibus verbis apparet, Christum Iudam in Apostolum elegisse, ut Patri eum sibi danti obediret, etsi optime praescius, eum fore traditorem.

Corollarium I. - Doctrina huius articuli valet quoque *de gratia reparationis,* quam quis alteri a Deo efflagitat; cum hoc tamen descrimine, quod obex in hoc casu magis attendendus est. S. Thomas utramque quaestionem coniungit, uti ex argumento *Sed contra est* et in fine *Corporis* satis apparet. Iuxta hanc doctrinam Ecclesia conversionem Pauli orationi S. Stephano exspirantis, necnon Augustini conversionem maternis piae Monicae lacrimis tribuit. Hac impetratoria efficacia orationis mota, Ecclesia in funere Domini pro quibuscumque peccatoribus, ut Christo inserantur, preces fundit.

Corollarium II. - Etsi meritum de condigno in hoc articulo excluditur, magna nihilominus vis iustorum orationi tribuitur ad gratiam primam aliis obtinendam. Quare charitatis opus est Deo Christoque valde acceptum, ut ex grato animo pro receptis gratiis, et ex filiali fiducia ergo divinam misericordiam frequentes supplicationes ad Deum dirigamus, ut gratiam suam in nondum ea dotatos effundat. Quae pia praxis et nobis profutura erit, ad obtinendum ut in gratia fideliter ipsi perstemus; imo, - de quo in articulo sequenti, - ut non absque misericordia a Dei facie proiiciamur, si unquam, infelici casu, a gratia ipsi decidamus.

ARTICULUS VII.

UTRUM HOMO POSSIT SIBI MERERI REPARATIONEM POST LAPSUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplici modo titulus huius quaesiti intelligi potest: *a*) utrum homo post lapsum possit sibi mereri reparationem: *b*) utrum iustus, dum iustus est, possit sibi mereri ut, postquam lapsus fuerit, reparetur. - Patet autem supponi in hoc quaesito, posse iustum amittere iustitiam, quemadmodum superius in Corollario V ad art. 7. Q. CIX exposuimus.[1]

2) Priori sensu intellecta quaestio, post dicta in art. 7, Q. CIX, et in art. 5 et 6 huius Quaestionis, a fortiori est

[1] Pag. 205.

modo negativo solvenda. – Etenim, si homo non potest sibi mereri primam gratiam, quomodo mereri posset reparationem ad quam est minus dignus? – Si, dum iustus est, non potest mereri primam gratiam alteri, quomodo ipse iniustus sibi magis indigno reparationem mereretur? Quare vix S. Thomas de hoc priori sensu cogitavit; sed alterum prae oculis habuit, uti ex toto textu, et etiam ex nexu cum articulo praecedente apparet.

3) Etenim ibi vidimus, iustum posse de congruo alteri primam gratiam mereri. Unde prope iacet quaestio utrum hoc quoque de seipso iusto valeat, pro tempore quo iniustus fiat. Paritatem non adesse patet ex duobus: *a*) in casu concesso in art. 6 habebamus actuale iusti meritum alteri applicandum; hic autem non habemus nisi meritum per peccatum deletum; *b*) conditio apposita in art. 6 erat obicis absentia; iam vero ipse obex heic ponitur. Hoc de merito a parte congrui; quid iam a parte condigni?

4) In art. 6 tale meritum negatum est, quia motio divina in iustis non se extendit, excepto Christo, nisi ad propriam animam in caelum conducendam. Ergo videretur haec ratio hic deesse, quum agatur de propria anima per reparationem salvanda. Sed rursus deest paritas. In art. 6, quum ageretur de iusto, aderat saltem motus, quia aderat iustitiae status, et quaerebatur de extensione huius motus ultra propriae animae salutem. Hic autem ob peccatum destruitur ipse motus per totalem, saltem a parte peccatoris, interruptionem; unde non amplius superest ut quaeratur de motu, qui non amplius adest. Ergo a fortiori negatur meritum de condigno.

5) Sed et indirecte potest idem ostendi, et quidem dupliciter. *a*) Vidimus supra, in Q. CIX, reparationem esse veram gratiam; iam vero si deberetur merito peccatoris dum iustus erat, non amplius gratia in stricto sensu vocari posset. Quam considerationem intelligendam esse de merito condigno, apparet. *b*) Insuper finge dari tale meritum, praesertim de condigno, quae exitialis ianua non inde tepiditati et negligentiae aperiretur, et quot, per illam ianuam spe certae veniae futurae, non se in perditionem proiicerent! Ex quo sequeretur aliquid monstruosum, cum sanctitate gratiae incompossibile.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Falso concludit a petitione iusta ad meritum exauditionis. Ex hac consideratione nihilominus conclude, laudabilem esse in iustis consuetudinem ut humiliter orent, tum a culpa praeservari, tum, si forte in culpam labantur, misericorditer in gratiam restitui. Nec longe abest hic nexus a fine Orationis Dominicae: « Ne nos inducas « in tentationem; si tamen inducamur, libera nos per veniam « a supremo damnationis malo » (cf. Corollarium).

2ª Obi. Falso supponit paritatem; vide dicta n. 3,

3ª Obi. Abstrahit a conditione quam Conc. Tridentinum non semel apponit: scilicet ut homo finaliter perseveret. Observa tamen duplicem modum intelligendi hanc conditionem. Si perseverantiam considero tanquam conditionem ut quis vitam aeternam mereatur, demo de meritoria virtute operum; unde haec conditionis intellectio falsa est. Si autem perseverantiam considero tanquam conditionem, non quidem ut quis vitam aeternam mereatur, sed ut vitam aeternam, quam meritus est, consequatur, ratio meriti salvatur, unde haec intellectio est vera. In primo casu conditio ponitur inter opus et meritum; in altero inter meritum et consecutionem.

Sed contra est. Textus Ezechielis heic adductus demonstrat, S. Thomam quaesitum in altero sensu intellexisse. Unde directe affert Scripturae locum in quo destructio meritorum per peccatum demonstratur; imo tanta destructio in re, ut neque in mente divina subsistat eorum recordatio, ea quippe recordatio, quae, uti bonae acceptionis titulus, unice nexum efformare posset inter amissam et reparatam gratiam.

Inde sequitur anceps conditio illius qui se de gratia in peccatum proiicit: utrum necne sit misericorditer reparandus. Ne autem ex praesumpta praedestinatione sibi delinquens veniam certam polliceatur, audiat Conc. Tridentinum: « Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate vivitur, de « arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo prae- « sumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero « praedestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus « aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, cer- « tam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex

« speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi ele-
« gerit ».[1]

In Corpore. En schema argumenti:

Nullus potest reparationem post culpam sibi mereri:
- 1) non de condigno: per peccatum interrumpitur motus a quo tale meritum derivatur;
- 2) non de congruo: per ipsum peccatum tali merito ponitur obex (art. 6 a fortiori).

Fatendum sane est, illum obicem non eodem gradu semper adesse. Non ideo tamen videntur praecedentia merita unquam posse usque ad meritum stricte de congruo assurgere. Sententia negans defenditur quoque ab Alberto Magno, Halensi, Caietano, Medina, recentioribusque fere omnibus. – Aliqui cum Suarezio,[2] qui etiam S. Bonaventuram, Scotum, Vega, Bellarminum pro se citat, conantur aliquod medium de congruo inducere; quando, v. gr., opera bona fuerunt valde meritoria, peccatum vero cum circumstantia quadam gravitatem minuente commissum. Magis autem nobis placet ut in peccatore, amissa gratia ac proin amisso merito, non amplius meritum, sed minor vel maior praedicetur indignitas, cui reparatio concedatur.

Corollarium. – Etsi iustus, dum iustus est, non possit mereri sibi reparationem post lapsum, non ideo vanae sunt iusti orationes humillime Deo factae ut, si unquam ingrate decideret, ex misericordia repararetur. Imo talis oratio quatenus agnitionem propriae fragilitatis involvit, necnon in Dei nunquam exhausta bonitate innititur, non potest nisi placere Deo, dummodo nullam falsam fiduciam nutriat. Quare, licet talis oratio non possit reparationem mereri, censemus eam hunc facilius fructum obtenturam, ut tali modo humiliter orans, per eamdem humilitatem, optimam gratiae custodem, a casu praeservetur.

[1] Sess. VI, cap. 12.
[2] Cf. KATSCHTHALER, op. cit., p. 360.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HOMO POSSIT MERERI AUGMENTUM GRATIAE VEL CHARITATIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Superius vidimus, gratiam esse semen gloriae. Iam vero in seminis evolutione cernimus, germen paulatim excrescere usquedum arbor plenam staturam acquirat. Insuper germina videmus esse alia aliis velociora et uberiora, iuxta intimum vitae impulsum. Haec omnia in ordine gratiae sublimiori modo praesto sunt. Principium autem, quemadmodum in natura, desumitur ab interna motione gratiae secundum ordinationem divinam.

2) Porro observa, quid directe in hoc articulo demonstrandum sit. Ad theseos probationem non sufficit Scripturae ac Patrum adducere argumenta, ex quibus constat iustos in virtute progredi, augeri in eis gratiam sanctificantem, et vitae aeternae gloriam huic augmento commensurari. Quae sane omnia testimoniis sacris ubertim illustrantur: « Ascen- « siones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco « quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt « de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion ».[1] Ex quo loco habes: iustum in via libero conatu ascendere in Deum; Deum hunc ascensum per virtutum augmentum remunerari; Dei visionem huic ascensui respondere in termino. - « Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, « ut fructum plus afferat ».[2] Ex quo habemus, Deum directe augmentum operum in iustis intendere. Pariter: « Qui iustus « est, iustificetur adhuc »;[3] ex quo idem apparet. - Insuper quemadmodum gratiae sanctificanti tanquam merces vita aeterna respondet, ita ex multis parabolis, imprimis ex parabola talentorum, manifestum est, maioribus operibus respondere maius gloriae augmentum.

3) Quod autem proprie in hoc articulo occurrit demonstrandum, est in ipso gratiae iustificationis augmento for-

[1] Ps. LXXXIII, 6-8.
[2] IOAN., XV, 2.
[3] APOC., XX, 11.

malitas meriti.[1] Ut autem hoc praestetur, cum S. Thoma recurrendum est ad rationem motus continui, in quo quaevis progressio motus cadit sub actione moventis. Porro motus continuus, quo homo per gratiam in finem dirigitur, talis est ut secum ferat de natura sua motum cum gradatione, est enim motus entis rationalis per actus in finem; qui actus proin habent de se ut meritorii sint, non solum vitae aeternae, sed etiam augmenti ipsius principii, vi cuius cum gradatione ad eum tenditur.

4) Indirecte idem demonstratur ex correlatione naturali quae existit inter habitum et eiusdem augmentum per actum. Haec autem consideratio minus stricte procedit secundum rationem meriti.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter deficit: 1) confundit terminum medium et terminum ultimum; 2) neque attendit quod quaevis gratia viae est in ordine seminis, cui in termino patriae respondeat evolutio gloriae.

2ª Obi. Confundit charitatem maiorem cum augmento charitatis prioris. Supponit, auferri priorem, et aliam dari maiorem; dum agitur de augmento eidem charitati accedente.

3ª Obi. Subtiliter procedens S. Thomas obi. solvit distinguendo inter meritum et collationem meriti. Si autem quaeris, quousque collatio differatur, probabiliter responderi potest: quousque ponatur actus, cuius fervor gradui charitatis coaequetur (Cf. Quaestionem connexam).

Sed contra est. Doctrina huius articuli post Conc. Tridentini declarationem est dicenda de fide, contra Melanchtonem negantem, opera nostra mereri praemia spiritualia. « Si « quis dixerit ... iustificatum bonis operibus ... non vere « mereri *augmentum gratiae,* vitam aeternam, et ipsius « vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutio- « nem atque etiam gloriae augmentum; a. s. ».[2] Vis est in primo, scilicet in merito augmenti gratiae, quod meritum si datur, iam ex correlatione inter gratiam et gloriam, sequitur augmentum gloriae sub eadem formalitate meriti.

[1] Vides, quomodo id non satis eruatur ex auctoritatibus a Card. Katschthaler allatis (op. cit. 356).

[2] Sess. VI, can. 32.

Porro iuxta ex quae superius de hoc canone diximus,[1] istius gratiae augmentum intelligendum est cadere sub merito de condigno. Bene Suarez: « Ubi etsi (Concilium) non dicat « de condigno, tamen id satis significat in particula *vere*. « Et dum coniungit vitam aeternam et augmentum eius, satis « aperte docet non esse minus perfectum et de condigno « meritum hoc circa gratiae augmentum quam circa vitam « aeternam, eiusque augmentum. Unde concludimus ex « mente Concilii, si aliquid meretur iustus de condigno, ma- « xime iustitiae augmentum, quod Concilium primo loco po- « suit. Ergo quam est certum meritum iustorum apud Deum « esse de condigno, quod supra ostensum est, tam est cer- « tum, augmentum iustitiae sub merito de condigno cadere ».[2]

In Corpore. Vides, quam acute S. Thomas ipsum punctum demonstrandum attingat. Comparatio ex libro Proverbiorum splendida imagine argumentum manifestat. - Insinuatur pariter per visionem qua discipulos de S. Benedicti morte certiores factos S. Gregorius narrat: « Viderunt namque, quia « strata palliis atque innumeris corrusca lampadibus via « recto Orientis tramite ab eius cella in caelum usque ten- « debatur », dicente sibi voce: « Haec est via qua dilectus « Domino caelum Benedictus ascendit ».[3] Innumerae lampades sunt opera meritoria; via recto tramite in caelum tendens, est iuge per eadem opera augmentum charitatis.

Corollarium I. - Collige ex dictis, quam pulchra sit oratio qua Ecclesia nos invitat ad exordia diei Deo sacranda: « Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos « pervenire fecisti: tua nos hodie salva virtute; ut in hac « die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam « iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur « cogitationes et opera ».[4] Cui orationi, addita et altera: « Dirigere et sanctificare », quam mox afferemur, adiungitur votum Apostoli: « Dominus dirigat corda et corpora nostra « in charitate Dei et patientia Christi ».[5]

[1] Pag. 472.
[2] *De gratia*, l. XII, c. 25.
[3] Lib. II, *Dial.*, V, c. 37.
[4] Ad Primam.
[5] II THESS., III, 5.

Corollarium II. – Collige hinc pariter pretium prope infinitum cuiusvis instantis temporis, quum foenore operosae charitatis ferre possit augmentum gratiae aeternum. Unde Christus dixit: « Ambulate dum lucem habetis ».[1]

Quaestio connexa. – Ultima verba responsionis ad tertium ansam praebuere magnae controversiae inter theologos: « Sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore: « ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum sci- « licet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiae aug- « mentum ». Quum his verbis quaedam restrictio huic gratiae augmento apponi videatur, et nulla huiusmodi restrictio appareat in allato canone Conc. Tridentini, non defuit, uti refert Bannez, iunior quidam theologus qui assereret: « quod « si D. Thomas fuisset nunc post talem determinationem « Concilii, retractasset sententiam suam ».[2] Sed hoc est leviter dictum. Concilium enim errorem Lutheranorum damnare intendit, non autem penitius determinare nec qualis actus sit sufficiens ad gratiae augmentum, nec quando istud augmentum concedatur.

Itaque tres praecipuae sunt de hac re opiniones.

1) Nominales, quos sequitur Suarez, tenent, ad omnem actum meritorium, etiam remissum, consequi augmentum gratiae, cui respondet et gloriae augmentum tempore suo assequendum. 2) Scotistae autem cum suo duce censent, augmentum semper ex merito sequi, sed ad ingressum in gloria differri. 3) Alii demum opinantur, augmentum nec semper sequi, nec semper statim conferri, sed tantum iuxta ferventiorem dispositionem hominis. Quae sententia sane magis est consona sententiae S. Thomae supra citatae, et huic alteri: « Quilibet actus charitatis meretur vitam aeternam, non qui- « dem statim exhibendam, sed suo tempore; similiter etiam « quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, « non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur « ad huiusmodi augmentum ». Quae sententia nobis arridet, quum ex una parte meritorum feracitati nihil noceat, et ex altera stimulet fervorem. « Etenim, ait optime Bannez, si

[1] Ioann. xii, 35.
[2] Apud Card. Billot (op. cit., p. 275).

« opinio Scoti et Nominalium vera fuerit, nihil mihi nocebit, « sed potius proderit sententiam S. Thomae tenuisse mente « et opere. Caeterum, si sententia S. Thomae vera est, « multum detrimenti accipient, qui plus nimio fidentes mul- « titudini bonorum operum, negligentes fuerint in fervore « charitatis, quae est vinculum perfectionis ».[1] Insuper, uti recte monet Cardinalis Billot, qui hanc quoque sententiam egregie illustrat et amplectitur,[2] magis est conformis tum modo quo in ordine naturali habitus, non per actus remissos, sed per intensos actus augentur,[3] tum modo quo iuxta dispositionem operantis prima gratia maiori minorive gradu infunditur.

ARTICULUS IX.

UTRUM HOMO POSSIT PERSEVERANTIAM MERERI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Canon Conc. Tridentini modo citatus quatuor enumerat meriti obiecta: augmentum gratiae, vitam aeternam, consecutionem vitae aeternae, augmentum gloriae. Iam vero in tertio videtur contineri meritum perseverantiae; nam si quis meretur ipsam vitae aeternae consecutionem, quomodo non mereretur perseverantiam?

2) Deductio esset legitima, si Concilium hoc tertium absolute poneret. Quum autem addat: « si tamen in gratia « discesserit », non solum apponit conditionem, sed praecise talem, quae ipsam perseverantiam a merito excipiat.

3) Nec ideo inutilis fuit tertii huius membri additio, non quasi consecutio vitae aeternae sit donum in se distinctum ab ipsa vita aeterna; sed quia meritum vitae aeternae non est tale ut immediata collatio sequi meritum debeat: quod ultimum non occurrit, nisi posita conditione perseverantiae. - Vides proin ex hoc loco, conditionem perseverantiae non poni inter opus et meritum vitae aeternae, sed inter meritum et consecutionem vitae aeternae, iuxta ea quae supra diximus in art. 7, ad 3m.

[1] S. Th. II, II, Q. XXIV, a. 6.

[2] Op. cit., 277 sqq.

[3] Cf. Caietanum (in hunc locum); Bannez (loc. cit.); necnon Pignataro (*De gratia*, th. 38, coroll. 1).

4) Ideone perseverantia nullo modo actibus nostris obtineri potest? - Formaliter ut meritum de condigno, iuxta communem sententiam, non potest. « Concors est sententia theo- « logorum, ait Bellarminus, ea », - reparationem post lapsum, et perseverantiam, - « non cadere sub merito de condigno ». Neque, iuxta probabiliorem sententiam, ut meritum de congruo infallibili. Sed potest obtineri quasi de congruo per perseverantem supplicationem, vi promissionis divinae: « Petite, « et dabitur vobis ».[1] Inde, ait Augustinus,[2] perseverantiae donum posse *suppliciter* emereri, et S. Alphonsus ait:[3] « Si oraveris », – scil. debitis servatis conditionibus, ac proin perseveranter, - « certo salvaberis; si non oraveris, damnaberis ».

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Confundit duo valde distincta: obtinere ex merito, et obtinere vi humilis supplicationis. Prius negatur, alterum conceditur. Unde Card. Billot non timet asserere: « Diligenter observa quod etsi perseverantia « obiectum meriti non sit, adhuc tamen potest infallibiliter « impetrari per instantem et assiduam orationem ».[4]

2ª Obi. Confundit perseverantiam in gloria cum perseverantia in via.

3 Obi. Est instantia ex doctrina praecedentis articuli, quatenus augmentum gratiae, ibidem concessa, sit minus quam perseverantia in gratia, de qua hic quaeritur. Sed haec comparatio claudicat, quia non eodem modo se habet augmentum gratiae ad gratiam, quo perseverantia in gratia ad eamdem.

Sed contra est. S. Thomas arguit ex nexu logico inter articulum 7 et articulum praesentem. Et sane, si perseverantia caderet per se sub merito, omnis qui ex gratia est capax merendi, non solum esset capax perseverandi, sed de facto perseveraret. Iam vero hoc constat esse falsum.

Non restaret igitur nisi ut diceretur, perseverantiam posse emereri per specialissima opera bona, aut per pecu-

[1] MATTH., VII, 7.
[2] *De dono persev.*, c. 6, n. 10.
[3] *Tract. brev. de Oratione.*
[4] Op. cit., pag. 285.

liares orationes. Sed hoc ponitur gratis, nec ullum prostat criterium ad haec opera, hasve orationes determinanda. Unde nil magis concedi potest nisi quod, caeteris paribus, quo maiora opera bona aliquis ponit, quo ferventiores ad perseverandum effundit preces, eo maior affulget spes, ut, nisi obicem ponat, perseverantiae donum sit consecuturus. Sed haec non excedunt limites piae humilisque fiduciae. Quare Concilium Tridentinum, variis in locis superius allatis, certitudinem de propria praedestinatione, excepto casu specialis revelationis, constanter excludit.[1]

Corroboratur praesens doctrina per verba Apostoli: « Cum « metu et tremore vestram salutem operamini »;[2] – « Tu « autem fide stas; noli altum sapere, sed time. Si enim Deus « naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. « Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem « qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, « si permanseris in bonitate; alioquin et tu exideris ».[3] Non tamen ex his locis absolute sequitur quod, si quis timorem, tremorem, humilitatem sedulo colat, non possit mereri ut non cadat. – Validius argumentum ducitur ex verbis Pauli de se ipso loquentis: « Castigo corpus meum, et in servitu- « tem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus « efficiar ».[4] Sed neque hic locus est omnino stringens: aliud enim est, Apostolum, ne damnetur, castigare corpus suum; aliud, eum, hoc fine corpus castigando, non posse mereri ut non damnetur. Nihilominus haec omnia testimonia sunt valde suasiva. E contra nullus est Scripturae locus e quo oppositum deduci possit. Imo, si Deus permisit regem David, post tot optime gesta, in gravia peccata incidere;[5] quin et Salomon sapientiam divinitus acceptam in aeternum forte amisisse, nonne ex his exemplis praesens doctrina corrobo-

[1] Sess. VI, cap. 12; can. 15, 16, 17.

[2] PHILIPP., II, 12. Cf. inter alia Scripturae allata ubi de dono perseverantiae agebamus: « Miserebor cuius miserebor, et misericordiam praestabo cuius mise- « rebor; igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei » (ROM., IX, 15).

[3] ROM., XI, 20 sqq.

[4] I COR., IX, 27.

[5] Nec dicas, David meruisse, dum iustus erat, ut peccata sibi remitterentur. Scriptura enim poenitentiae regis tribuit veniam quam Deus tam prompte ei concessit, cuius poenitentiae Nathan confessionem excepit, et psalmus L mirabiles nobis accentus servavit.

ratur? Corroboratur insuper per orationes Ecclesiae superius allatas, quibus adde illam instantissimam ad divinam Hostiam in canone Missae supplicationem: « Fac nos tuis « semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari « permittas ».

In Corpore. Distincta perseverantia consummationis in termino a perseverantia motionis in bonum usque ad terminum, S. Thomas concedit primam cadere sub merito, quia est terminus motus, negat autem de altera, quia est motus principium.

Observa, efficaciam argumenti pendere ab hoc, utrum homo per opus meritorium possit mereri gratias efficaciter moventes quibus in bonum perseveret. Nam si hoc mereri potest, iam principium cuiuscumque gratiae moventis in bonum cadit sub merito, non quidem illius operis, quod est absurdum, sed praecedentis.

Respondendum videtur, hominem de condigno non mereri gratias omnes efficaces, secus iam mereretur perseverantiam. Sunt tamen theologi qui contendant, gratias opportunas, correspondentes gradui gratiae sanctificantis, non minus sub merito cadere quam ipsum gratiae augmentum. Ita, v. gr., Suarez.[1]

Corollarium. – Collige ex huius articuli doctrina, quae timorem nutrit et fiduciam, inter omnia argumenta quae sese orationibus nostris commendant, principem locum tenere perseverantiam. Quare summopere inculcanda est haec pia praxis, utpote optime nata sedare angustias, quas incertitudo de finali perseverantia ex sese stimularet, nisi hac iugi oratione sedaretur. Unde Ecclesia frequentissime nos hoc sensu orare docet. Quid aliud nisi perseverantiam rogat oratio: « Dirigere et sanctificare » quae clauditur verbis: « ut hic, et « in aeternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, « Salvator mundi »?[2] Huc spectant verba hymni Ambrosiani: « Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custo- « dire... In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum ». Imo huc tendunt duae ultimae petitiones Orationis Domi-

[1] *De gratia*, l. 12, c. 26, n. 27.
[2] Ad Primam.

nicae: « Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a « malo ». Exprimitur idem modo suavi in illa Psalmistae supplicatione quam ideo a monacho vix emissis votis ter cantandam iniungit S. Benedictus: « Suscipe me, (Domine), « secundum eloquium tuum et vivam; et non confundas me « ab expectatione mea ».[1]

Quare in Missali Romano habetur Missa specialis « ad « postulandam gratiam bene moriendi », quae ideo vocatur gratia, quia sub merito stricte dicto non cadit. In qua Missa ita sonant ultima Evangelii verba: « Vigilate itaque, « omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia « quae futura sunt, et stare ante Filium hominis ».[2] Hanc vocem « dígni » non ita esse intelligendum ac si strictum titulum involveret ad ipsam perseverantiam, ostendit ultima huius Missae oratio: « Quaesumus clementiam tuam, omni- « potens Deus: ut per huius virtutem sacramenti nos famu- « los tuos gratia tua confirmare digneris; ut in hora mortis « nostrae non praevaleat contra nos adversarius, sed cum « Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam ».

Suavissimus autem modus hanc nostram spem, iuxta S. Benedicti sententiam, Deo committendi, est ut eam in ipso pro nobis vulnerato et amore nostri ardenti Corde reponamus, iuxta illud Psalmistae: « Iacta super Dominum « curam tuam, et ipse te enutriet ».[3] Quam spem pulcherrime expressit sequenti invocatione S. Margarita Maria Alacoque: « O Cœur d'amour! je mets toute ma confiance en « vous, car je crains tout de ma faiblesse, mais j'espère tout « de vos bontés ».

Corollarium II. – Ex doctrina huius articuli rursus observa, quam fundata sit sententia quam alibi exposuimus de praedestinatione,[4] quippe quae in se involvit gratuitum donum a gratuita antecedente Dei voluntate profluens. Quare nihil dulcius quam spem suam de aeterna salute huic divinae committere benevolentiae, quam insinuant ipsa praedesti-

[1] Ps. CXVIII, 122.
[2] Luc., XXI, 36.
[3] Ps. LIV, 23.
[4] *De Deo Uno,* t. II, p. 399 sqq.

nationis signa, de quibus alibi tractavimus.[1] Cavendum tamen sedulo, ne haec ipsa signa, falsam stimulando fiduciam, teporem immittant aut temeritatem. Sed quum vera praedestinationis signa, in timore fundata, dilatent charitatem, nil inde periculi animae vere piae obveniet, dum aliunde angustias nimias blande liniunt atque depellunt.[2]

Ecclesiae orationes hos sensus fortiter atque suaviter exprimunt. Quid dulcius simul et profundius sequenti oratione, qua veluti totus iste tractatus continetur: « Protector « in te sperantium Deus, sine quo nihil validum, nihil san- « ctum; multiplica super nos misericordiam tuam: ut te re- « ctore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non « amittamus aeterna ».[3]

ARTICULUS X.

UTRUM TEMPORALIA BONA CADANT SUB MERITO.

1. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quaerere solent theologi de vi impetratoria orationis quoad temporalia; ac respondent, temporalia bona impetrari posse, si oratio pro his fiat modo debito, et aliunde haec bona non obstent saluti. Hic autem S. Thomas quaerit de obtentione temporalium bonorum sub ratione meriti.

2) Tale meritum absolute non excludi, patet ex argumento a fortiori quo usus est Dominus, ubi ait: « Quaerite primum

[1] Ibid., p. 485 sqq.

[2] Religiosus vir, similibus angustiis pressus, haec Fenelonio scripserat: « Je « vous avoue que, de quelque manière que Dieu ait décidé de mon sort, je me sens « par sa miséricorde dans la disposition de ne vouloir pour rien me départir de son « service et de son amour, quoique je ne sois guère content de ce service ni de cet « amour ». Ad quae, pius Praesul, et ipse S. Augustini sententiae strenuus defensor, respondit: « Voilà le sentiment d'une âme prédestinée. C'est par là qu'on impose « silence au tentateur. On ne s'écoute plus soi-même, on n'écoute plus que l'amour « et l'on aime de plus en plus ».* Recolo, nuper in Flandrico oppido obiisse pium senem de coetu pauperum, qui morti proximus, quum a parocho rogaretur, nonne quadam premeretur angustia de imminenti iudicio Dei, candide respondit: « Nulla: « Deus est iustus. Unde si exitus esset mihi minus favens, nonne iustum foret? ». Absit ut tam humilis anima, de Deo tam alte sentiens, non optime fuerit a iusto Iudice excepta!

[3] Dom. III post Pentecosten.

* Op. cit., *Lettre III*e.

« regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiciientur « vobis ».[1] Ac si diceret: si potestis operando et orando ipsum regnum aeternum a Patre obtinere, quanto magis haec terrena. Atqui regnum aeternum assequi potest homo sub ratione meriti, ergo a fortiori bona temporalia.

3) Corroboratur per responsum Domini ad Petrum de mercede quaerentem:[2] « Centuplum accipiet ». Quod « cen- « tuplum », iuxta multos Patres, imo iuxta ipsum contextum, – sequitur enim: « et vitam aeternam possidebit », – de mercede in hac ipsa vita intelligendum videtur. Applicatur autem praesertim bonorum communium participationi, propter quam Paulus appellat Christianos sui temporis: « quasi « nihil habentes, et omnia possidentes ».[3]

4) Insuper temporalia bona sub merito cadere, probatur ex verbis psalmi: « Iunior fui, etenim senui: et non vidi iustum « derelictum, nec semen eius quaerens panem ».[4] Unde iubemur quotidianum panem Deum rogare dicentes: « Panem « nostrum quotidianum da nobis hodie ».

5) Ideone aequo modo sub merito cadunt bona temporalia, ac spiritualia? Absit! Imo contrarium apparet, sive finem, sive principium meriti respicias. *a*) Si finem, bona spiritualia directe sub merito cadunt, temporalia solum indirecte, in quantum scilicet iuvant in finem. Ideo filiis Zebedaei rogantibus per matrem ut sibi primae in temporali Christi regno servarentur sedes, Dominus respondit: « Nescitis quid peta- « tis ».[5]

6) Si autem *b*) respicis principium, eatenus temporalia bona cadunt sub merito, quatenus requiruntur ad missionem quae iustis destinatur. Ita David datae tunt opes ad templi aedificationem praeparandam; ita Salomoni concessa est scientia ad manifestandum typum Christi; ita Esther mansuetudinis, Iudith pulchritudinis adauctum est praestigium ad Deiparae typum illustrandum; quin, ita in populo Israël temporales opes semper fidelitatem ipsius comitabantur, quo per ipsum

[1] Matth., xvi, 33.
[2] Ibid., xix, 29.
[3] II Cor., vi, 10.
[4] Ps. xxxvi, 25.
[5] Matth., xx, 22.

solius Dei cultus in orbe praeluceret. Cuius veritatis exempla in Novo Testamento Providentia mirifice multiplicavit. Ne longiores simus, in quonam hominum coetu centuplum cuncta relinquentibus divinitus promissum uberius abundavit, quam in multis monasticis familiis, quae in horrida sylvarum nuditate conditae, tanta brevi adauctae sunt temporalis dominii copia, ut, iuxta munus sibi superne destinatum, evaderent Christianae civitatis magistrae simul et nutrices?

7) E converso autem, virtute eiusdem principii, quotiescumque ratione motionis divinae exigitur, opibus repente destitui cernuntur, quorum tamen aliunde pietas prosperitatem mereri videbatur. Exemplo sit sanctus ille vir Iob. Sed et in illo, superata tempestate, duplicata terrena merces vicissitudines ipsius caelestis destinationis manifestavit.

8) Unde quum ex una parte temporalia bona per se nonnisi indirecte in finem conducant, et ex altera parte nesciamus quid circa illa de nobis supernus motor intendat, oportet ut, pro temporalibus orantes vel operantes, propter hanc duplicem rationem, desideria nostra Sapientiae caelesti subordinata moderemur (cf. addenda in corollariis II et III).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad rationem praeordinationis divinae, de qua n. 6 diximus.

2ª Obi. Apparet distinguendum esse inter meritum a parte principii moventis, et a parte principii cooperantis. *a*) A parte cooperantis, oportet ut in hominis actione cui merces redditur, aliqua intrinseca bonitas reperiatur, et talis fuit casus de quo in loco Exodi.[1] *b*) A parte moventis principii, sufficit quod cooperans finem a movente intentum adiuverit, etiam sine intrinseca bonitate actus, et hic est casus de quo in Ezechiele.[2] Talis enim, licet pravo fine a parte sua, nihilominus laborat operi Dei, et si opus Dei exigit ut pro actione sua dilatetur, iam hoc sensu dilatari meretur.

3ª Obi. Non considerat rationem exempli, quae interdum postulat ut maiora flagitia puniantur. Hic enim interest inter bonos et malos. Boni, etiamsi aerumnis crucientur, expectant sibi retributionem in vita futura, imo ex aerumnis

[1] Cap. I.
[2] Cap. XXIX.

ipsis maiorem; mali autem, providentiam vitae futurae blasphemantes, impune in terris pravitati indulgeri gloriantur. Magis inde oportet ut flagitiosiora iam in tempore castigentur, quam ut sublimiori virtuti iam terrena merces anticipetur.

Sed contra est. Cave, ne urgeas similia ex libro Ecclesiastis collecta; scopus enim huius libri est, per aliquam quasi scepticam exaggerationem, iis rebus affigere animum, quae solae manent inconcussae. Caeterum veritatem hoc loco expressam, si cum moderamine intelligas, id est de communiter dumtaxat et apparenter immediate contingentibus, ipse Christus evolvit in oratione quam in monte habuit. « Diligite « inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate « pro persquentibus et calumniantibus vos: ut sitis filii Patris « vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super « bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos ».[1] Secus, si verba Ecclesiastis urgeantur, quomodo componuntur cum verbis Decalogi: « Honora patrem tuum et matrem tuam, « ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus « dabit tibi »;[2] imo cum tota historia exodi Israël de Aegypto usque in terram promissam, cum ultima oratione Moysis ad populum,[3] cum concione Iudith coram Holopherno,[4] etc., etc.?

In Corpore. En schema argumenti:

Bona temporalia:	1) considerata ut *conducentia ad opera virtutum:*	cadunt sub merito *simpliciter,* haud secus ac augmentum gratiae (item dic de malis temporalibus);
	2) considerata *in seipsis:*	cadunt sub merito *secundum quid,* si Deus ad ea obtinenda movet; secus nullo modo.

Corollarium I. – Ex doctrina huius articuli saltem indirecte apparet, quomodo Deus malos per bona temporalia de naturalibus virtutibus in tempore remuneret. Etenim bona temporalia quibus malos affluere interdum videmus, triplicem rationem habere possunt. Vel *a*) procedunt secundum illam generalem providentiam, de qua in *Sed contra est;* vel

[1] Matth., v, 45.
[2] Exod., xxi, 12.
[3] Deut., xxxii.
[4] Iud., xi.

b) destinantur in iustorum probationem, iuxta illud Psalmistae: « Noli malignari in malignantibus »;[1] vel *c*) sunt remuneratio alicuius virtutis naturalis, pro qua, quum sint mali, nullam sunt mercedem in vita futura recepturi. Inter has virtutes eminent studium laboris et diligentia, iuxta illud: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione « sua sunt ».[2]

Corollarium II. - Ex doctrina huius articuli sequitur, primum locum in orationibus impetratoriis esse reservandum bonis spiritualibus, iuxta verbum Domini: « Quaerite pri- « mum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicen- « tur vobis ».[3] Unde in Oratione Dominica nonnisi una petitio respicit terrena: « Panem nostrum quotidianum, da « nobis hodie ».[4] In qua petitione, praeter sensum spiritualem, qui valde in promptu est, ob cibum eucharisticum qui suadetur per vocem « supersubstantialem »,[5] ipsa petitionis forma modestiam inculcat, quum « panem » et non divitias, eumque « quotidianum, hodie » petere iubeamur.

Imo haec materialia Christus monet esse petenda quidem cum filiali fiducia,[6] sed sine nimia sollicitudine, qualem nutriunt illi qui ethnicorum more terrenis adhaerent. « Nolite « ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid « bibemus, aut quo operiemur ».[7]

Ratio huius modestiae quoad rem et quoad petendi modum est duplex: spiritualium bonorum excellentia, quae proin instantius impetranda sunt; et incertitudo in qua sumus, utrum quae ordinis temporalis petimus, sint nobis ad salutem profutura; quare spiritualia absolute, altera non nisi sub conditione petenda sunt. Imo in rogandis bonis temporalibus suadendum ut, dum ea petimus, simul Deum oremus, ne nobis concedat quod ipse praescit animae nostrae fore nocivum.

[1] Ps. XXXVI; cf. Ps. LXXII.
[2] LUC., XVI, 6.
[3] MATTH., VI, 33.
[4] LUC., XI, 3.
[5] MATTH., VI, 11.
[6] LUC., XI, 9 sqq.
[7] MATTH., VI, 31.

Corollarium III. – Sequitur insuper ex eadem doctrina, Christiano in temporalium bonorum iactura patientiam esse generose amplectendam, ita quidem ut non solum animus contra Providentiam non rebellet, sed fidei lumine divina consilia adoret, spei nisu ad altiora mentem erigat, et charitatis ardore in Deum ferventius tendat, iuxta illud Liturgiae: « Sursum Corda! – Habemus ad Dominum ». Quum igitur bonorum iactura sancte accepta tot contineat semina virtutum, quid mirum, Deum per eam probare quos diligit?

Corollarium IV. – Summi momenti est doctrina in hac Quaestione exposita, ad roborandum Christiani animum, et stimulandum eius zelum mediis in tribulationibus per quas itur ad Deum, iuxta effatum: « per Crucem ad Lucem ». Huc faciunt verba Apostoli: « Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem; patientia enim vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem ».[1] Huc facit integrum cap. XI epistolae ad Hebreos, in quo eloquentissime celebrantur illi, qui iam in Antiquo Testamento animose ardua quaeque sunt perpensi. Etenim, uti exclamat idem Apostolus, « non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ».[2] Hinc martyres tormenta superaverunt, « adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra Dei sedis sedet ».[3] Idem animus omnes martyres fecit passione maiores, a *Massa* illa *candida*, quam celebrabat Augustinus, ad *Massam* istam *nigram*, quam, eiusdem Africanae telluris florem et decus, nuper beatificavit SS. Benedictus XV. Idem animus omnes cuiusvis coetus Christianos patientes reddidit inter cuiusvis generis persecutiones externas sive internas, publicas sive occultas, quas, teste Apostolo, in hoc mundo tolerandas habuerunt, habent et habebunt « omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu ».[4]

[1] Hebr., x, 35 sq.
[2] Rom., viii, 18.
[3] Hebr., xii, 2.
[4] Tim., iii, 12.

Pulchre Cassiodorus:

Tantum igitur quicumque voles conscendere honorem,
Patribus ut regni iungaris sorte beandus,
Illorum mores, duros imitare labores.
Idem quippe labor mercedem spectat eamdem,
Idcirco patrum mores imitemur ovantes,
Participes fieri nos ut mereamur eorum,
Utque magis memores operum valeamus adesse.[1]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum meritum, sicut merces, stricte dictum supponat ordinem iustitiae, iustitia autem aequalitatem, in homine ad Deum nequit meritum haberi stricte dictum; latiori autem sensu adest, propter ordinationem a parte Dei et liberum arbitrium a parte hominis (a. 1).

2) Tale autem meritum exigit proportionem inter facultatem merentem et obiectum meriti; unde quum vita aeterna omnem virtutem naturae excedat, nequit prorsus homo sine gratia aeternam vitam mereri (a. 2).

3) Iam vero in hominis merito cum gratia duplex elementum adest: elementum gratiae, et elementum liberi arbitrii. Ratio meriti in utroque distinguitur. A parte liberi arbitrii, seu substantiae operis per id praestiti, adest meritum de congruo, propter dicta in art. 1; non autem de condigno, propter dicta in art. 2. A parte autem gratiae, tum elevantis, tum moventis, adest meritum de condigno (a. 3). Cuius meriti principalius invenitur principium in charitate; quum per charitatem, tum a parte gratiae, tum a parte liberi arbitrii principaliter obtineatur proportio inter opus meritorium et finem vitae aeternae (a. 4).

4) Si iam considerantur obiecta quae sub hoc merito cadunt, apparet, *a*) primam gratiam non posse sub merito cadere, neque in quantum est donum gratuitum, quod per meritum destruitur, neque in quantum est super naturam. Ad quam gratiam, antequam habeatur, meritum esse nequit; quum vero habetur, meritum nequit nisi subsequentem gratiam respicere, non illam quae supponitur et a qua est (a. 5).

[1] *In praefatione historiae tripartitae.* – Nuperrime edita ab Illmo Abbate Ambrosio Amelli, in appendice *c*) ad eruditam collationem cui titulus: *Cassiodoro e la Volgata* (Grottaferrata, Scuola tipogr. italo-orient. S. Nilo, 1920, p. 48).

b) Sed nec alteri homo sub gratia primam gratiam mereri potest de condigno, quum motio divina, unde meritum de condigno derivatur, non ad illam se extendat, nisi in Christo capite; potest autem de congruo, nisi a parte alterius obex gratiae ponatur (a. 6).

c) Neque homo, dum in gratia est, potest sibi mereri reparationem post culpam: non de condigno, quum per culpam motionis divinae cursus interrumpatur; nec de congruo, quum ipsa culpa obicem gratiae ponat (a. 7).

d) Augmentum autem gratiae potest homo mereri, etiam de condigno, quia directe cadit sub motione gratiae per augmenta charitatis hominem in finem dirigentis (a. 8).

e) Porro perseverantiam, - nisi intelligas consummationem in gloria, - homo non potest mereri, quum pertineat ad principium motionis divinae; potest tamen orationibus et operibus eam impetrare (a. 9).

f) Quantum ad temporalia bona, quatenus considerantur tanquam ad opera virtutum utilia, cadunt sub merito simpliciter: sunt enim sub hoc respectu bona simpliciter; quatenus autem considerantur in se, quum non sint nisi bona secundum quid, non cadunt sub merito nisi secundum quid, in quantum scilicet homo ad ea obtinenda per gratiam a Deo movetur (a. 10).

Appendix.

De merito B. M. Virginis.

Tam specialem in gratiae oeconomia B. V. Maria tenet locum, ut aequum videatur in fine huius Quaestionis de almae Deiparae meritis speciali appendice tractare.[1]

Quum meritum de condigno derivetur a fecunditate gratiae nos in finem supernaturalem destinantis, necnon a gradu nostrae unionis cum Christo capite; et quum charitas qua actus nostri animantur, sit principale meritorum principium, B. V. Maria meritis haud secus ac dignitate omnes Sanctos in immensum superat, utpote quae, a summa gratia initiali ad summam gloriam praedestinata, Christo maternitatis

[1] De Christi meritis iam fuse in nostra Soteriologia egimus.

vinculo coniuncta, nihil non perfectissima agebat charitate. Digna plane quam, sicuti Angelus salutavit gratia plenam, nos, per Christum primogenitum inter fratres tantae Matris filii, salutemus meritis plenissimam.

Sed et de his Mariae meritis, iuxta varios adspectus eius munerum, cum debita prudentia loquendum est. Sint igitur sequentes breves conclusiones.

1ª Conclusio. - Initialis gratia B. M. Virgini concessa, Immaculata scilicet eius Conceptio, nequit cadere sub merito ipsius Virginis, quum sit ipsius excellentiae initium; sed est fructus meritorum futuorum Christi. Quae Christi merita potuerunt retroactive ante temporalem Christi vitam applicari, ob divinam eorum virtutem et Dei praescientiam et praedestinationem. Sed haec ratio non valet in proposito. Imo nec ipse Christus, ut homo, per operationem suam theandricam meruit naturae suae humanae unionem hypostaticam, qua homo Iesus est homo-Deus. Unde, uti praedicat Augustinus, est altissimum exemplar gratuitae praedestinationes. Ad quod exemplar nulla creatura arctius appropinquat Immaculata Virgine Maria.

2ª Conclusio. - Quum Beata Virgo a primo instanti qua rationis usu gaudebat, omni charitatis ardore se omnesque suas vires in Deum direxerit, et omnes suas iugiter actiones ex eadem purissima charitate perfecerit, augmentum gratiae est merita modo excellentissimo. Licet enim ab exordio suae existentiae fuerit gratia plena, haec tamen plenitudo, uti alibi ostendimus, non excludebat augmentum, imo hoc augmentum B. Virginis vitae decursu iugiter appellabat.

3ª Conclusio. - Non tamen potuit istud meritum ad tantam excellentiam ascendere, ut, stricto sensu, Maria meruerit fieri Mater Dei. Etenim ex una parte divina maternitas pertinet ex sese ad ordinem gratiae gratis datae; ex altera vero est tantae excellentiae ut omne creaturae meritum exsuperet. Quare et sub hoc respectu B. Virgo est insigne praedestinationis exemplar.

Nihilominus, sensu minus stricto, potest in Maria aliquod meritum agnosci ad hoc ut in Dei Matrem eligeretur, idque duplex: primum, quia Deus ipse thesauris suarum gratiarum Mariam eo fine cumulavit, ut tanto honore digna, in

quantum fieri posset, redderetur; alterum, quia et ipsa Virgo perfectissime his gratiis usa est, easque, uti modo dicebamus, tanta fidelitate adauxit, ut, si potuisset fieri, seipsam divinae maternitati digno modo praeparasset. Quare admitti heic potest aliquod meritum saltem congruum. Quo sensu intelligendae sunt preces Ecclesiae : « Regina caeli, laetare – « quia, quem meruisti portare ... ». « Omnipotens sempiterne « Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et ani- « mam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, « Spiritu Sancto cooperante, praeparasti ... ».

Ubi observa, facilius in Maria concedendam esse dignitatem quam meritum, ad hoc ut Deipara fieret. Nam huius dignitatis auctor princeps est ipse Deus, et Immaculata Conceptio, quae, uti vidimus, extra Mariae meritum fuit, ad hanc dignitatem producendam divinitus praeordinabatur.

4ª Conclusio. – Ob excellentem dignitatem B. Virginis et perfectam charitatem, qua, supra conditionem lapsae naturae, in Deum indefesse tendebat, agnosci debet in B. Virgine meritum ad hoc ut esset in gratia confirmata ac proin, post beatam mortem, aeterno praemio coronanda.

5ª Conclusio. – Immensa gloria, qua B. Maria gaudet in caelis et triumphanti Filio veluti gratiarum dispensatrix assidet, non est unice in alma Deipara suae sanctitatis meritum; sed veluti partim meritis ipsius acquisita, partim terminus *ad quem* mirabilis illius praedestinationis, qua Deus dignam Filio suo Matrem elegit, sanctificavit et glorificavit. Quare de beata Virgine specialissime valet effatum Augustini, Deum Christumque in Maria coronasse et Deiparae merita et sua propria dona.[1]

[1] De Maria sub titulo « Mater divinae gratiae » erudite et pie scripsit R. P. Ed. Hugon O. Pr. (*Revue Thomiste,* 1902-1903).

DISSERTATIO FINALIS.

De concordia inter gratiam et liberum arbitrium.

Restat ut penitius de concordia inter gratiam et liberum arbitrium inquiramus. Breviter tamen. Etenim solutio huius subtilioris argumenti magna ex parte dependet ab aliis elementis, quae ad alios spectant tractatus. Haec autem elementa tria sunt: doctrina de motione divina in ordine ipsius naturae, doctrina de divina praedestinatione, demum doctrina de voluntate salvifica. A prima, indolis potius philosophicae, pendet partim analysis actionis internae gratiae, et eiusdem influxus in ipsam liberae facultatis motionem; a secunda pendet ordo inter media et finem, in quacumque gratia, ac praesertim in gratiarum serie considerandus; ab ultima demum pendet distributio gratiarum in ordine ad hunc finem. De secunda et tertia doctrina iam in alio nostro tractatu,[1] necnon in presenti fuse disputavimus; primam, utpote ad philosophicas disciplinas pertinentem,[2] hic potius revocabimus. Directius itaque agemus de ipsa concordia inter liberum arbitrium et gratiam, qualiter vel ex istis doctrinis fluit, vel cum eisdem componitur.

Antequam ad hanc expositionem accedamus, breviter recolenda iterumque firmanda est propositio fundamentalis, de qua iam egimus in distinctione inter gratiam efficacem et sufficientem. Quae propositio affirmat, *dari aliquam gratiam efficacem quae secum trahit effectum salutarem a Deo per eam intentum.* De hac enim gratia, non de gratia sufficienti directe oritur difficultas concordiae inter gratiae virtutem et liberum hominis arbitrium. Indirecte tamen oritur et de gratia sufficiente, in systemate quod gratiam intrinsece efficacem maxime urget.

Breviter igitur iterum firmemus hanc propositionem directe et indirecte.

1) *Directe* propositio demonstratur ex omnibus Scripturae locis in quibus effectus cum motione gratiae coniungitur tanquam a gratia procedens. Tales sunt, v. g.: « Sicut divi-

[1] *De Deo Uno,* t. II, p. 253 sqq., 399 sqq.

[2] Cf. superius p. 4 sq.

« siones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocum-« que voluerit, inclinabit illud ».[1] « Cor mundum crea in me, « Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis »;[2] « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in « medio vestri,... et faciam ut in praeceptis meis ambule-« tis, etc. ».[3] « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui « misit me, traxerit eum ».[4] Pater autem potentissime trahit, nam de eo Christus dixit: « Nemo potest rapere de manu « Patris mei ».[5] Sed et Christus trahit: « Ego si exaltatus « fuero, omnia traham ad meipsum ».[6] Imo irresistibiliter et ipse trahit, iuxta id quod tracto Saulo dixit: « Durum « est tibi contra stimulum calcitrare ».[7] Ratio est: « Deus « est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro « bona voluntate ».[8] Unde: « Crediderunt, quotquot erant « praeordinati ad vitam aeternam »,[9] etc.

His similibusque testimoniis pie edocta Ecclesia suam facit illam supplicationem diligentis: « Trahe me, post te « curremus »;[10] nostras rogat Deum etiam « rebelles com-« pellere voluntates ».

Hanc gratiae efficaciam significat impetus venti vehementis, qui in Pentecostes die Spiritus Sancti effusionem manifestavit. Effectus autem huius Spiritus perpulchre describit *Sequentia* huius solemnitatis:

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium,

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Et invocatio: « Emitte Spiritum tuum, et creabuntur; et « renovabis faciem terrae ».

[1] Prov., xxi, 1.
[2] Ps. l, 12.
[3] Ezech., xxxvi, 26. 27.
[4] Ioann., vi, 44.
[5] Ibid., x, 29.
[6] Ibid., xii, 32.
[7] Act., ix, 5.
[8] Philipp., ii, 13.
[9] Act., xiii, 48.
[10] Cant., i, 3.

Apud Patres autem nihil hac omnipotenti gratiae virtute antiquius, nihil solemnius. *Iustinus* martyr eam vocat inenarrabilem Patris virtutem.[1] *Tertullianus* scribit: « Erit vis « divinae gratiae potentior utique natura, habens in nobis « subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem ».[2] *Cyprianus* eamdem veritatem egregie illustrat: « (Dominus) adiuvat « dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pie- « tatis paternae remunerans in nobis quidquid ipse prae- « stitit, et honorans quod ipse perfecit ».[3] Quid iam de *Augustino,* toties tanquam efficacis gratiae praecone laudato? Praedicat ubertim, Deum in nobis propria dona coronare; insuperabilem gratiae virtutem passim celebrat. Sint adhuc hae breves sententiae, iam alibi partim allatae. « Quis, « porro, ait, tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas homi- « num voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi volue- « rit, in bonum non posse convertere? ».[4] « Cui (Deo) volenti « salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium ».[5] « Haec « itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina lar- « gitate tribuitur, a nullo duro corde respicitur. Ideo quippe « tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur ».[6] Quid plura? Ipse Augustinus nonne effulget cum Paulo efficacis gratiae testimonium omni scripta laude illustrius?

Nec aliter Patres Graeci. Audiatur *S. Basilius Magnus.* « Quodcumque ad nos ex divina potestate bonum venerit, « omnia in nobis efficientis gratiae opus esse dicimus ».[7]

Corroboratur haec doctrina per omnes textus superius allatos Sess. VI Conc. Tridentini, in quibus opus gratiae cum effectu efficaciter producto describitur.

2) *Indirecte* nostra praeliminaris propositio probatur per doctrinam catholicam de necessitate gratiae ad opera salutaria; ex qua doctrina tanquam consequens sequitur, opera salutaria a gratia produci (Cf. Conc. Tridentinum, Sess. VI,

[1] *Apol.,* II, 10.
[2] *De anima,* c. 21.
[3] *Epist. 77.*
[4] *Enchir.,* c. 98.
[5] *De corr. et grat.,* c. 14.
[6] *De praedest. SS.,* c. 8.
[7] *Epist. 38* (43) *ad Gregor.*

can. 1, 2, 3, dictaque superius in Q. CIX, de eadem gratiae necessitate).

Stat igitur catholicae doctrinae fundamentum de gratia efficaci inconcussum. Iam accedamus ad problematis solutionem. Quo in negotio sequenti ordine incedemus. *A.* Reprobabimus sententias acatholicas. *B.* Praecipuas sententias catholicas exponemus et discutiemus. *C.* Nostram sententiam, si tamen nostram, breviter illustrabimus.

A. - Reprobantur sententiae acatholicae.

Quum problema, imo, ut candide fateamur, mysterium consistat in componendis duobus elementis apparenter oppositis: gratiam infallibiliter efficacem et liberum arbitrium, quotquot haeretici unum ex alterutro de medio tollunt, falsam doctrinam, quoad concordiam quam quaerimus, tenere dicendi sunt. Tales apparent, ex uno latere, Pelagiani, et cum moderamine, Semipelagiani, qui ex toto, vel ex parte gratiam veram internam oppugnantes, non quasi servant nisi exaggeratam humanam libertatem. De quibus superius sat longe tractavimus, ut illos iam heic omittere liceat.

Ex altero latere, tales apparent praecipue Praedestinatiani, Lutherani et Calvinistae,[1] qui aperte, et Iansenistae[2] qui modo velato liberum arbitrium destruunt; nihil sibi nisi exaggeratam gratiae virtutem retinentes. De quibus hic pauca sunt addenda:[3] et quidem primo contra Lutheranos similesque, dein contra Iansenistas catholicam thesim statuendo.

1) *Contra Lutheranos.* Homo lapsus non ita liberum arbitrium amisit, ut non amplius possit bonum agere nisi per gratiam cogentem. Sufficit provocare ad can. 4, 5, 6, Sess. VI, Conc. Tridentini: « Si quis dixerit, liberum hominis arbi-« trium a Deo motum et excitatum nihil operari assentiendo

[1] Adde his fatalismo quovis nomine addictos: Simonem Magum, Valentinum, Marcionem, Manichaeos, Priscillianos, Bardesanum; necnon Iovinianum, - cui favebat et Wiclefus, - post Baptismum receptum gratiam Christianis inamissibilem autumans.

[2] Quomodo Baius et Quesnellus se ad utrosque habeant, recole ex dictis superius, p. 65 sqq.

[3] Cf. nostram dissertationem praeviam 3) de erroribus circa gratiam, p. 59 sqq.

« Deo excitanti atque vocanti,... sed velut inanime quoddam « nihil omnino agere mereque passive se habere; a. s. » (can. 4): « Si quis liberum arbitrium post Adae peccatum amissum « et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo « titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in « Ecclesiam; a. s. » (can. 5). « Si quis dixerit, non esse in « potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, « ita ut bona, Deum operari, non permisisse solum, sed etiam « proprie et per se, adeo ut sit proprium eius opus non « minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli; a. s. » (can. 6).

Stat igitur non solum libertas humana, sed et sub gratia stat. Solutio problematis nequit proin esse in negata humana libertate. Quod et patet inspectis Scripturis, necnon traditione constanti Ecclesiae humanam libertatem vindicantis.[1]

Quae hic breviter revocare iuvat.

Innumera enim sunt Scripturarum testimonia, in quibus homines ab bonum excitantur, et a malo revocantur, imo proposita sive mercede sive poena. Iam vero haec omnia libertatem boni et mali manifeste supponunt.

Nec desunt testimonia hanc libertatem apertissime praedicantia, v. g.: « Deus ab initio constituit hominem, et reli- « quit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et prae- « cepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, « et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam « et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante « hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit « ei, dabitur illi ».[2] « Beatus vir,... qui potuit transgredi, et « non est transgressus; facere mala, et non fecit ».[3]

Ex Patribus haec pauca satis sint. Ait *Origenes:* « Est « et illud definitum in ecclesiastica praedicatione, omnem « animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis: non « tamen necessitate cogimur vel agere recte vel male ».[4] Et *Augustinus,* de concordia inter gratiam et liberum arbitrium sollicitus, quae sollicitudo iam argumento aequivalet, ait in exordio operis *de gratia et libero arbitrio*: « Quo-

[1] Cf. in nostro volumine VII dissertationem de libero arbitrio.

[2] Eccli., XV, 14-18.

[3] Eccli., XXXI, 8.

[4] *Periarch.,* l. 1, n. 5.

« niam sunt quidam, qui sic gratiam defendunt, ut negent « hominis liberum arbitrium: aut, quando gratia defenditur, « negari existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scri- « bere... compellente mutua charitate, curavi ».[1]

Demum confirmatur haec libertas per analysim sensus intimi circa actus ex gratia factos; quemadmodum in philosophia eadem via circa actus naturales libertas demonstratur.[2] Sentimus quippe nos libere gratiae consentire, eique dissentire posse.

Igitur contra Lutherum aliosque libertatem directe oppugnantes stat, hominem in statu lapso, etiam movente gratia, libero gaudere arbitrio. Optime S. Bernardus: « Tolle libe- « rum arbitrium, et non erit quod salvetur; tolle gratiam, « non erit unde salvetur ».[3]

2) Sed et contra *Iansenistas* demonstrandum est, illam libertatem non esse mere nominalem, sed veram. Quod demonstrabitur, si ostendetur: *a*) gratiae hominem posse dissentire, si velit; *b*) denique gratiam dari non solum efficacem, sed etiam sufficientem.

a) Prior propositio, quae est consequens veritatis modo demonstratae, continetur expresse in can. 4, Sess. VI Conc. Tridentini: « Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum « et excitatum nihil cooperari *assentiendo* Deo excitanti atque « vocanti, quo ad obtinendum iustificationis gratiam se dispo- « nat ac praeparet, *neque posse dissentiri, si velit,* etc.; a. s. ». Inaniter autem Iansenistae vim huius canonis eludere conantur, insistendo in verba, *si velit,* ita ut possit quidem homo dissentire, si velit, non tamen possit velle. Nam *a*) hoc sensu intellecta locutio esset inanis, et canon contra novatores imbellis; *b*) in cap. 5, cui hic canon respondet, verba *si velit* desunt: « quippe qui illam et abiicere potest ». Sequitur

[1] Tanta est copia testimoniorum Patrum ab Augustino ad S. Bernardum, ut Calvinus coactus sit fateri: « Voluntatem movet (Deus) non qualiter multis saeculis « traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare « aut refragari ».*

[2] Remittimus lectorem ad nostram dissertationem de hominis libero arbitrio (T. VII).

[3] *De grat. et lib. arb.*, c. 1, n. 2. Cf. plura de hoc opere mox dicenda.

* *Instit.*, c. 14, n. 10.

insuper ex damnatis propositionibus Iansenii: « Semipela-« giani in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam « talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtem-« perare »; et Quesnelli: « « Gratia Dei est operatio manus « omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retar-« dare ». Igitur ita gratia salvat liberum arbitrium, ut ei possit homo dissentire.

b) Nec satis. Constat insuper ex catholica doctrina, quae proclamat gratiae interdum resisti: quae est altera propositio demonstranda, quam iam alibi praeoccupavimus, agentes de distinctione inter gratiam efficacem et sufficientem.

Sufficeret adducere secundam e damnatis sententiis Iansenii: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam « resistitur ». Ergo interdum ei resistitur.

Quae conclusio apprime consona est modo loquendi Scripturarum. Civitatibus Corozain et Bethsaidae minitatur Christus ex eo quod virtutibus caelestibus, quibus eas vocavit ad fidem, credere noluerint: « Vae tibi, Corozain, vae tibi, « Bethsaida, quia, si in Tyro et Sidone factae essent vir-« tutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere « poenitentiam egissent ».[1] Nec dicas, agi hic de virtutibus externis, non de internis gratiis cum eisdem datis; secus, ne pereat vis comparationis, sequeretur, Tyrios et Sidones sine internae motione gratiae poenitentiam egisse. - Pariter Stephanus invehit in Iudaeos: « Dura cervice et incircum-« cisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resi-« stitis ».[2] Quo in loco apertius de interna gratiae sollicitatione agitur; quemadmodum et evidenter occurrit in verbis Pauli: « Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei reci-« piatis »;[3] imo in verbis Christi ad Saulum: « Durum est « tibi contra stimulum calcitrare ».[4] Ergo calcitravit gratias depellendo, easque proin mere sufficientes reddendo.

Corroboratur haec doctrina e Veteri Testamento: « Vocavi

[1] Matth., xi, 21.

[2] Act., vii, 51.

[3] ii Cor., vi, 1. - Cf. i Cor., xv, 12. Nec aliud insinuatur nobis per parabolas de invitatis ad nuptias, de vinea omni curae rebelli; imo ipsa sententia: « multi « vocati, pauci electi » in germine hanc veritatem continet.

[4] Act., ix, 5.

« et renuistis; extendi manum meam, et nemo fuit, qui aspi-
« ceret. Despexistis omne consilium meum, et increpatio-
« nes meas neglexistis ».[1] « Hodie si vocem eius (Domini)
« audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irrita-
« tione secundum diem tentationis in deserto ».[2] « Ecce ego,
« ecce ego ad gentem, quae non invocabat nomen meum.
« Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,
« qui graditur in via non bona post cogitationes suas ».[3] Concordat omnino traditio Patrum. *S. Chrysostomus,* ultimum locum citat hoc modo: « Ostendens (Paulus) id quod factum
« fuerat, non ex sola Dei gratia esse, sed etiam ex acceden-
« tium voluntate, audi, quid adiiciat; " ad Israëlem vero dicit:
« tota die expandi manus meas ad populum non credentem
« et contradicentem „: diem hic totum praeteritum tempus
« dicens; expandere manus, vocare, attrahere et exhortari
« significat. Deinde ostendens, totum crimen eorum esse,
« ait: " ad populum non credentem et contradicentem „. Vide
« quanta sit accusatio! Hi nequidem vocanti obsecuti sunt,
« sed et contradixerunt non semel, non bis, non ter, sed omni
« tempore, dum haec facientem viderent ».[4]

Nec aliter Doctores Occidentales: « O infelicissimum huma-
« num genus, exclamat *Hieronymus,* qui peccatum excusa-
« mus dicentes: Victus sum a natura; cum in potestate
« nostra sit, et peccare, et Domino adiuvante non pec-
« care! ».[5] Et *Ambrosius* peccatorum statum defectui non gratiae, sed bonae voluntatis gratiam recipientis his verbis assignat: « Numquid, si quis ostia domus suae claudat, solis
« est culpa, quod non illuminet domum eius? Ergo, si quis
« peccatorum suorum repagulis obserandam mentem pro-
« priam iudicaverit et Verbi a se splendorem stultus avertat,
« ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit, quod
« sol iustitiae noluerit intrare aut infirmitatem hominis cae-

[1] Prov., I, 24.

[2] Ps. XCIV, 8 sq.

[3] Is., LXVI, 12; - Cf. Rom., XI, 21. Improperia feria VI in Parasceve cantari solita quid aliud sunt, nisi tragica eiusdem veritatis expositio?

[4] *Hom. 18. in epist. ad Rom. - P. L.,* t. LX, col. 575.

[5] In Psal. CXL. Directe quidem hic locus priorem propositionem demonstrat; sed et implicite ostendit, ad non peccandum gratiam non deesse, sufficientem scilicet, non efficacem, si nihilominus peccatur.

« lestis arguere? ».[1] *Augustinus* adhuc luculentius idem docet: « Ad illam enim coenam, ait, quam Dominus dicit « in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, « venire voluerunt; nec illi qui venerunt, venire possent nisi « vocarentur.... Itaque nec illi debent sibi tribuere qui vene- « runt: quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, « debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut veni- « rent, vocati erant in libera voluntate.... Propterea, etsi « quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest « tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, « sicut non habuit meritum praemii ut vocaretur, sic inchoat « meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit ».[2]

Accedit ratio theologica petita ex universali Dei voluntate salvifica. Hac ipsa voluntate Deus gratuito confert omni homini sufficientem gratiam, saltem initialem, ut salvari possit. Atqui constat non omnes homines salvari. Ergo multae ex his gratiis effectu carent, ac proin remanent mere sufficientes.[3]

Consequens huius doctrinae est, gratiam sufficientem verum esse Dei beneficium, quum praestet facultatem bonum operandi, si acceptetur, atque ad bonum opus producendum a Deo infundatur. Iure proin Alexander VIII damnavit propositionem a Iansenistis in Gallia venditatam: « Gratia suf- « ficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, « sic, ut merito possimus petere: a gratia sufficienti libera « nos, Domine ».[4]

Praeclare Leo XIII in litteris encyclicis *Libertas praestantissimus* zelum laudat quo Ecclesia in vindicanda humana libertate dimicavit: « Contra dicentibus haereticis, « novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis « Ecclesia suscepit, hominisque tam grande bonum ab inte- « ritu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta « testantur, insanos Manichaeorum aliorumque conatus

[1] *Serm. 19 in Ps. 118*, n. 40.

[2] Quaest. LXXXIII, q. 68. – *P. L.*, t. XL, col. 73; cf. *De Spir. et litt.*, col. 33. – *P. L.*, t. XLIV, col. 238. – Cf. alia testimonia citata apud Card. Katschthaler (op. cit. p. 156).

[3] Cf. SUAREZ (*De Gratia*, l. IV, c. 1, n. 4-6; et c. 6).

[4] Prop. 6.

« quanta contentione repulerit; recentiori autem aetate « nemo est nescius quanto studio, quantaque vi tum in Conc. « Trid., tum postea adversus Iansenii sectatores, pro libero « hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco « fatalismum passa consistere ».

B. – Exponuntur et discutiuntur praecipuae sententiae catholicae.

Commune est omnibus theologis catholicis ad quorum systemata exponenda ac breviter discutienda accedimus, quod utramque sincere tenent, tum veram gratiae efficaciam, tum veram hominis sub gratia libertatem.

Quum autem agatur de conciliandis inter se duabus veritatibus apparenter aegre compossibilibus, nil mirum, alios magis uni, alios magis alteri insistere, aut saltem ab ea potius movere gressum. Ita in casu evenit. In duas praecipue partes systemata dividuntur, iuxta quod gratiae efficaciam aut humanam libertatem fortius vindicant, quin tamen nec illi hanc libertatem, nec isti hanc efficaciam gratiae minime impugnare intendant. In quo, obiective saltem, - nam de subiectiva intentione dubitare nemini inter catholicos licet, - optime fieri potest ut modus quo efficacia gratiae explicatur, humanam libertatem re vera non nisi apparenter salvet; et vicissim modus quo salvatur haec libertas vix tantam relinquat gratiae efficaciam, quanta in Scripturis describitur. Etenim, quum systemata sibi opponantur, et veritas sit una, impossibile est veritatem aeque ab utraque parte stare. Ergo aut ambae errant excedendae in opposita, et veritas stat potius in medio; aut, si veritas sit in ulterutra, errat altera. Imo, quum agatur de argumento profundissimo, optime fieri potest ut nulla solutio hucusque excogitata plene veritati respondeat.

Nec istae duae dumtaxat veritates sunt prae oculis habendae, sed et aliae, de quibus ab exordio huius dissertationis verbulum fecimus: voluntas Dei salvifica et praedestinatio. Imo consequentiae sive repercussiones sunt sedulo attendendae, ob intimum nexum quo veritates colligantur ad invicem. Quemadmodum enim ille qui tenet cum S. Augustino prae-

destinationem antecedentem ad praevisa merita, omni cura demonstrare debet, eam nullatenus, - uti Cardinali Franzelin videbatur,[1] - involvere reprobationem antecedentem ad praevisa demerita;[2] ita in argumento praesenti, qui adhaeret doctrinae praedeterminationis physicae, qua facillime Deus apparet auctor boni, debet sedulo ostendere, eam nullatenus involvere, uti docebat Calvinus, Deum esse auctorem et mali.[3]

Antequam autem ad expositionem et discussionem praecipuorum systematum accedamus, utile ducimus audire ex eorum scriptis quid de praesenti argumento senserint celeberrimi Magistri qui ante exortas hasce controversias de concordia inter gratiam et liberum arbitrium tractarunt: Augustinus scilicet, Anselmus et Bernardus. Dein sedulo investigabimus mentem S. Bonaventurae et S. Thomae. Postea, praemissa notula historica de Congregatione *ab Auxiliis* nuncupata, ad ipsa systemata accedemus; idque mente benevola et sincera, qua pleniori libertate gaudet nulli scholae ex professo addictus.

[1] Dum Romae in Universitate Gregoriana sub tanto magistro, cui, sicuti et Palmieri, utrique praeclarissimo, grates imo ex corde usque rependam, huic tractatui incumbebam, recolo me, iam tunc a sententia S. Augustini et S. Thomae magis attractum, ex animo disputasse contra dilemma: aut praedestinatio est consequens ad praevisa merita, aut datur reprobatio antecedens ad praevisa demerita. Eodem modo, uti iam in tractatu *de Deo Uno* diximus, recusamus dilemma quod tot mentes torquet: aut praedeterminatio physica iuxta recentiorem Thomismum,* aut gratia Molinistice dumtaxat efficax ex libero arbitrio et scientia media.

[2] In saepe laudato scripto Fenelonius, etsi a Calvini errore maxime alienus, imo praedeterminismo potius infensus, fortiter tuetur praedestinationem antecedentem ad praevisa merita, ad mentem S. Augustini.

[3] Recolo, me olim a sat acutae mentis theologo Thomista rigidiori hanc audisse sententiam: « Doctrina de praedeterminatione physica mihi plene facit satis; fateor « tamen remanere mihi magnam difficultatem quantum ad malum ». Quasi quis diceret: emi calceamenta vere optima, at nonnisi pede sinistro claudicans cum eis incedere valeo.

* Hos alibi Bannezianos absque ulla iniuriae suspicione vocari posse credidimus; quum autem haec appellatio durior quibusdam visa sit, in hac dissertatione Thomistas distinguemus in rigidiores sive recentiores, et mitiores seu vetustiores. Nonne illos « iuniores » appellabat J. Gonzales de Alveda, sive Albelda?

I. - De mente S. Augustini.

Ex uberrimis locis quos ex operibus summi huius Doctoris in hoc tractatu et in praecedentibus voluminibus iam attulimus, nulli dubium esse potest, Augustinum fortissime utramque veritatem propugnasse: et efficaciam gratiae et veram hominis sub gratia libertatem. Satis igitur sit hic quaedam excerpere ex illo libro, in quo data opera de utriusque veritatis concordia tractat, directo ad Valentinum et ad monachos qui cum eo degebant, hoc ipso fine ut dissensiones quae inter illos de gratia tam acres existebant ut turbarent pacem, nitida disputatione sedaret. Librum hunc *De gratia et libero arbitrio* inscriptum, praecedunt duae epistolae ab Augustino ad eumdem Valentinum eiusque fratres missae, quae et ipsae sunt tam pretiosa doctrinae documenta, ut nonnihil ex eis depromendum videatur.[1]

Exordium primae epistolae statum horum monachorum et simul statum quaestionis clare exponit: « Venerunt « ad nos duo iuvenes, Cresconius et Felix, de vestra con- « gregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt, mona- « sterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod « quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis « esse liberum arbitrium; quod est gravius, dicant, quod in « die iudicii non sit redditurus Deus unicuique secundum « opera eius.[2] Etiam hoc tamen indicaverunt, quod plures « vestrum non ita sentiant, sed liberum arbitrium adiuvari « fateantur, per Dei gratiam, ut recta sapiamus atque facia- « mus; ut cum venerit Dominus reddere unicuique secun- « dum opera eius, inveniat opera nostra bona, quae praepa- « ravit Deus ut in illis ambulemus.[3] Hoc qui sentiunt, bene « sentiunt ». Ecce Augustinum contra Lutheri et Iansenii antesignanos liberum arbitrium defendentem.

Allata Iesu sententia: « Non venit (Filius) ut iudicaret « mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum »,[4] egregie scribit: « Si igitur non est Dei gratia, quomodo salvat mun-

[1] Inter Augustini epistolas CCXIV et CCV. - *P. L.*, t. XLIV, col. 875 sqq.
[2] MATTH., XVI, 27; ROM., II, 6.
[3] EPHES., II, 10.
[4] IOANN., III, 17.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« dum? et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat « mundum »? Pauli verba: « Quis enim te discernit »,[1] semper se recipiens ad statum peccati originalis, sicuti ad terminum *a quo,* ita explicat: « Quod ideo dicit, quia de massa « illius perditionis quae facta est ex Adam, non discernit « hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contume- « liam, nisi Deus ».[2] Et circa finem, allata sententia Petri de difficilioribus in epistolis Pauli contentis, ait: « Ubi sen- « titis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, « quia et liberum arbitrium est hominis, et gratia Dei, sine « cuius auxilio liberum arbitrium non converti potest ad « Deum, nec proficere in Deo. Et quod pie creditis, ut etiam « sapienter intelligatis, orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, « ut sapienter intelligamus, est utique liberum arbitrium. Nisi « enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non « nobis praeciperetur, dicente Scriptura: " Intelligite ergo « qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite ,, ».[3]

Ex altera epistola haec excerpere placet. Post magnam laudem libri S. Cypriani de Oratione Dominica, Augustinus hisce verbis catholicam doctrinam comprehendit: « Quantum « potuimus, egimus ... ut in fide sana catholica perseverent: « quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam « sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei « valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive « ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sem- « piternum perveniat, ubi iam non timeat ne deficiat. Vos « quoque, charissimi, etiam in hac epistola exhortor, quod « nos omnes exhortatur Apostolus:[4] " non plus sapere, « quam oportet sapere; sed sapere ad temperantiam, sicut « unicuique Deus partitus est mensuram fidei ,, ».[5]

[1] I Cor., iv, 7.

[2] Solent quidam Augustino improperare hanc formulam uti duriorem. Improperent eam ipsi Paulo, a quo desumitur! (Rom. ix, 21). Quis vere catholicus neget, dogma peccati originalis, nisi diluatur *à l'eau de rose,* esse dogma austerum? Sed ipsam eius austeritatem mysteria Incarnationis et Redemptionis in dulcedinem verterunt.

[3] Ps. xcii, 8.

[4] Rom., xii, 3.

[5] In sequenti epistolae parte Augustinus ingeniosissime totam hanc doctrinam contentam exhibet in verbis *Proverbiorum.** « Attendite quid per Salomonem moneat

* Prov., iv, 26, 27.

His praemissis audiamus quomodo in exordio sui libri S. Doctor argumentum inducit:[1] « Propter eos qui hominis « liberum arbitrium sic praedicant et defendunt, ut Dei gra- « tiam qua vocamur ad eum, et a nostris malis liberamur « et per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam per- « veniamus aeternam, negare audeant et conentur auferre, « multa iam disseruimus, litterisque mandavimus, quantum « nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt « quidam, qui sic gratiam Dei defendant, ut negent homi- « nis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari « existiment liberum arbitrium; hic aliquid scribere ad « vestram charitatem, Valentine frater et caeteri qui simul « Deo vivitis, compellente mutua charitate curavi ».[2]

Quae duo, utpote revelata, tenenda sunt firmiter, etiamsi concordiae nexus inter utrumque non appareat. Et adductis verbis Apostoli: « Quotquot perfecti hoc sapiamus. Et si quid « aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: verumtamen « in quod pervenimus, in eo ambulemus », sapientissimum dat monitum: « Ambulando quippe in quod pervenimus, et « quo nondum pervenimus, pervenire poterimus, Deo nobis

« Spiritus Sanctus: " Rectos cursus, inquit, fac pedibus tuis et vias tuas dirige: ne « declines in dexteram, neque in sinistram, averte autem pedes tuos a via mala ,, ». Quod, ait, non diceretur « si non esset liberum arbitrium ». Ad sequentia verba: « Vias enim quae a dextris sunt novit Dominus »: utique « quia ipse fecit rectas, id « est, vias iustorum, quae sunt utique bona opera, quae praeparavit Deus, sicut « dicit Apostolus, " ut in illis ambulemus ,,.* Perversae autem sunt quae a sini- « stris sunt. Vias autem sinistras perversas, id est, vias impiorum non utique « novit, quia non eas ipse fecit homini, sed homo sibi.** Et tamen sine Dei gratia si « posset hoc fieri, non postea diceretur: " Ipse autem rectos faciet cursus tuos, et « itinera tua in pace producet ,, ».

Unum restat: « Cur ergo dixit: " Ne declines in dexteram, neque in sinistram ,, , « cum potius dicere debuisse videretur: Tene dextram, et ne declinas in sinistram !... « Declinare quippe ille intelligendus est in dexteram, qui bona ipsa opera, quae ad « vias dexteras pertinent, sibi vult assignare, non Deo ».

[1] Haec verba iam partim attulimus p. 517.

[2] Alibi fatetur, arduum esse problema, sed utrumque urget simul tenendum: « Ipsa enim ratio quae de iis rebus a talibus, quales sumus, iniri potest, quemlibet « nostrum quaerentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum « arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba « impietate ingrati Dei gratiae iudicemur ».***

* Ephes., ii, 10.

** Cf. Ps. i, 6; Matth., xxv, 12.

*** *De pecc. mer. et remiss.*, l. ii, c. 18.

« revelante si quid aliter sapimus, si ea quae iam revelavit « non relinquamus ».

Transit itaque Augustinus ad utramque veritatem ex fonte revelationis firmandam et illustrandam. « Revelavit « autem nobis Deus per Scripturas suas sanctas, esse in « homine liberum voluntatis arbitrium ». Qua veritate solidissime probata,[1] ad alteram veritatem firmandam accedit: « Sed metuendum est ne ista omnia divina testimonia et « quaecumque alia sunt, quae sine dubitatione sunt plurima, « in defensione liberi arbitrii, sic intelligantur, ut ad vitam « piam et bonam conversationem, cui merces aeterna debe- « tur, adiutorio et gratiae Dei locus non relinquatur; et « audeat miser homo, quando bene vivit et bene operatur, « vel potius bene vivere et bene operari sibi videtur, in « seipso, non in Domino gloriari, et spem recte vivendi in « se ipso ponere, ut sequatur eum maledictum Ieremiae pro- « phetae dicentis: "Maledictus homo qui spem habet in « homine, et firmat carnem brachii sui, et a Domino discedit « cor eius „ ».[2] Et illustrata vi huius loci, pergit: « Proinde « charissimi, sicut superioribus testimoniis sanctarum Scri- « pturarum probavimus, ad bene vivendum et recte agen- « dum esse in homine liberum voluntatis arbitrium; sic etiam « de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quae « sunt divina testimonia videamus ». Et ingeniose ab ipsa monastica vita, quae sine Dei gratia duci nequit, argumentum exorditur. Perpulchre[3] arguit ex Domini verbis: « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem »: « Si enim « dixisset Salvator noster: Vigilate, ne intretis in tenta- « tionem, admonuisse tantummodo videretur hominis volun- « tatem; cum vero addidit: "et orate „ », ostenditur Deum « adiuvare ne intretur in tentationem ». Et aliud simile argumentum addit: « Dictum de libero arbitrio: "Fili, noli « deficere a disciplina Domini „:[4] et Dominus dixit: "Ego « rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua „.[5] Homo

[1] A n. 2 ad 6m.
[2] Ierem., xvii, 5.
[3] Matth., xxvi, 41.
[4] Prov., iii, 11.
[5] Luc., xxii, 31.

« ergo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubea-
« tur ».[1]

Hic autem vehementer ex Scripturis impugnat Pelagium asserentem, secundum merita nostra Dei gratiam dari. Quod quam falsum sit, ex ipsa Pauli conversione ostendit. Quum autem data fuerit, ita gratia est meritorum initium, ut, si subtrahatur, homo stare nequeat. « Plane cum data « fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam « tamen; nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, « sed praecipitatus libero arbitrio ».[2] Pulcherrima sane sententia, caute tamen intelligenda!

Fortiter dein confutat evasionem Pelagii dicentis, non dari quidem secundum merita remissionem peccatorum; « illam vero quae datur in fine, id est, vitam aeternam, « meritis nostris praecedentibus reddi ». Ad quae reponit: « Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona « Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista senten- « tia ». Et allato textu Pauli: « Quis te discernit, etc. »,[3] ait: « Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi a te ipso, « non ab illo sunt merita ».[4]

Et paucis interiectis, urget quaestionem: « Quomodo est « gratia vita aeterna, quae ex operibus sumitur? ».[5] Et respondet: « Ista quaestio nullo modo mihi videtur posse dis- « solvi, nisi intelligamus et ipsa bona opera nostra quibus « aeterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere ».[6] Et claudit per distinctionem superius expositam inter gratiam et gratiam pro gratia.

Transit dein ad aliam Pelagii interpretationem excludendam dicentis, gratiam esse ipsam legem. Qua facilius depulsa, gressum movet ad subtiliorem instantiam, quae iam Semipelagianismum sapit, quasi gratia daretur bonae voluntati initiali: « quia praecedit bona voluntas orantis, quam « praecessit voluntas credentis, ut secundum haec merita

[1] Op cit., n. 9, col. 887.
[2] Loc. cit., cap, 6, n. 13, col. 889.
[3] I Cor., iv, 7.
[4] Loc. cit., n. 15, col. 890.
[5] Ibid., n. 19, col. 892.
[6] Ibid., n. 20.

« gratia sequatur exaudientis Dei ».[1] Et ostensa falsitate huius evasionis, de qua superius fuse disputavimus, probat neque haec bona initia esse a gratia excipienda.

His robuste utrumque firmatis, servat partem libertatis sub ipso influxu gratiae: « Ne autem putetur, nihil ibi « facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in psalmo « dicitur: " Nolite obdurare corda vestra „ ».[2] Iam alibi, agentes de distinctione inter gratiam efficacem et sufficientem, plura ex hoc expositionis loco attulimus. Sententia S. Augustini tota continetur his formulis: « Certum « est, nos mandata servare, si volumus: sed quia praepa- « ratur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum « velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est « nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum « de quo dictum est: " Praeparatur voluntas a Domino „.[3] « Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit ut facia- « mus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: « " Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, ut iudicia « mea observetis et faciatis „ ».[4]

Ex his verbis iam apparet, qualem efficaciam gratiae Augustinus concipiat, illam scilicet quae magis magisque trahendo, obstacula vincit, et intentum a libera voluntate obtinet. Hoc sensu pergit: « Qui ergo vult facere Dei man- « datum et non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, « sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem cum magnam « habuerit et robustam. Quando enim martyres magna illa « mandata fecerunt, magna voluntate, hoc est, magna cha- « ritate fecerunt ... Et quis istam etsi parvam dare coeperat « charitatem, nisi ille qui praeparat voluntatem, et coope- « rando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut « velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur per- « ficiens ».[5] Verba autem sequentia: « Ut ergo velimus, sine « nobis operatur »: ita sunt intelligenda ut concordent cum praecedenti sententia: « Certum est nos velle cum volumus ».

[1] Ibid., cap. 14, n. 27, col. 897.
[2] Ibid., cap. 15, n. 31, col. 899.
[3] Prov., viii, ser. lxx.
[4] Loc. cit., cap. 16, n. 32, col. 900 sq.
[5] Ibid., cap. 17, n. 33, col. 901; cf. longiorem textum allatum p. 318 sq.

Sensus est igitur, illam mysteriosam actionem gratiae quae facit ut bona velimus, esse a Deo, non a nobis.

Victoriam itaque gratiae Augustinus derivat a charitate animam seu voluntatem gradatim invadente aut subitaneo impetu eam attrahente et roborante. « Sarcina quippe illa « Christi, quae infirmitati gravis est, levis efficitur charitati ». Unde laudem charitatis, Paulo praecinente, celebrat. Omnia autem praecepta charitatis « inaniter darentur hominibus, « non habentibus liberum voluntatis arbitrium ».[1] Est tamen Dei opus in nobis charitas: « Nemo vos fallat, fratres mei: « quia nos non diligeremus Deum, nisi nos prior ipse dili- « geret... Gratia nos facit leges dilectores, lex vero sine « gratia nonnisi praevaricatores facit ».[2]

Ad finem libri prope accedens, Augustinus ait: « Satis « me disputasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehe- « menter oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed « ex mala mutatur in bonam, et cum bona fuerit adiuvatur; « et sic disputasse, ut non magis ego, quam divina ipsa Scri- « ptura vobiscum locuta sit evidentissimis testimoniis veri- « tatis ».[3] Et pergit ostendendo variis exemplis altissimum Dei consilium quo utitur etiam mala hominum voluntate, ut suos fines per eos assequatur: « Ecce quomodo probatur « Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiu- « mentum bonorum. Sic usus est Iuda tradente Christum, « sic usus est Iudaeis crucifigentibus Christum. Et quanta « inde bona praestitit populis credituris! ».[4] Et adductis aliis exemplis concludit: « His et talibus testimoniis divinorum « eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum est, « satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in « cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quo- « cumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive « ad mala pro meritis eorum, iudicio utique aliquando aperto, « aliquando occulto, semper tamen iusto... Si autem potens « est, sive per Angelos, vel bonos vel malos, sive quocum- « que alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro

[1] Ibid., cap. 18, n. 37, col. 905.
[2] Ibid., n. 38, col. 904.
[3] Ibid., cap. 20, n. 41, col. 905 sq.
[4] Ibid., col. 907.

« meritis eorum, quorum malitiam ipse non fecit, sed aut « originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam « voluntatem: quid mirum est, si per Spiritum Sanctum ope- « ratur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus « est ipse ut corda essent ex malis bona? ».

Et totum argumentum hac comprehendit synthetica sententia: « Reddet omnino Deus et mala pro malis, quo- « niam iustus est; et bona pro malis, quoniam bonus est; et « bona pro bonis, quoniam bonus et iustus est; tantummodo « mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus non est. Red- « det ergo mala pro malis, poenam pro iniustitia; et reddet « bona pro malis, gratiam pro iniustitia; et reddet bona pro « bonis, gratiam pro gratia ».[1]

Sistamus iam et ex huius libri analysi Augustini mentem de concordia inter gratiam et liberum voluntatis arbitrium deducamus. Sint igitur sequentes conclusiones.

1) Augustini systema de hoc argumento est ordinis theologici, non philosophici. Non arguit S. Doctor ex impotentia quod voluntas creata in actum procedat nisi a primo motore moveatur. Non affirmat impossibilitatem ut, etiam in ordine naturae, libera voluntas creata, nisi a Deo physice praedeterminetur, se possit determinare. Nihil huiusmodi in Augustini scriptis. Utrumque ex Scripturis demonstrat: tum hominis liberum arbitrium, tum gratiae divinae necessitatem et efficaciam.

2) Hypothesis in qua Augustinus semper loquitur, est hypothesis humani generis lapsi,[2] qui de malo cui immergitur, non potest nisi per Dei et Christi gratiam liberari. Quare rursus necessitas huius gratiae non derivatur ex hoc quod voluntas humana est intrinsece dependens a Deo primo motore; sed ex hoc quod a malo ad bonum indiget superno auxilio transferri, in bono servari et ad finem deduci. « Intel-

[1] Ibid., cap. 23, n. 45, col. 914.

[2] Ita alibi de fidei dono loquens, haec habet: « Cur autem non omnibus datur, « fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem, sine « dubitatione iustissimam: ita ut nulla esset Dei iusta reprehensio, etsi nullus inde « liberaretur. Unde constat, magnam esse gratiam qua plurimi liberantur, et quid « sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis « meritis, sed in Domino glorietur ». *

* *De praedest. SS.*, cap. 8, n. 16. - *P. L.*, t. XLIV, col. 972.

« ligenda est enim gratia Dei », ait in sequenti libro *De correptione et gratia,* ad eumdem Valentinum eiusque monachos directo, « per Iesum Christum Dominum nostrum, qua « sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prior« sus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo « faciunt bonum: non solum ut monstrante ipsa quid facien« dum sit sciant, verum etiam ut praestante ipsa faciant « cum dilectione quod sciunt ».[1]

3) Efficaciam autem huius gratiae semper concipit ad modum efficacioris virtutis,[2] quae illuminando, trahendo, maxime amoris stimulos urgendo, illaesa libertate volentis et agentis, obstaculum superat. Ulterius autem S. Augustinus non progreditur. In hoc consistit illa delectatio victrix, qua Iansenius tantopere abusus est quasi libertatem tolleret, et quam etiam nonnulli e schola Augustiniana, nostro iudicio, non satis prudenter explicaverunt. Quando igitur S. Doctor dicit: « Quod amplius nos delectat, secundum id ope« remur necesse est », nihil aliud intendit quam affirmare legem fundamentalem quae regit mechanismum nostrae voluntatis, quodque in re philosophica vocant iudicium ultimum practicum. Bene id illustrat Fenelonius: « Il veut seu« lement dire que notre conduite est toujours décidée par « nos plus fortes volontés... C'est donc une réflexion morale « qui est incontestable, et non pas une explication dogmati« que de notre liberté et du pouvoir de la grâce sur nous ».[3]

4) Haec autem delectatio victrix, cui S. Augustinus tam saepe efficaciam gratiae attribuit, non est sensibilis voluptas, quae eligendum reddit magis dulce, sed altior tractio spiritualis, quae faciendum fortius suadet;[4] potest tamen, ubi maiori charitate informatur, delectationem veram involvere. Est insuper delectatio cum deliberatione coniuncta, non indeliberata, quae veluti obreptitie voluntatem secum trahit, ad summum voluntarie, sed non libere sequentem.[5]

[1] Cap. 2, n. 3, col. 917.

[2] Cf. textum Card. Bellarmini p. 387 allatum.

[3] Op. cit. 1. *Lettre*. 2. *Question de la délectation délibérée.*

[4] Cf. quae de natura huius delectationis addemus, ubi de systemate dicto Augustiniano agemus.

[5] De indeliberata hac delectatione bene rursus Fenelonius: « La délectation indé« libérée, c'est-à-dire le plaisir prévenant qui est en nous sans nous, ne peut rien

5) Quomodo autem Deus per gratiam ineffabiliter obtineat effectum bonum a se intentum, voluntatem liberam eo movendo quo eam conducere vult, quin ullam eiusdem libertati violentiam ingerat, Augustinus nusquam ope cuiusdam philosophicae theoriae, quae etiam in ordine naturae suam vim servet, ulterius explicare conatur. Quare censemus, rectum esse iudicium Fenelonii: « Il est vrai que St Augus- « tin a parlé souvent de la délectation, mais en la prenant « pour notre propre vouloir, en supposant toujours avec « les Pélagiens contre les Manichéens, que cette délectation « dépend de nous, et que la grâce, quelque forte qu'elle soit, « nous laisse, dans son actuelle opération, entre vouloir et « ne vouloir pas. " Consentire autem vel dissentire propriae « voluntatis est „ ».[1] Et sane de modo huius efficaciae cum Pelagianis non agebatur: « Il ne voulait qu'établir le dogme « contesté par les Pélagiens, savoir, que Dieu s'assurait du « vouloir des élus, en leur donnant une grâce spéciale pour « les faire certainement vouloir, qu'il ne donnait pas à ceux « qui n'étaient qu'appelés. Comment il s'en assurait, c'est de « quoi il n'était nullement question, et qu'il n'avait garde de « s'engager à traiter à fond. C'est le mode philosophique, « duquel le dogme de foi est indépendant ».[2] Et, paucis interiectis, recte addit: « Une grande preuve que St Augustin « ne va pas plus loin, c'est qu'il emploie souvent, surtout « dans le livre *De gratia et libero arbitrio* et dans celui *De la « prédestination des Saints,* des expressions aussi fortes pour « les crimes des impies que Dieu tourne selon ses desseins, « que pour la persévérance des justes ».[3]

6) Hanc esse Augustini veram mentem, urgetur ex celebri distinctione quam fuse exponit praesertim in libro *De prae-*

« expliquer sur l'opération de la grâce. Pendant que ce plaisir nous affecte et après « même qu'il nous a affectés, la volonté est encore censée indifférente d'une indif- « férence active et en équilibre pour vouloir ou ne vouloir pas; car ce plaisir n'a « aucune connexion nécessaire de causalité avec notre vouloir ... Ainsi ceux qui ont « tant vanté la délectation indélibérée pour expliquer la grâce victorieuse, n'ont rien « entendu, n'ont rien dit d'intelligible, n'ont rien expliqué, ont tout renversé, et ne « sont ni philosophes ni théologiens ». *

[1] *De spir. et litt.,* c. 34, n. 60.

[2] Ibid. 2. *Question,* etc.

[3] Cf. textum superius allatum.

* Op. cit., ibid. 1. *Question sur la délectation indélibérée.*

destinatione Sanctorum,[1] inter auxilium *sine quo non,* et auxilium *quo*. Quae distinctio in systemate Thomistico rigidiore caret fundamento, et non nisi in alio explicatur sensu, quem Augustinus non intendit.

7) Censemus proin, nihil esse quod in Augustini scriptis nos cogat ut affirmemus, magnum hunc Doctorem antesignanum fuisse systematis quale inde, imprimis post Bannez, a recentioribus Thomistis defenditur. Imo totus modus loquendi Augustini suadet, eum modum potius philosophicum solvendi problema non solum prae oculis non habuisse, sed alia eum id solvisse via stricte theologica, quae fortiter quidem proclamat gratiae efficaciam, sed amplius spatium relinquit humanae libertati.

8) Nec ideo ullatenus censemus, Augustinum in ea fuisse sententia quam postea Molina aut imo Suarez erant defensuri. Tantam enim tribuit gratiae efficaciam, connexam cum Dei providentis et praedestinantis proposito, ut cum systemate Molinistico componi nullo modo possit. Nec cum Suarezio convenit. Nam licet iste theologus, magni sane nominis,[2] quatenus, haud secus ac Bellarminus, tuetur gratiam congruam ex divino proposito, ad Augustinum longe magis appropinquat; ab eo tamen funditus recedit, quatenus efficaciam huius gratiae congruae ope scientiae mediae explicat. Quantopere Augustinus fuerit alienus a mente auctoris famosae *Concordiae,* ostendit quod scripsit in celebri sua epistola *Ad Vitalem,* in qua anticipative Molinisticum conceptum exponit et reiicit. Quem textum, etsi longiorem, ob singulare eius momentum, attulisse non pigeat: « An « forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent « alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et « illud verum sit: " Multi vocati, pauci electi „; ut, quamvis « multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno « modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei

[1] Cf. textum superius p. 253 allatum et quae ibi de hac distinctione diximus, necnon p. 390 sqq.

[2] Minus placet modo quo rigidiores quidam Thomistae de Suarezio loquuntur. Potest enim ab Angelico longe superari, quin ideo sit minuendus. Est enim haec Aquinatis, sicut Augustini excellentia, quod sub se tot alios habeant, licet acumine et eruditione mirabiles.

« capiendae reperiuntur idonei; et illud minus verum sit: « " Igitur non nolentis, neque currentis, sed miserentis est « Dei „, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis « qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio qui- « dem pervenit, sed quia talis fuit qua moveri non possent, « nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, « sed non electi; at iam non similiter verum est: " Igitur « non miserentis Dei, sed volentis et currentis est hominis „. Nonne haec est ipsa sententia quam postea erunt defensuri Molinistae, quorum proin sententiam Augustinus non censet satis consentaneam modo loquendi Scripturarum? Quod illustrare pergit: « Quia non potest effectus miseri- « cordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille mise- « reatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum mise- « reri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset ut et « moverentur, et intelligerent, et sequerentur ». Et concludit: « Verum est ergo: " Multi vocati, pauci electi „. Illi enim ele- « cti qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant « neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non « secuti, quamvis vocati. Item verum est: " non volentis, « neque currentis, sed miserentis est Dei „; quia etiamsi « multos vocet, eorum tantum miseretur, quos ita vocat « quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est « autem, si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis « atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra « miseretur: cuius autem miseretur, sic eum vocat quomodo « scit ei congruere ut vocantem non respuat ».[1]

Quae ultima sententia, sicut Molinismum excludit, ita nec cum recentiori Thomismo concordare videtur; sed, latiori sensu generico, ponit congruismum, cuius tamen effectus non petitur a scientia media, uti vult Suarez, sed ab ipsa potenti et sapienti actione praeordinantis Dei.

Quantopere autem mens Augustini concordet cum doctrina Scripturarum, imprimis S. Pauli, est manifestum. Nec mirum, quum tam acuti ingenii vir, contra Pelagianos veluti Ecclesiae nomine disputans, ad sacras paginas oculos mentis affixos tenuerit, et humili oratione earum intelligentiam a

[1] *Ad Simplic.*, q. 2, num. 13.

Deo instanter efflagitaverit. Manifestum est pariter, intimam dari concordiam inter modum loquendi Augustini et doctrinam Conciliorum et orationes Ecclesiae.

Qualiter autem cum systemate dicto Augustiniano concordet, et cum mitiori Thomismo componi possit, data opera inquiremus, ubi ad has sententias exponendas accedemus.

II. - De mente S. Anselmi.

In celebri dialogo *de Libero arbitrio* S. Anselmus solito acumine investigavit essentiam liberi arbitrii.[1] Argumentum autem nostrum speciali modo pertractavit in tertia parte libri cui titulus: *Tractatus de concordia praescientiae et praedestinationis,*[2] *necnon gratiae Dei cum libero arbitrio.* Ad doctrinam quam circa hanc tertiam quaestionem exponit, praesentem analysim limitabimus.

En quomodo disputationem inducit: « Quaestio ista inde « nascitur, quia divina Scriptura ita loquitur aliquando ut « nihil videatur liberum arbitrium prodesse ad salutem, sed « sola gratia; aliquando vero, velut tota nostra salus in libera « nostra consistat voluntate ».[3] Et adductis textibus in corroborationem utriusque asserti, concludit optime: « Quoniam « ergo in sacra Scriptura quaedam invenimus, quae soli gra- « tiae favere videntur; et quaedam, quae solum liberum « arbitrium statuere sine gratia putantur, fuerunt quidam « superbi, qui totam virtutum efficaciam in sola libertate « arbitrii consistere sunt arbitrati; et sunt nostro tempore « multi, qui liberum arbitrium esse aliquid penitus despe- « rant ».[4] Et addit prudentissime: « In hac itaque quaestione

[1] Plura ex hoc dialogo attulimus ubi de libero arbitrio data opera egimus. Vehementer in exordio huius subtilis inquisitionis S. Anselmus excludit, potestatem peccandi esse de essentia liberi arbitrii, quod ab eo ita definitur: « Potestas ser- « vandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem ».*

[2] De hac primâ quaestione huius tractatus plura attulimus agentes de praescientia et de praedestinatione. **

[3] Cap. 1. - *P. L.*, ibid., col. 521.

[4] Notanda distinctio inter illud « fuerunt quidam » et « sunt nostro tempore « multi ». Ex quo apparet, S. Anselmi tempore, vix contra adversarios gratiae,

* Cap. 3. - *P. L.*, t. CLVIII, col. 494. - Cf. nostrum t. VII, p. 394 sqq.

** *De Deo uno*, t. II, p. 102 sqq.; p. 523 sq.

« haec erit nostra intentio, ut liberum arbitrium simul esse « cum gratia, et cum ea operari in multis monstremus ».[1]

Posito itaque problemate eodem prorsus modo quo id ponere solebat Augustinus, Anselmus, haud secus ac Hipponensis, problema ad praesentem hominis statum contrahit: « Sciendum est quia, sicut non de alio libero arbitrio fit haec, « ut supra dixi, quaestio nisi de illo sine quo salutem nemo « meretur, postquam intelligibilem habet aetatem; ita non « de alia gratia quam de illa sine qua nullus salvatur homo ». Et illustrat assertum, afferendo utriusque exemplum: « Omnis « enim creatura gratia existit, quia gratis facta; et multa « bona dat Deus per gratiam in hac vita, sine quibus homo « salvari potest. In infantibus quidem, qui baptizati moriun- « tur, antequam suo possint uti arbitrio, non apparet con- « cordia quam quaerimus: quoniam in illis gratia sola ope- « ratur salutem, sine illorum libero arbitrio. Nam hoc quo- « que gratia est quia datur aliis voluntas ut illis sua fide « subveniat. In habentibus itaque intelligibilem aetatem « monstrandum est, quod investigamus; quia de illis solum « versatur haec quaestio ».[2]

Totam autem argumentationem hisce praepositionibus stringit: « Quicumque ex his salvantur, per iustitiam salvari « dubium non est »; quod fuse probat. « Si ergo possumus « ostendere nullam creaturam hanc adipisci posse rectitudi- « nem », – in qua demonstravit reponi iustitiam, – « nisi per « gratiam, manifesta erit inter gratiam et liberum arbitrium, « ad salvandum hominem, concordia quam quaerimus ».[3]

superata antica procella Pelagiana, sed, per excessum oppositum, contra adversarios liberi arbitrii fuisse dimicandum. Certum est, Goteschalcum, qui antiquum praedestinianismum saeculo IX instauravit, non paucos tunc habuisse asseclas, qui sane in Anselmi aetate habuerunt successores, ita ut Abaelardus, etsi quoad peccatum originale Pelagium, sicuti quoad Trinitatem Arium, et quoad Incarnationem Nestorium evocabat,* in hac quaestione praedestinianismo potius faveret.

[1] Ibid., col. 522. Quae addit verba: « sicut illud cum praescientia atque prae- « destinatione concordare reperimus », non ita intelligenda sunt, ac si utraque solutio eadem via peteretur, quod neque « Molinista » absolute concederet; sed, ut affirmetur, non minus haberi concordiam in hac ultima quaestione, quam in duabus praecedentibus.

[2] Ibid., cap. 2.

[3] Ibid., col. 523.

* Cf. epist. S. Bernardi ad Caelestinum II.

Argumentatio S. Anselmi ad haec reducitur. Rectitudo voluntatis, qua homo salvatur, non nisi per gratiam obtinetur, et concurrente utique libero arbitrio non nisi per gratiam conservatur. Unde ait: « Deo igitur largiente, invenimus gratiam eius ad salvandum hominem cum libero arbitrio concordare; ita ut gratia sola possit hominem salvare, nihil eius libero arbitrio agente, sicuti fit in infantibus, et in intelligentibus ipsa semper adiuvet liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam servat per liberum arbitrium ».[1] Et pergit distinctionem Augustini recolendo, eamque, sensu sane parumper diverso, applicando: « Si autem voluntas per liberum arbitrium quod accipit, meretur aut augmentum acceptae iustitiae, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut praemium aliquod; haec omnia fructus sunt primae gratiae, et gratia pro gratia; et ideo totum imputandum est gratiae, quia " neque volentis est „ quod vult, " neque currentis est „ quod currit; sed miserentis est Dei.[2] Omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur: " Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? „ ».[3]

Nec satis. Iam sub hac ipsa gratia partes liberi arbitrii et ipsius gratiae sunt attentius considerandae. Absit enim ut, iuxta Anselmum, gratia, post datam rectitudinem, liberum arbitrium suis viribus relinquat. Recolit Anselmus, se in dialogo de libero arbitrio fuse exposuisse, quomodo, illaeso libero arbitrio, iustus ad peccatum allectus iustitiam amittat. Alterum heic magis illustrandum et firmandum est. « Quibus autem modis, post eamdem rectitudinem acceptam, liberum arbitrium gratia adiuvet ut servet quod accepit: quamvis non omnes valeam enumerare, multifariam enim hoc facit, tamen non erit inutile aliquid inde dicere ». Tanti momenti est haec expositio ut, licet longiorem, eam quasi ex integro heic transcribendam censeam.

« Nemo certe servat rectitudinem hanc acceptam, nisi volendo; velle autem illam aliquis nequit, nisi habendo;

[1] Cap. 3, col. 524.
[2] Rom., ii 16.
[3] 1 Cor., iv, 7.

« habere vero illam nullatenus valet, nisi per gratiam. Sicut « ergo illam nullus accipit, nisi gratia praeveniente, ita « nullus eam servat, nisi eadem gratia subsequente ». Quae sane argumentatio virtute careret, nisi in mente Anselmi inter gratiam acceptam et liberum arbitrium tam intima esset connexio, ut ad modum unius sint consideranda. Pergit: « Nempe, quamvis illa servatur per liberum arbitrium, « non tamen est tantum imputandum libero arbitrio quan- « tum gratiae, cum haec rectitudo servatur; quoniam illam « liberum arbitrium nonnisi per gratiam praevenientem et « subsequentem habet et servat ». En aliam Augustini distinctionem. « Sic enim gratia subsequitur donum suum, ut « nunquam, sive parvum sive magnum sit, nisi liberum ar- « bitrium volendo aliud, rectitudinem quam accepit, deserat. « Nunquam enim separatur haec rectitudo a voluntate, nisi « quando aliud vult quod huic rectitudini non concordat; « sicut, cum quis accipit rectitudinem volendi sobrietatem, « et reiicit eam volendo immoderatam bibendi voluptatem. « Quod cum facit sua voluntate et ideo sua culpa, perdit « gratiam quam accepit ».

Ulterius autem progreditur haec activitas, quam gratia dupliciter explicat, tum impediendo malum, tum stimulando bonum. « Adiuvat etiam gratia liberum arbitrium, quando « ut deserat rectitudinem acceptam impugnatur, mitigando « aut penitus removendo vim tentationis impugnantis, aut « augendo affectum eiusdem rectitudinis. Denique, cum « omnia subiiciant dispositioni Dei, quidquid contingit ho- « mini, quod adiuvet liberum arbitrium ad accipiendam aut « ad servandam hanc, de qua loquor, rectitudinem, totum « gratiae imputandum est ».[1]

Iuxta haec igitur intelligendae sunt Scripturae: « Si bene « considerentur quae dicta sunt, aperte cognoscitur quia « cum aliquid Sacra Scriptura pro gratia, non amovet omnino « liberum arbitrium; neque cum loquitur pro libero arbitrio, « excludit gratiam ».[2] Et hanc applicationem illustrat per comparationem superius allatam de nudo accepta veste induto, et claudit per alteram pariter iam adductam de prole

[1] Cap. 4, col. 524 sq.
[2] Cap. 4, col. 525 sq.

nata: « Sicut ergo, quamvis naturalis usus non procreet « prolem sine patre, nec nisi per matrem, non tamen remo- « vet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione « prolis, ita gratia et liberum arbitrium non discordant, « sed conveniunt ad iustificationem et salvandum hominem ».[1]

In illustranda priori comparatione Anselmus iterum clare ostendit, se semper loqui iuxta conditionem humani generis lapsi et per gratiam reparati: « Ita cum Deus, alicui con- « cepto et nato in peccato, cui nihil nisi poenam debet, dat « velle et currere; non est volentis, neque currentis, sed « miserentis est Dei ».[2] Qui terminus *a quo*, scilicet universalis lapsus, in sequentibus magis fit manifestus.

Duplicem iam sibi S. Doctor opponit difficultatem.

Primam ita formulat: « Quaeritur, cur hominem (Scri- « ptura) invitat ad recte volendum, et quare arguit non obe- « dientem, cum ipsam rectitudinem nemo possit, nisi gratia « dante, habere vel recipere ». Quaesiti solutionem per elegantissimam comparationem exorditur ex agriculturae arte desumptam: « Sicut terra innumerabiles herbas et arbores, « sine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus peri- « mitur, sine omni hominis cura profert; illas vero, quae « nobis ad vitam nutriendam maxime sunt necessaria, non « sine magno labore atque cultura, nec absque seminibus; « ita corda humana sine doctrina sive studio sponte quasi « germinant cogitationes et voluntates nihil utiles saluti, « aut etiam noxias; illas vero, sine quibus ad salutem ani- « mae non proficimus, nequaquam sine generis sui semine « et laboriosa cultura concipiunt et germinant. Unde illos « homines, quibus talis cura impenditur, agriculturam Dei[3] « vocat Apostolus ».[4] Et pergit celebrando fecunditatem verbi Dei, quod ita est semen, ut tamen a bona voluntate accipi debeat, ne sit semen sine germine, ad quod requiritur et gratia. « Cum dicit Deus: "Convertimini ad me",[5] « semen est sine germine, quamdiu hominis voluntatem non

[1] Ibid.
[2] Ibid.
[3] I Cor., III, 9.
[4] Ibid., cap. 6, col. 527.
[5] Is., XLV, 22: etc., etc.

« convertit Deus ad volendam conversionem quam cogitat, « cum audit "convertimini„, sine quo semine nullus potest « converti. Dicitur etiam conversis: "Convertimini„, aut « ut magis convertantur, aut ut servent quod conversi sunt. « Qui vero dicunt: "Converte nos, Deus„,[1] iam aliquatenus « conversi sunt; quia rectam voluntatem habent, cum vo- « lunt converti; sed orant per hoc quod iam acceperint, ut « augeatur eorum conversio, sicut illi credentes "Auge « nobis fidem„ dixerunt.[2] Ac si dicerent illi et isti: Auge « in nobis quod dedisti; perfice quod coepisti ».[3] Et concludit redeundo ad initialem comparationem. Licet non omnia semina germinent, nihil tamen germinat sine seminibus. « Et quamvis Deus non faciat cuncta huiusmodi se- « mina germinare, tamen praecipit agricolis suis in spe « instantissime verbum suum seminare ».[4] Et concludit: « Ostendimus, ut puto, quomodo non sit supervacaneum « homines ad fidem Christi, et ad ea quae fides erigit invi- « tare, quamvis non omnes hanc invitationem suscipiant ».[5]

Sed in promptu est instantia seu altera difficultas: « Dixi « etiam posse quaeri, cur arguantur illi qui verbum Dei non « suscipiunt, cum hoc facere nequeant, nisi gratia eorum « voluntates dirigente ».[6] Fatetur Anselmus instantiam non carere premente virtute: « Ad quod licet forsitan difficile « sit respondere; quod tamen Deo dante possum, tacere non « debeo ».

Gressum movet a conditione lapsa humani generis. « No- « tandum est quia impotentia quae descendit ex culpa, non « excusat impotentem, culpa manente. Unde in infantibus, « in quibus exigit Deus a natura humana iustitiam, quam « accepit in primis parentibus cum potestate servandi illam « in omnem prolem suam, non excusat eam impotentia ha- « bendi iustitiam; hoc ipsum namque, quia non habet quod « per se resumere nequit, est illi habendi impotentia; in

[1] Ps. LXXXIV, 5.
[2] LUC., XVII, 5.
[3] Ibid., col. 528 sq.
[4] Ibid., col. 529.
[5] Ibid.
[6] Cap. 7. Et adducit IOANN., XVI, 8.

« quam ideo cecidit, quia sponte deseruit quod servare po-
« tuit. Quoniam ergo peccando deseruit iustitiam, ad pec-
« catum illi imputatur impotentia, quam ipsa peccando sibi
« fecit. Nec solum impotentia iustitiam habendi, sed etiam
« impotentia illam intelligendi, similiter in non baptizatis
« imputatur ad peccatum; quoniam pariter descendit a pec-
« cato ».[1] Et post exposita quae in conditione lapsa origi-
nale peccatum arguunt, claudit solutionem his verbis:
« Si quis ergo quae dixi diligenter considerat, nullatenus
« eos qui propter culpam suam verbum Dei suscipere ne-
« queunt, recte arguendos dubitat ».[2]

Occasionem inde sumit Anselmus nonnihil addendi de conditione lapsae nostrae naturae; investigandi scilicet, cur, etsi per Baptismum tota culpa deleatur (cap. 8), effectus tamen peccati originalis in baptizatis remaneant (cap. 9). Unde pergit ostendendo, difficultatem quam homo experitur agendi bonum, non esse argumentum ad negandum liberum arbitrium (cap. 10). Quod eum conducit ad penitius scrutandam humanam voluntatem, sive in bonum sive in malum, et explicandi undenam voluntas facta sit tam prona in malum (cap. 11 sqq.). Quae ultima capitula, utpote minus directe ad argumentum nostrum pertinentia, indicasse sufficiat.

Ex dictis concludere licet, S. Anselmum in quaestione de concordia inter liberum arbitrium et gratiam omnino convenire cum S. Augustino. Theologice enim non philosophice argumentum tractat, prae oculis habitis Scripturae textibus qui utramque veritatem de libero arbitrio et de gratia proclamant; et in solutione semper arguendo a conditione praesenti hominis in peccati originali nati, et, etiam post acceptum Baptisma, peccato originalis vulneribus infirmati. Ubi autem S. Anselmus penitius scrutatur actionem Dei in humanam voluntatem, sive ut peccato resistat, sive ut in iustitia progrediatur, eisdem prope expressionibus utitur a S. Augustino adhiberi solitis; recurrit quidem ad Dei potentiam, quin unquam se recipiat ad theoriam philosophicam, in ordine etiam naturae tenendam, de Deo ita

[1] Ibid., col. 529 sq.
[2] Ibid., col. 530.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

primo motore, ut creatum liberum arbitrium sit incapax seipsum determinandi, quin ad hoc ipsum physice a Deo praedeterminetur. Quare nullam adesse credimus solidam rationem ob quam in praesenti quaestione S. Anselmus possit rigidioris Thomismi antesignanus haberi; quum e contra constet, eum S. Augustini doctrinam fideliter exhibere.

III. - De mente S. Bernardi.

Quemadmodum pro S. Augustino et pro S. Anselmo egimus, ita et S. Bernardi mentem investigabimus, analysim exhibendo *Tractatus de gratia et libero arbitrio,*[1] in quo data opera de praesenti argumento agit. Etsi in hac dissertatione S. Doctor non adducit auctoritatem S. Augustini, facile est animadvertere quantopere cum Africani Doctoris doctrina concordet. Nec mirum, quum uterque in Paulum ingenii aciem defixam teneat.

Occasio huius tractatus, ad Guillelmum abbatem Sancti Theodorici, anno 1128, conscripti, auctore nondum trigesimum octavum aetatis suae annum attingente, ostendit librum esse gratiae apologiam. Audiatur S. Bernardus: « Loquente me coram aliquando, et Dei in me gratiam « commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono et prae- « ventum agnoscerem, et provehi sentirem, et sperarem « perficiendum: " Quid tu ergo, ait unus ex circumstantibus, « operaris; aut quid mercedis speras vel praemii, si totum « facit Deus? - Quid enim, inquam, tu consulis? - Da, in- « quit, gloriam Deo, qui gratia te praevenit, excitavit, ini- « tiavit; et vive digne de caetero, quo te probes et perce- « ptis beneficiis non ingratum, et percipiendis idoneum. - « Et ego: Bonum, inquam, consilium das, sed si dederis et « posse teneri „ ». Et pergit ostendendo interesse inter scire, velle et perficere. Unde, allatis sententiis Pauli,[2] exclamat: « Quid enim? Tu forte putaveras tua te creasse merita, tua « posse salvari iustitia, qui nec saltem Dominum Iesum « dicere potes nisi in Spiritu Sancto.[3] Plane oblitus es quis

[1] *P. L.*, t. CLXXXII, col. 1001-1030.
[2] ROM., VII, 18; PHILIPP., II, 13; I TIT., III, 5.
[3] I COR., XII, 3.

« dixerit: "Sine me nihil potestis facere;„[1] et: " Neque « currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei „ ».[2]

« " Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? - Breviter « respondeo: Salvatur „ ».[3] Genialis prorsus responsio, quae ab ipso tractatus initio ostendit, Bernardum in toto hoc elucidando problemate conditionem originalis lapsus prae oculis habere. Quod et inferius non semel declarabit, et ex tota tractatione manifeste apparet.

Pergit: « Tolle liberum arbitrium, et non erit quod sal- « vetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc « sine duobus effici non potest: uno a quo fit; altero cui « vel in quo fit. Deus auctor est salutis, liberum arbitrium « tantum capax: nec dare illam, nisi Deus; nec capere valet, « nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo et soli datur « libero arbitrio, tam absque consensu esse[4] non potest « accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiae ope- « ranti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum « consentit. Consentire, salvari est ».[5]

Occasionem hinc arripit S. Bernardus ut subtiliter de libertate et libero arbitrio disserat (cap. 2) et conferat inter se libertatem naturae, gratiae et gloriae, seu libertatem a necessitate, a peccato et a miseria (cap. 3);[6] unde pulchras conclusiones deducit quoad conditionem beatorum hominum in caelis, et conditionem hominum in terris, in quibus tamen quidquid est de libertatis essentia, salvatur (cap. 4). « Nunc « autem, cum multa per iudicium vel admittenda vel omit- « tenda esse decernamus, quae tamen per consilium nequa- « quam pro iudicii rectitudine aut eligimus aut conte- « mnimus; rursumque non omnia quae tanquam recta et « commoda consulte observamus, etiam ut beneplacita li- « benter amplectimur, sed insuper quasi dura ac molesta « vix aequanimiter ferre perduramus; liquet, quia liberum « nec consilium habemus, nec complacitum ».[7] Postquam

[1] Ioann., xv, 5.
[2] Rom., ix, 16.
[3] Cap. 1, n. 1, 2; col. 1001 sq.
[4] Alias « effici ».
[5] Ibid.
[6] Cf. in t. VI nostra *Summae* dissertationem de libero hominis arbitrio.
[7] Cap. 4, n. 11, col. 1008.

autem investigavit (cap. 5) quousque haec libertas consilii et complaciti obtineri possit in hoc saeculo, concludit: « Caeterum libertas arbitrii, ... cunctis pariter ratione uten- « tibus convenit; non minor, quantum in se est, in malis « quam in bonis: tam plena in hac saeculo, quam et in fu- « turo ».[1] Pretiosissima sane sententia contra futuros errores Lutheri et Iansenii!

Iam pressius argumentum stringens, S. Bernardus demonstrat, gratiam esse omnino necessariam ad volendum bonum. Hic habet egregiam sententiam superius allatam: « Velle siquidem, - adduxerat enim verba Pauli,[2] - inest « nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. « Non dico velle bonum aut velle malum; sed tantum velle. « Velle etenim bonum, profectus est; velle malum, defectus. « Velle vero simpliciter, ipsum est quod proficit vel deficit. « Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit; ut proficiat, « salvans gratia facit; ut deficiat, ipsum se deiecit. Itaque « liberum arbitrium nos facit volentes; gratia benevolos. « Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle ... ».[3] Et paucis interiectis: « A Deo igitur velle, quomodo et timere, et « amare; accepimus in conditione naturae, ut essemus ali- « qua creatura (rationalis scilicet); velle autem bonum, « quomodo et timere Deum, et amare Deum, accipimus in « visitatione gratiae, ut simus Dei creatura ».[4] Et sane: « Creati quippe quodammodo nostri in liberam voluntatem, « quasi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porro bonam « facit, qui liberam fecit; et ad hoc bonam, ut simus initium « aliquod creaturae eius; quoniam expedit profecto nobis « magis omnino non fuisse, quam nostros permanere ».[5] Et instituta comparatione inter servitutem diaboli per malam vel Dei per bonam voluntatem, pulchre ait: « Sane « diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas: « Deo subiicit eius gratia, non nostra voluntas. Nostra quippe « voluntas bona ... a bono Deo creata, perfecta tamen non

[1] Cap. 5, n. 15, col. 1010.
[2] Galat., v, 17.
[3] Cap. 6, n. 16, col. 1010.
[4] Ibid., n. 17, col. 1011.
[5] Ibid., n. 18.

« erit quousque suo Creatore perfecte subiecta sit ». Unde deducit argumentum quo frequenter, sensu licet parumper diverso, usuri sunt theologi Thomistae: « Absit autem, ut « ipsi sui perfectionem, Deo autem tantum creationem tri- « buamus; cum longe nimirum melius sit esse perfectum, « quam factum, et dictu ipso nefas videatur, Deo quod « minus, nobis quod excellentius sit tribuere ». Et concludens adducit Apostolum: « Sentiens denique Apostolus quid « ex natura esset, quid ex gratia expectaret, aiebat: "Velle « adiacet mihi, perficere non invenio „.[1] Sciebat profecto, « velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio, sed ut ipsum « velle perfectum haberet, gratiam se habere necessariam ».[2] Quae gratia duo involvit: « Verum Sapere et plenum Posse; « ut Sapere ad iustitiam, Posse referatur ad gloriam ».[3]

Iam S. Bernardus scrutatur, quousque in primo Adamo fuerit illa trina libertas arbitrii, consilii et complaciti, et quid peccando amiserit. Quae doctrina ad hoc reducitur: potestatem arbitrii habuit, per huius abusum peccavit, et in peccato eam servat. « Sola remansit ad poenam libertas « arbitrii, per quam utique caeteras amisit; ipsam tamen « amittere non potuit ».[4] Reliquas itaque acceperat, sed in gradu imperfecto, ita ut perseverando in bono eas perfectas assecutus esset; peccando vero amisit. Creatus ita ut, non peccando et agendo bonum, confirmatus in bono posset non amplius peccare, iam ex culpa deiectus, non potest non peccare; creatus ita ut posset non pati, perventurus perseverando ad statum in quo non amplius pati posset, iam in culpam redigitur ad statum in quo non potest non pati.

Et claudit illustrando, non ita facile esse recuperare iustitiam amissam, quam habitam amittere. « Peccantis igitur « lapsus non dono adscribendus est potestatis, sed vitio vo- « luntatis. Lapsus tamen ex voluntate non aeque resurgere « iam liberum habet; quia etsi datum fuit voluntati posse « stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non « enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in

[1] Rom., vii, 18.
[2] Ibid.
[3] Ibid., n. 20 col. 1112.
[4] Cap. 7, n. 21, col. 1013

« eam labi. Cecidit sola voluntate homo in foveam peccati; « sed non ex voluntate sufficit et posse resurgere, cum iam, « etsi velit, non possit non peccare ».[1]

Obiectio in promptu est: « Quid ergo? Periit liberum arbi- « trium, quoniam non potest non peccare? Nequaquam: sed « liberum perdidit consilium, per quod prius habuit posse « non peccare ». Liberum ibi arbitrium strenue vindicat. « Et « quoniam voluntas etiam posita in miseria non desinit esse « voluntas, et dicitur et est misera voluntas, sicut et beata « voluntas; ita nec liberum arbitrium destruere, sive quan- « tum in se est, aliquatenus imminuere poterit quaecumque « adversitas vel necessitas ».[2] Quae rursus sententia probat, quantopere S. Bernardus fuerit ab errore Lutheri et Iansenii alienus.

Conclusio patet: « Habet igitur homo necessariam Dei « virtutem, et Dei sapientiam Christum, qui ex eo quod sa- « pientia est, verum ei sapere reinfundat, in restaurationem « liberi consilii; et ex eo quod virtus est, plenum Posse « restituat, in reparationem liberi complaciti; quatenus ex « altero perfecte bonus, peccatum iam nesciat; ex altero « plene beatus, nil adversum sentiat ».[3]

Addit S. Doctor hanc plenam perfectionem non esse huius saeculi: « Discendum sane hic interim nobis est ex « libertate consilii iam libertate arbitrii non abuti, ut plene « quandoque frui possimus libertate complaciti. Sic profecto « Dei in nobis reparamus imaginem: sic antiquo honori illi « capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam « praeparamur ».[4]

Occasionem inde arripit S. Bernardus ut disserat de hac Dei imagine et similitudine in qua homo conditus est; quod ita evolvit, ut homo fuerit imago Dei per libertatem arbitrii; similitudo autem per libertatem consilii et complaciti (cap. 9). Christi munus fuit hanc similitudinem in nobis re-

[1] Ibid., n. 23, col. 1014. (Cf. doctrinam superius expositam Q. CIX, art. 7, p. 199 sqq.). - Et n. 25 ad idem exprimendum S. Bernardus redit; ubi caute intellige argumentum *a fortiori*, ne ipse Adami lapsus tribuatur impotentiae.

[2] Ibid., n. 24, col 1015.

[3] Ibid., n. 26.

[4] Ibid., n. 27, col. 1016.

formare (cap. 10). « Venit ergo ipsa forma, cui conforman-
« dum erat liberum arbitrium; quia ut pristinam reciperet
« formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat et for-
« matum. Forma autem Sapientia est; conformatio, ut faciat
« imago in corpore, quod forma facit in orbe ».[1]

Quem subtilem conceptum S. Bernardus evolvit applicando dominio liberi arbitrii id quod de divina Sapientia celebratur: « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et dispo-
« nit omnia suaviter ».[2] Qui locus pulcherrimus, est integer heic afferendus. « Sic ergo et liberum arbitrium conetur
« praeesse corpori, ut praeest Sapientia orbi, attingens et
« ipsum " a fine usque ad finem fortiter „: imperans scilicet
« singulis sensibus et artubus tam potenter, quatenus non
« sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, nec mem-
« bra sua det arma iniquitati, sed exhibeat servari iustitiae.
« Et ita iam non erit homo servus peccati, cum peccatum
« non fecerit: a quo utique liberatus, iam libertatem recu-
« perare consilii, iam suam incipiet vindicare dignitatem,
« dum divinae in se imagini condignam vestierit similitudi-
« nem, imo antiquam reparaverit venustatem. Curet autem
« haec agere non minus " suaviter „ quam " fortiter „, hoc
« est non ex tristitia aut ex necessitate, quod est initium
« non plenitudo sapientiae, sed prompta et alacri voluntate,
« quod facit acceptum sacrificium, quoniam " hilarem datorem
« diligit Deus „.[3] Sicque per omnia imitabitur Sapientiam,
« dum et vitiis resistet fortiter, et in conscientia requiescet
« suaviter ».[4] Hoc autem est opus gratiae. « Verum cuius
« ad talia provocamur exemplo, indigemus et auxilio, quo
« ipsi videlicet per ipsam conformemur, " a claritate in clari-
« tatem, tamquam a Domini spiritu „.[5] Ergo, si a Domini
« Spiritu, iam non a libero arbitrio ». Et sapienter addit, quod iam audivimus S. Anselmum fortiter inculcantem: « Nemo proinde putet, ideo dictum liberum arbitrium, quod
« aequa inter bonum et malum potestate aut facilitate ver-

[1] Cap. 10, n. 33, col. 1019.
[2] Sap., viii, 1.
[3] ii Cor., ix, 7.
[4] Ibid., n. 34.
[5] i Cor., iii, 18.

« setur, cum cadere per se quidem potuerit, non autem « resurgere nisi per Domini Spiritum ».[1] Et pergit demonstrando ex Dei, Angelorum bonorum, Sanctorum in futura vita libertate, quantopere hic conceptus sit falsus.

Heic S. Bernardus ostendit quomodo libero arbitrio nil derogetur nec per gratiam nec per tentationem. Ad hoc S. Doctor veluti sibi opponit locutiones in quibus gratiae efficacia sub imagine tractionis exhibetur, aut tamquam compellens describitur: « Nemo quippe salvatur invitus. « Nam quod legitur in Evangelio: " Nemo venit ad me, nisi « Pater meus traxerit eum „;[2] item in alio loco: " Compelle « intrare „[3] nihil impedit: quia profecto quantumcumque « trahere vel compellere videatur ad salutem benignus Pater, « qui omnes vult salvos fieri;[4] nullum tamen iudicat salute « dignum, quem ante non probaverit voluntarium ».[5] Hinc media quibus Deus utitur ad nostras voluntates movendas. « Hoc quippe intendit, cum terret aut percutit, ut faciat « voluntarios, non salvet invitos, quatenus de malo mutat « voluntatem in bonum; transferat, non auferat libertatem ». Quae ultima vox ostendit, in sententia praecedenti « voluntarium » sumendum esse in sensu non voluntarii Ianseniani, sed liberi.

Unde in reliqua parte huius capitis (12) et in capite sequenti demonstrat, nec vehementissima quoque tentatione libertatem auferri: « Quid ergo? forte dissoluta est tota supe- « rior assertio de libertate voluntatis, quia nimirum inventa « est cogi potuisse voluntas? Est plane: sed si cogi ab alio « potest quam a seipsa. Quodsi sese ipsa cogit, compulsa et « compellens; ubi amittere, ibi et recipere visa est voluntatem ».[6] Egregie!

Conclusio patet: « Quamobrem id quod in creatura dici- « tur liberum arbitrium, aut iuste profecto damnatur, dum « ei ad peccatum nulla vi praeiudicatur extrinseca; aut mi-

[1] Ibid., n. 35.
[2] Ioann., vi, 44.
[3] Luc., xiv, 23.
[4] 1 Tim., ii, 4.
[5] Cap. 11, n. 36, col. 1020.
[6] Cap. 12, n. 39, col. 1022.

« sericorditer salvatur, cui ad iustitiam nulla virtus sufficit « sua ». Monet autem Bernardus, hoc non ita valere de peccato originali, in quo deest voluntarium personale. « Sane « in his omnibus cogitet lector, originalis peccati prorsus « excipi rationem ».[1]

Huius altioris doctrinae consequens, tam fortiter a S. Augustino inculcatum, est merita nostra simul esse Dei munera, quum sint gratiae fructus. « De caetero, libero arbitrio nec « extra ipsum quaeratur damnationis causa, quod iam non « damnat nisi propria culpa; nec ab ipso salutis merita, « quod sola salvat misericordia. Cuius quippe conatus in « bonum, et cassi sunt, si a gratia non adiuventur; et nulli, « si non excitentur. Caeterum " in malum ,, dicente Scri- « ptura, proni " sunt sensus et cogitationes hominis,,.[2] Proinde « non ei a se, ut dictum est, sed sursum potius a Patre « luminum descendere merita putentur: si tamen inter data « optima et dona perfecta, ipsa merito per quae salus aeterna « conquiritur, merita deputentur ». Et pulcherrime id evolvit: « Deus namque Rex noster ante saecula, cum operatus « est salutem in medio terrae, dona sua quae dedit homi- « nibus, in merita dividit et praemia: ut et praesentia per « liberam possessionem nostra interim fierent merita, et « futura per gratuitam sponsionem expectaremus, imo exspe-

[1] Cap. 13, n. 42, col. 1024.

[2] Gen., viii, 21. Haec verba de homine lapso prolata sunt. Licet enim, uti S. Bernardus alibi dicit: « Certum est, ad suam originem universa, quantum in eis « est, tendere, et in eam semper partem esse procliviora; sic et nos, qui de nihilo « creati sumus, constat quia, si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod « nihil est) declinamus »; * mox ipse addit: « Si stare non potuit homo natura adhuc « integra, quanto minus poterit per seipsam resurgere iam corrupta? ». Recte S. Anselmus in modo allato tractatu: « Non credendum est talem (tam vitiosam scilicet « et tam pronam in malum) illam voluntatem Deum fecisse in primis nostris paren- « tibus », ** Et in hoc ipso tractatu audivimus ipsum S. Bernardum optimam primi hominis conditionem celebrasse. Caveatur ergo, ne hoc principio quod superius exprimit, abutatur, quasi liberum arbitrium esset facultas quae ex sese non potest ferri nisi in malum. Damnati enim non ideo tam duris suppliciis puniuntur quia unice elegerunt id quod, utpote de nihilo creati, eligere potuerunt, quatenus malum est nihilum et quidquid est ex nihilo tendit in nihilum. Damnantur ob omissum bonum quod agere debuissent, ac proin potuissent, ob commissum malum quod vitare debuissent, ac proin potuissent. Cf. addenda mox, ubi recentioris Thomismi systema discutiemus.

* *De Annunt.*, serm. 1, n. 1. - *P. L.*, t. clxxxiii, col. 383.

** Cap. 13, - *P. L.*, t. clviii, col. 538.

« ctaremus ut debita. Utraque Paulus commemorans ait: « " Habetis, inquit, fructum vestrum in sanctificationem, finem « vero vitam aeternam ,,.[1] ... Itaque non liberi arbitrii, sed « Domini est salus: imo ipse salus, ipse et via est ad salu- « tem; qui ait: " Salus populi ego sum ,,;[2] qui item perhi- « bet: " Ego sum via ,,.[3] Dei sunt procul dubio munera tam « nostra opera, quam eius praemia; et qui se fecit debitorem « in illis, fecit et nos promeritores ex his ».[4]

Sed in obtinendis his meritis, sicuti in gubernio universi, Deus utitur creaturarum ministerio, quod S. Doctor multipliciter in sequentibus evolvit. Et citata in fine sententia Pauli: « Coadiutores Dei sumus »,[5] ait: « Ibi itaque Deus « homini benigne merita constituit, ubi per ipsum et cum « ipso, boni quidpiam operari dignanter instituit. Hinc coa- « diutores Dei, cooperatores Spiritus Sancti, promeritores « regni nos esse praesumimus, quod per consensum utique « voluntarium divinae voluntati coniungimur ».[6]

Hic autem urgetur fundamentalis difficultas: « Quid igitur? « Hoc ergo totum liberii arbitrii opus, hoc solum eius meri- « tum, quod consentit? ». Et respondet Bernardus: « Est « prorsus ». Subito autem, ne huic responsioni detur sensus qui nimis tribuat arbitrio, addit: « Non quidem quod vel ipse « consensus, in quo nunc meritum consistit ab ipso sit; cum « " nec cogitare ,, - quod minus est quam consentire - ali- « quid a nobis, quasi ex nobis sufficientes simus.[7] Verba « non sunt mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse « potest, id est cogitare, et velle et perficere pro bona volun- « tate, attribuit Deo,[8] non suo arbitrio. Si ergo Deus tria « haec, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur « in nobis: primum profecto sine nobis; secundum nobis- « cum; tertium per nos facit ». In evolutione huius trilogiae rursus ostendit, se loqui de statu lapso. « Qui autem

[1] Rom., vi, 22; cf. 23.
[2] Ps. xxxiv, 3.
[3] Ioann., xiv, 6.
[4] Cap. 13, n. 43, col. 1024.
[5] i Cor., iii, 9.
[6] Ibid., n. 45, col. 1025.
[7] ii Cor., iii, 5.
[8] Philipp., ii, 13.

« bonum neminum invenit, neminem salvat quem non prae-
« venit ».[1]

Pulcherrime S. Bernardus hunc gratiae influxum evolvit a prima inspiratione ad fidelitatem in bono: « Cavendum « ergo, nè cum haec invisibiliter intra nos ac nobiscum acti- « tari sentiamus, aut nostrae voluntati tribuamus, quae infirma « est; aut Dei necessitati, quae nulla est; sed soli gratiae, « qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cum semi- « nat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut « perducat ad actum;[2] servat, ne sentiat defectum. Sic « autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud « in primo praeveniat, in caeteris comitetur; ad hoc utique « praeveniens, ut iam deinceps cooperetur ».[3]

Ut autem haec doctrina recte percipi possit, oportet ut nexus inter liberum arbitrium et gratiam concipiatur maxime intimus. Quem intimum nexum nemo fortius expressit S. Bernardo. « Ita tamen, quod a sola gratia coeptum est, pariter « ab utroque perficiatur: ut mistim, non sigillatim; simul, « non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim « gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere « individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa; sed « ut totum in illo, sic totum ex illa ».[4]

Iam tractatum absoluturus, S. Bernardus se nihil docuisse affirmat quod non docuerit S. Paulus: « Credimus placere « lectori, quod a sensu Apostoli nusquam recedimus ». Et paucis interiectis, Pauli dictum: « Quid habes, quod non « accepisti »,[5] ita pulcherrime evolvit: « Crearis, sanaris, « salvaris. Quid horum tibi ex te, o homo? Quid horum non « est impossibile libero arbitrio? ». Unde ad verba Psalmistae: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da « gloriam »,[6] exclamat: « Quis est qui ignorat Dei iustitiam?

[1] Cap. 14, n. 45, col. 1026.

[2] Non addit « physice praedeterminat » aut aliquid huiusmodi, ut se determinare et actum ponere possit.

[3] Ibid., n. 47. Vides ex hac sententia intimum esse nexum in mente Bernardi inter divisionem gratiae in operantem et cooperantem, praevenientem et concomitantem. Cf. dicta superius ubi de his distinctionibus agebamus Q. CLXI, art. 2 et 3, p. 313 sqq.

[4] Ibid., col. 1025 sq.

[5] I COR., IV, 7.

[6] Ps. CXIII, 9.

« Qui se ipsum iustificat. Quis est qui se ipsum iustificat? « Qui merita sibi, non aliunde quam a gratia praesumit ... ». [1] « Igitur qui recte sapiunt triplicem confitentur operationem, « non quidem liberii arbitrii, sed divinae gratiae in ipso. « Prima, creatio; secunda, reformatio; tertia est consummatio. « Primo namque in Christo creati sumus in libertatem volun- « tatis; secundo reformamur per Christum in spiritum liber- « tatis; tertio cum Christo deinde consummandi in statum « aeternitatis ». [2]

Quare quando Paulus quam exspectat coronam, vocat iustitiae, [3] de iustitia Dei est intelligendus. « Est ergo quam « Paulus exspectat, corona iustitiae: sed iustitiae Dei, non « suae, iustum quippe est ut reddat quod debet; debet autem « quod pollicitus est. Et haec est iustitia, de qua praesumit « Apostolus, promissio Dei ». [4]

Verba quibus S. Bernardus tractatum suum claudit, confirmant prorsus ea quae, disserentes de gratiae necessitate et de dono perseverantiae, non semel iam exposuimus: « Alio- « quin, si proprie appellentur ea, quae dicimus nostra merita: « spei quaedam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultae « praedestinationis indicia, [5] futurae felicitatis praesagia, via « regni, non causa regnandi. Denique, quos iustificavit, non « quos iustos invenit, hos et magnificavit ». [6]

*
* *

Ex hac analysi tractatus S. Bernardi *De gratia et libero arbitrio* iam sequentes conclusiones deducere licet:

1) Nihil habet S. Bernardus commune cum illis qui ob necessitatem et efficaciam gratiae, sive debilitatem status lapsi, libertatem arbitrii aut negant, aut saltem ad merum voluntarium redigunt.

[1] Ibid., n. 48, col. 1027.

[2] Ibid., n. 49, col. 1027 sq.

[3] II Tim., iv, 8.

[4] Ibid., n. 51, col. 1029. - Cfr. dicta superius in initio Quaestionis de merito.

[5] Hoc sensu Fenelonius in opere citato (V. *Lettre*) pulchre de praedestinationis incertitudine scribit: « Pour moi dans cette incertitude, je ne puis trouver aucun « repos que dans l'amour de préférence de Dieu à moi ».

[6] Rom., viii, 30. - Ibid., col. 1030.

2) Argumentum de gratia S. Doctor tractat theologice, prae oculis habita lapsi humani generis conditione, in qua quidquid est gratiae, est opus misericordiae, quia terminus a quo est conditio originalis culpae.

3) Ubi operationem et efficaciam gratiae depingit, utitur expressionibus quales ex Scripturis adhibere solet Augustinus.

4) Nusquam S. Bernardus recurrit ad aliquod systema philosophicum, iuxta quod efficacia gratiae aequo modo et citra lapsam humani generis conditionem id esset in ordine supernaturali, quod motio primi motoris est in ordine naturali.

5) Nec unquam efficaciam gratiae repetit a praeviso consensu liberii arbitrii; nec eius congruitatem a scientia media.

6) Quare inter S. Bernardum, S. Anselmum et S. Augustinum habetur perfecta concordia, quum omnes eodem prope modo doctrinam Scripturarum, imprimis S. Pauli, illustrent.

4) De mente S. Bonaventurae.[1]

In nostra dissertatione de libero arbitrio fuse de eodem exposuimus mentem S. Bonaventurae. His praehabitis, quaedam addamus de habitudine humanae libertatis ad Deum et ad gratiam.

In II Sent., Dist. XXV, p. II, art. 1, q. 5 S. Doctor quaerit: « *An liberum arbitrium a Deo cogi possit* ». Praemissis obiectionibus in utramque partem, incipit conclusionem distinguendo inter *destruere* libertatem, et *cogere* liberum arbitrium. « Cum quaeritur utrum liberum arbitrium possit « cogi a Deo, dicendum quod illud potest intelligi duplici- « ter: aut ita, quod intelligatur quod possit auferre liberta- « tem, et auferendo libertatem superinducere coactionem: « et hoc modo nulli dubium esse debet, quin Deus possit « hoc facere, quantum est de immensitate suae potentiae; « alio modo, ut intelligatur quod Deus cogat liberum arbi-

[1] Tom., vii.

« trium salva proprietate libertatis et eius natura: et hoc « modo non solum est impossibile, sed etiam non intelligi- « bile, pro eo quod implicat in se duo contradictoria. Ex hoc « enim quod liberum arbitrium est, si aliquid vult, libere « vult; et ex hoc quod voluntarium est, si aliquid vult, « voluntarie vult, et seipso movente vult. Ex hoc autem « quod cogitur, si aliquid vult, serviliter vult; et si quid « vult, invite vult, et si aliquid vult, ab alio vult; quia vio- « lentum est cuius principium est extra, nihil conferente « vim passo: ergo liberum arbitrium cogi, non est aliud « quam actum liberi arbitrii simul et semel esse liberum « et servilem, esse voluntarium et non voluntarium, esse a « se et non a se. - Planum est quod liberum arbitrium, « secundum hunc modum intelligendi, a Deo cogi est impos- « sibile ».

Sed et aliam S. Bonaventura distinctionem inducit, qua argumentum magis intime illustrat, inter *inducere, mutare* et *cogere*. « Notandum est quod differt voluntatem induci, « et voluntatem mutari, et voluntatem cogi. Tunc enim « *induci* dicitur, quando aliqua persuasio fit, qua disponitur « ut ad aliquod appetibile inclinetur; quae si valde intensa « sit, nomen coactionis sortitur, quamvis non sit vera coa- « ctio, sicut supra ostensum est. Tunc autem voluntas *mu-* « *tatur*, quando, ipsa volente unum, potenti virtute affectio « immittitur ei ad contrarium, et de volente fit nolens, ita « quod una affectio expellitur et contraria inducitur, sicut « patet cum Deus, de amatore temporalium, facit tempora- « lium contemptorem: et haec dicitur esse quaedam com- « pulsio et tractio divina, ut voluntas ab eo separetur, cui « per amoris glutinum fortiter iungebatur. Tunc autem vo- « luntas dicitur *cogi*, quando intelligitur ipsam invitam ali- « quid velle, et repugnante actu voluntatis deliberativae, « aliena virtute movente, et repugnantia manente, ad idem « aliquid volendo inclinare: et haec duo opposita implicat, « sicut ostensum est ».

Iam fit huius distinctionis applicatio: « Voluntas igitur « *induci* potest ab agente *creato*: *mutari* vero ab alio non « potest, nisi ab agente *increato*; *cogi* vero ab aliquo *non* « *potest* ».

In responsione ad Scripturae textus in favorem coactionis[1] allatos haec habet: « Quod dicitur in Scriptura, Deum « voluntatem hominis *compellere,* et voluntatem hominis « *trahere,* et voluntatem hominis ad quodcumque voluerit « *inclinare,* ... hoc intelligitur non quia voluntatem cogat, « sed quia voluntatem creatam non solum inducit, sicut « agens creatum, verum etiam immutat, immittendo affe- « ctiones varias: in qua immissione non est coactio, pro eo « quod ita voluntarie volo illud, quod Deus immittit, sicut « illud quod ex meipso volo: et si aliquid volo, volens « volo, non invitus, et ita in volendo ad nihil compellor ».

Nec omittendus modus quo S. Doctor solvit obiectionem quae in favorem coactionis liberi arbitrii petitur ex perfecta obedientia creaturae respectu Creatoris: « Dicendum est, « ex hac ratione potius potest concludi oppositum quam « propositum. Quia enim ibi est obedientiae perfectio, et « liberum arbitrium respectu Dei, ad omne quod Deus vo- « luerit, sic habet moveri, sicut pila ad omnem partem, ideo « quidquid de ipso, vel circa ipsum, faciat, non compellit, « nec violentat, nec etiam alicui creaturae violentiam indu- « cit, quantum ad illam potentiam obedientiae: quantum « autem ad potentiam specialis naturae, bene aliquando « alicui infert violentiam in miraculorum operationem: sed « talis violentia infertur virtuti naturali, non voluntati, quia « virtus naturalis sic est determinata ad unum, ut, si tra- « hatur ad oppositum, hoc est per violentiam; voluntas « vero vertibilis est ad utrumque oppositum, sicut et rota et « pila habent vertibilitatem ad motum ». Hanc autem comparationem claudicare, manifestum est. Rota enim et pila, ita sunt vertibiles, ut agantur et non agant. De essentia autem liberi arbitrii, ut ipse Bonaventura superius dixit, est ut etiam quando mutatur a Deo, moveat seipsum.

Iam conferens inter se actionem liberi arbitrii et gratiae, S. Doctor in Dist. XXVI, art. 1, q. 6 quaerit: « *An gratia comparetur ad animam in ratione motoris* ». Tanti momenti est doctrina quam in responsione exponit, ut operae pretium sit eidem nonnihil immorari. Incipit S. Bonaventura fortiter

[1] Luc., xiv, 21; Ioann., vi, 44; Prov., xxi, 1.

affirmando actionem gratiae in liberum arbitrium: « Dicen-
« dum quod absque dubio, sicut auctoritates Sanctorum
« dicunt », - plura testimonia ex Augustino ab exordio quae-
stionis attulerat, - « necesse est posse liberum arbitrium a
« gratia moveri et excitari ». Quod de utraque gratia ope-
rante et cooperante illustrat. « Ab ipsa enim gratia ope-
« rante praevenitur, et a cooperante ad opera meritoria
« elevatur; ita quod respectu operis meritorii gratia est
« sicut principalis motrix, et voluntas sicut pedissequa ».
Agnoscit autem S. Doctor difficultatem peculiarem huic
problemati inde provenientem, quod gratia est accidens
animae. « Qualiter autem gratia, cum sit accidens animae,
« ipsam habeat movere, hoc habet difficultatem ». Quam
difficultatem ut solvat, S. Doctor suggerit duplicem modum
considerandi gratiam: quatenus est « dispositio ad spiritua-
« lem motum », et quatenus est « influentia procedens a
« luce superna ». Utrumque modum evolvit, probat et com-
ponit.

« Ad huius autem difficultatis explicationem duplex est
« modus dicendi, sive intelligendi, secundum quem liberum
« arbitrium dicitur a gratia moveri. Unus modus dicendi est
« quod gratia movere dicitur liberum arbitrium, quoniam
« ipsa est dispositio ad quemdam spiritualem motum. Sicut
« enim pondus in corporibus disponit ad motum, sic et suo
« modo pondus in spiritibus: gratia autem est quoddam spi-
« rituale pondus datum animae, per quod habet sursum ten-
« dere: et quoniam liberum arbitrium est natum seipsum
« movere secundum actus, in quos potest de se; cum est
« adiectum et informatum gratia, excellentius movet sei-
« psum, ita quod, cum liberum arbitrium sit movens et
« motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis; et
« pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia
« liberum arbitrium gratia informatum movet seipsum, per
« quem modum amor dicitur movere hominem ad magna
« opera facienda ». Egregium prorsus et plane Augusti-
nianum!

« Alius est modus intelligendi, secundum quem liberum
« arbitrium dicitur a gratia moveri. Gratia enim est sicut
« quaedam influentia procedens a luce superna, quae semper

« habet conjunctionem cum sua origine, sicut lumen cum « sole: et quia semper suae origini coniungitur, ideo non « tantum tribuitur ei operatio ratione subiecti in quo est, « sed etiam ratione subiecti a quo est. Unde sicut lumen « non solum operatur cum aëre, sed etiam operatur in « ipsum aërem ratione continuitatis cum suo fonte, sic et « gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam « in liberum arbitrium, et liberum arbitrium movet. Unde « non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, « quam gratiam esse Spiritus Sancti instrumentum ad moven- « dum liberum arbitrium ». Uti apparet, hic secundus modus magis in gratia considerat principium a quo est, unde efficacius solvit difficultatem petitam ex hoc quod gratia non est nisi accidens, sed tale quod sit Spiritus Sancti instrumentum; alter modus, qui ideo logice secundo potius loco esset ponendus, magis respicit terminum ad quem. Sanctus Doctor non solum utrumque modum probat, sed ex utroque simul coniuncto pleniorem obtineri conceptum ostendit, eleganter eum applicando gratiae tum operanti tum cooperanti.

« Uterque horum modorum intelligendi conveniens est « et rectus, nec unus sine altero sufficit. Nam primus com- « petit gratiae cooperanti, sive subsequenti », – unde, uti monebamus, logice sequitur alterum; – « secundus competit « gratiae operanti, sive praevenienti. Gratia enim operans « liberum arbitrium praevenit et movet, quia Deus illam « infundendo voluntatem hominis sanat et praeparat. Gratia « vero cooperans, sive subsequens, liberum arbitrium dicitur « movere, quia voluntas tali dono gratiae informata movet « seipsam. Hanc enim potentiam habet voluntas, scilicet mo- « vendi seipsam, quia est potentia materiae non alligata, « sicut supra ostensum est, cum de libero arbitrio agebatur ».

Inter obiectiones quas in oppositum S. Doctor adduxerat, potior est prima, quae ita sonat: « Voluntas eo ipso est « libera, quo movetur ex ipsa: cum igitur gratia sit aliud « a voluntate, si gratia movet voluntatem, aufert ei liberta- « tem; sed constans est quod gratia voluntati libertatem non « aufert, ergo ipsam non movet ».

Audiamus igitur quomodo S. Bonaventura obiectionem solvat: « Ad illud quod obiicitur de voluntate, quod seipsam

« movet, dicendum quod hoc non obstat, immo consonat ei « quod dicitur quod movetur per gratiam. Sicut enim volun- « tas movet seipsam ad opera naturalia, sic adiuta per gra- « tiam movet seipsam ad opera meritoria. Vel secundum « alium modum intelligendi, Deus per gratiam movet volun- « tatem; nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas « vult sic moveri a Deo. Unde sic movetur a Deo, quod « movetur etiam a seipsa: et ideo omne opus meritorium « attribuitur gratiae et libero arbitrio ».

Comparatio a Seraphico instituta in prima parte huius responsi nos remittit ad dependentiam quam liberum arbitrium habet a Deo in naturalibus. Superius in Dist. XXIV, p. I, art. 1, q. 2, quaerit: « *An homini datum fuerit naturale « adiutorium per quod posset absque gratia tentationi resi- « stere* ». Et in responsione utitur distinctione quae est valde ad rem. « Aliquem posse resistere virtute propria tentationi « diabolicae absque omni gratia, intelligi potest dupliciter: « aut ita, quod excludatur continuatio divinae influentiae; « aut ita, quod excludatur appositio novae gratiae. Primum « simpliciter est impossibile: numquam enim liberum arbi- « trium malae suggestioni resisteret, nisi Deus suae boni- « tatis influentia continua in bono conservaret ». Et pergit concedendo alterum.

Quid autem per istam influentiam intelligat, magis explicat in solutione obiectionis primae, quae petebatur ex verbis Augustini: « Humana natura, etsi in ea integritate, in « qua condita est, permaneret, nullo tamen modo seipsam, « Creatore non adiuvante, servaret ». Audi responsum: « Ad « illud ergo Augustini *De vera innocentia*, iam patet respon- « sio: dicit enim quod nulla creatura rationalis potest sine « divino adiutorio conservari: non quia ad resistendum « peccato sit ei necessaria gratia, quamdiu est in innocen- « tia; sed quia in quocumque statu est, necessaria est sibi « divinae bonitatis influentia ». De impossibilitate ut, etiam in ordine naturali, in actum liberum prodeat sine physica praedeterminatione divina, ne verbulum quidem.

Et haec satis sint ad ostendendum, S. Bonaventuram fortissime inculcare efficaciam gratiae moventis, ita tamen ut semper eadem insistentia inculcet libertatem arbitrii seipsum

sub gratia moventis. Numquam autem dicit, talem esse motum gratiae in liberum arbitrium ut illud praedeterminet. E contra, si demas comparationem, quae, nisi cum moderamine intelligeretur, liberum arbitrium prorsus excluderet, modus loquendi S. Bonaventura plenam inter eum et S. Augustinum harmoniam ostendit.

5) De mente S. Thomae.

Tot et tam amplae de mente S. Thomae circa praesentem quaestionem motae sunt controversiae, ut ad exhauriendum argumentum nec ingens volumen sufficeret. Brevissime heic, quantum necessitas cogit, principales quasdam sententias Aquinatis ponderabimus, idque nullo respectu habito ad modum quo ab aliis in unum alterumve sensum explicatae sunt. Scopus noster non est polemicus, sed mere didacticus. Quaestionem quam prae oculis tenebimus est: utrum S. Thomas, sive in speculatione philosophica circa Deum motorem primum, sive in eiusdem doctrinae applicatione theologica ad gratiam, re vera propugnaverit praedeterminationem physicam, qualis Magistri nomine a rigidioribus Thomistis celebratur. In qua inquisitione non tum solliciti sumus de ipso nomine, - fatentur enim, hanc terminologiam fuisse, pleno quidem iure, *pour les besoins de la cause*,[1] postea inductam: nomen enim novum, etiam infelix, potest rei antiquae et optimae respondere; - sed quaerimus de ipsa re.

Audiatur igitur ipse S. Thomas. Nec in favorem praedeterminationis physicae tamquam argumenta accipiantur sententiae quae *possunt* quidem iuxta hanc doctrinam expli-

[1] « Cum a theologis Societatis antiqua D. Thomae sententia de motione praevia, « qua Deus causas omnes tum necessarias tum liberas ad agendum impellit, in con- « troversiam vocata est, ad significandam vim huius motionis effectricis bonae ope- « rationis existimatum est a S. Thomae discipulis usurpandum esse praemotionis « physicae nomen; quod veram, realem, nec metaphysicam solum efficientiam desi- « gnaret; nec diffitebantur, ut refert Lemos, quin, si daretur huiusmodi auxilium, « commode praedestinationis physicae nomine significari posset ». Ita Ant. Massoulié O. Pr. *

* *Divus Thomas sui interpres de divina motione et libertate creata*, t. I, Diss. I, q. 2, art. 1, p. 9. Romae, Vannaccii, 1692.

cari; sed unice in re praesenti valeant illae quae hanc explicationem *exigunt*. Quod principium non Aquinatis modo sententiis applicandum est, sed, imo adhuc magis, textibus Scripturarum, Patrum, Conciliorum. Distinguendum quippe est sedulo inter rem et modum rei. Quando Scriptura exhibet efficaciam gratiae sub imagine tractionis, docet *rem*. Non ideo docet tractionem per praedeterminationem physicam, quae est tractionis *modus*, nec unicus explicandi hanc rem. Qualis autem inter plures modos sit praeferendus, ex doctrinae harmonia et ex comparatione cum aliis Scripturae locis est prudenter eruendum. Idem valet, praeter Scripturas, maxime de S. Augustino. Unde tot sententiae huius Patris a rigidioribus Thomistis in favorem sui systematis proferuntur, quae tamen sunt omni vi cogente destitutae.

Igitur ad illustrandam Aquinatis mentem videamus, per quasdam propositiones, quid censeat de motione divina in ordine tum naturae tum gratiae.

a) De motione divina in ordine naturae.

1) Iuxta S. Thomam omnis motus est a Deo. « Quidquid « applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa « illius actionis. Artifex enim applicans virtutem rei natu- « ralis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, « sicut cocus decoctionis quae est per ignem. Sed omnis « applicatio virtutis ad agendum est principaliter et primo « a Deo. Applicantur enim virtutes operativae ad propriam « operationem per aliquem motum vel corporis vel animae. « Primum autem principium utriusque motus est Deus: est « enim primum movens immobile, ut supra ostensum est. « Et similiter omnis motus voluntatis quo applicantur ali- « quae virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in « primum appetibile et in primum motum ».[1]

2) Moveri, iuxta S. Thomam, est agere in virtute Dei: « Quia causae secundae non agunt nisi virtute primae causae, « sicut instrumenta agunt per virtutem artis, necesse est « quod omnia alia agentia, per quae Deus ordinem suae guber-

[1] *De Pot.*, Q. III, a. 7. Sedulo notanda est haec comparatio, quum ostendat egregie quo sensu S. Thomas hunc primum motum Dei concipit.

« nationis implet, virtute ipsius Dei agant. Agere igitur « cuiuslibet ipsorum a Deo causatur, sicut et motus mobilis « a motione moventis. Movens autem et motum oportet simul « esse. Oportet igitur quod Deus cuilibet agenti adsit inte- « rius, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet ».[1]

3) Iam vero quadruplici modo Deus concurrit actioni cuilibet: « Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum « dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in « quantum applicat actioni, et in quantum eius virtute omnis « alia virtus agit. Et quum coniunxerimus his quod Deus « sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut « pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequetur « quod ipse in quolibet operante immediate operatur, non « exclusa operatione voluntatis et naturae ».[2]

4) Tertium modum S. Doctor cum magna praecisione explicat, ne ultra limites urgeatur.

« Quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit « movens non motum, tertio modo dicitur una res esse « causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agen- « dum: in quo non intelligitur collatio aut conservatio vir- « tutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut « homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod appli- « cat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et « quia natura inferior non agit nisi mota, eo quod huius- « modi agentia inferiora sunt alterantia alterata, caelum « autem est alterans non alteratum, et tamen non est mo- « vens nisi motum, et hoc non cessat, quousque perveniatur « ad Deum, sequitur de necessitate quod Deus sit causa « actionis rei naturalis, ut movens applicans virtutem ad « agendum ».[3] – « Sicut securi dari potest acumen, ut esset

[1] *Ad Regin. Comp. Theol.*, c. 130. Prioritas heic intellecta est prioritas independentiae.

[2] *De Pot.*, q. III, a. 7.

[3] *De Pot.*, Q. III, a. 7. Iuvat hic afferre sequentia verba Scoti: « Causae primae « in causam secundam quando similiter agunt, non est influentia nova, quae sit « creatio alicuius inhaerentis causae secundae, sed influentia est determinatus ordo « causarum in agendo effectum simul ». * – Et: « Causa secunda dicitur movens « motum, non quia recipit motionem a causa prima per quam agat, sed quia in « motione sua pendet a prima causa naturaliter agente ». **

* IV Dist. I, q. 1.

** Dist. XIII, q. 1.

« forma in ea permanens, non autem dari ei potuit quod vis « artis esset in ea quasi quaedam forma permanens, nisi « haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus « propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua « agit ad esse ut instrumentum primae causae, nisi daretur « ei quod esset universale agendi principium ».[1]

5) Iuxta ordinem causarum est ordo effectuum: « Secun- « dum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem « omnium effectuum est esse: nam omnia alia sunt determi- « nationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agen- « tis, et omnia alia agunt ipsum in quantum agunt in vir- « tute primi agentis. Secunda autem agentia, quae sunt « quasi particulantia et determinantia actionem primi agentis, « agunt sicut proprios effectus alias perfectiones quae deter- « minant esse ».[2]

6) Proprium quod Deus causat, uti causa prima, est ens ut tale: « Quum aliquae causae effectus diversos producentes « communicant in uno effectu, praeter effectus diversos opor- « tet quod illud commune producant ex virtute alicuius « superioris causae, cuius illud est proprius effectus ... Omnes « autem causae creatae communicant in uno effectu qui est « esse ... - Oportet ergo esse aliquam causam superiorem « omnibus, cuius virtute omnia causant esse, et cuius esse « est proprius effectus. Et haec causa est Deus ».[3]

7) Porro per causas alias necessarias alias contingentes Deus producit effectus sive necessarios sive contingentes. « Vult quaedam Deus fieri necessario, quaedam contin- « genter; ut sit ordo in rebus ad complementum universi. « Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, « quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessi- « tate proveniunt; quibusdam aptavit causas contingentes « defectibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. « Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt con- « tingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed « propterea quia voluit eos contingenter evenire, contin- « gentes causas ad eas praeparavit. » - « Ad effectus quos

[1] Ibid., ad 7 m.
[2] *Ctr. gent.*, l. III, c. 66.
[3] *De Pot.*, Q. VII, a. 2.

« voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias; ad « effectus autem quos voluit esse contingentes, ordinavit « causas contingenter agentes, id est, potentes deficere: et « secundum harum conditionem causarum effectus dicuntur « vel necessarii vel contingentes ».[1]

8) Universalis et prima motio Dei per causas secundas determinatur: « Quanto aliqua causa est magis universalis, « tanto effectus eius est universalior. Nam causae particu- « lares effectus universalium causarum ad aliquid determi- « natum appropriant: quae quidem determinatio ad effectum « universalem comparatur sicut actus ad potentiam ».[2] – « Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius « influentia per causam proximam determinatur et specifi- « catur ».[3]

Optime id illustrat Ferrariensis: « Quod non est sic « intelligendum quasi secunda agentia aliquid erga divinam « actionem ut in se est operarentur, cum sua actio sit sua « substantia. Sed intelligitur secundum quod ipsa, median- « tibus causis secundis, ad effectum aliquem determinatur. « Sic enim virtus divina et actio, secundum quod in causa « secunda recipitur, accipit determinationem ex conditione « causae secundae tamquam ex susceptivi conditione, quia « unumquodque recipitur in alio per modum recipientis ».[4]

Iam haec ad voluntatem applicemus.

9) Deus est primum movens humanae voluntatis: « Omne « quod quandoque est agens in actu, et quandoque in po- « tentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est « autem quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius « non vellet. Necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad « volendum. Et quidem ipsa movet seipsam in quantum « per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volenda ea « quae sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi con- « silio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogi- « tare quomodo hoc consequi possit, et per talem cogita- « tionem pervenit ad hoc quod potest sanari per medicum,

[1] Q. XIX, a. 8. Cf. *Perih.*, l. XIV.
[2] *Ad Regin. Compend. Theol.*, c. 69.
[3] *De Pot.*, q. I, a. 4, ad 3m. Cf. *De Verit.*, q. V, a. 9, ad 10m; II Dist. I, q. I, a. 4.
[4] Ad III, *Ctr. Gent.*, c. 66.

« et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu vult, « necesse est quod inceperit velle sanari ab aliquo movente. « Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, opor- « tuisset quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua vo- « luntate praesupposita. Non est autem procedere in infi- « nitum. Unde necesse est ponere quod in primum motum « voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris « moventis ».[1]

10) Insuper Deus universali motione, et quidem necessaria movet voluntatem ad bonum in genere: « Deus movet « voluntatem in genere sicut universalis motor ad universale « obiectum voluntatis quod est bonum, et sine hac univer- « sali motione homo non potest aliquid velle ».[2]

11) Deus movet voluntatem ut de potentia possit fieri in actu: « Voluntas quando de novo incipit eligere, trans- « mutatur a priore dispositione, quantum ad hoc quod prius « erat eligens in potentia, et postea fit eligens in actu; et « haec quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quan- « tum ipsa voluntas movet seipsam ad agendum et in quan- « tum etiam movetur ab aliquo exteriore movente, scilicet « Deo ».[3]

12) Haec autem divina motio accommodatur indoli humanae libertatis: « Dicendum quod Deus movet omnia « secundum modum eorum: et ideo divina motio a quibus- « dam participatur cum necessitate, a natura autem rationali « cum libertate, propter hoc quod natura rationalis se habet « ad opposita.[4] Quia voluntas est activum principium non « determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad « multa: sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad « unum determinet, sed remanet motus eius contingens, et « non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur.[5] « Relinquitur ergo, sicut concludit Aristoteles in capite de « bona fortuna, quod id quod primo movet voluntatem et « intellectum, sit aliquid supra voluntatem et intellectum,

[1] I-II, Q. IX, a. 4.
[2] I-II, Q. IX, a. 6, ad 3m.
[3] II Dist. XXIX, q. 1.
[4] Quaest. I, a. 7, ad 2m.
[5] I-II, Q. X, a. 4.

« scilicet Deus, qui quum omnia moveat secundum rationem « mobilium, ut levia sursum et gravia deorsum, etiam volun- « tatem movet secundum eius conditionem, non ut ex neces- « sitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa ».[1]

« Deus movet quidem voluntatem immobiliter, propter « efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed « propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se « habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet « libertas; sicut etiam in omnibus providentia divina infal- « libiliter operatur, et tamen a causis contingentibus pro- « veniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia « movet proportionaliter, unumquodque secundum suum « modum ».[2] Optime Henricus Gorcumiensis Vic. Gen. Univ. Colon.: « Divina providentia movens omnia, movet unum- « quodque secundum suam naturam. Naturalia enim, quae « ad unum determinantur, movet determinate ad unum, ut « gravia deorsum, levia sursum. Ea vero quae habent libe- « rum arbitrium, movet relinquendo ea in potestate liberi « sui arbitrii ».[3]

13) Quum igitur maneat libertas, voluntas ipsa, etiam sub motione divina, ita determinat seipsam, ut nonnisi a seipsa determinetur.

« Ad tertium dicendum quod Deus operatur in omnibus, « ita tamen quod in unoquoque secundum eius conditionem; « unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans vir- « tutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actio- « nem; in libero autem arbitrio hoc modo agit ut virtutem « agendi sibi ministret, et ipso operante, liberum arbitrium « agat; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate « liberi arbitrii constituitur ».[4] « Ipsa potentia voluntatis, quan- « tum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determi- « nate exeat in hunc actum vel illum, non est ab alio deter- « minante, sed ab ipsa voluntate ».[5] Imo: « Voluntas in iis « ad quae se habet indifferenter, non determinatur ad aliquid,

[1] *De Malo,* q. VI, art. unic.
[2] Ibid. ad 3m.
[3] *Adv. Hussitas,* prop. IX.
[4] Sent. II, dist. XXV, q. 1, a. 1, ad 3m.
[5] II Dist. XXXIX, q. 1, a. 1.

« nisi a seipsa ».[1] Optime id exprimit Ægidius Romanus: « Respectu finis et eius quod apprehendit sub omni ratione « boni, voluntas determinate movetur, nec seipsam deter- « minat ».[2] Et: « Voluntas ergo, si non necessitetur ab his « quae sunt ad finem, et si ea quae sunt ad finem non possunt « determinate movere voluntatem, oportet quod voluntas « determinet seipsam, ad hoc ut moveatur his quae sunt ad « finem »[3] Optime pariter Capreolus: « Primus actus volun- « tatis est a Deo. Alii autem actus volendi sunt effective a « voluntate et a prima affectione ad finem. Sicut intellectus « factus in actu principiorum movet se ad conclusiones. Et « ideo, omnes actus volendi praeter primum, sunt in pote- « state voluntatis... Voluntas autem facta in actu per voli- « tionem vel complacentiam boni, movet se ad alios actus « volendi. Et sic, ipsa per aliud, seu per affectionem finis « causat in se effective actum volendi, quem specificat obie- « ctum seu terminus motus motum ».[4] Et: « Sicut se habet « intellectus respectu conclusionum deducibliium ex prin- « cipiis, ita se habet voluntas respectu eorum quae sunt ad « finem; sed intellectus actu cognoscens potest se movere « ad actum cognoscendi conclusiones; igitur voluntas appe- « tens finem, potest se movere ad ea quae sunt ad finem ».[5] Et arguens contra Godefridum, qui praemotionem exige- bat ex ipsa indifferentia voluntatis, - uti praemotionistae, nisi quod illi eam a Deo, ille ab obiecto repetit, - truncat, quia voluntas, quum sit iam in actu volendi finem, ipsa se determinat ad eligendum; unde approbat solutionem Ber- nardi de Gannato: « Voluntas quantum est de natura sua « est ad opposita, ipsa tamen ratione suae libertatis deter- « minat se ad id quod vult, et ita non indiget alio determi- « nante ». Et confirmat verba eiusdem scriptoris: « Primus « ergo actus volendi non potest esse a voluntate, quia ipsa, « quantum est de se, est in potentia ad ipsum actum vo- « lendi; et ideo oportet, quod fiat actu in genere volentium

[1] II Dist. XXXIX, q. 1, a. 2.
[2] Quodl. 3, q. 15, Lovan. 1646, p. 178, col. B.
[3] P. 177, col. B.
[4] In II dist. XXV, a. 1.
[5] II Dist. XXIV, concl. V.

« per aliquid aliud, et hoc est per primam affectionem. Unde « cum illa non sit ab obiecto, item nec a voluntate, quia « tunc esset in potestate voluntatis, quod est falsum, necesse « est primam affectionem voluntatis deduci in Deum, sicut « et ipsam productionem animae rationalis. Et sic illa imme- « dite producitur a Deo effective. Alii autem actus volendi « sunt effective a composito: scilicet a voluntate et a prima « affectione ad finem, sicut docet Thomas, ubicumque loqui- « tur de hac materia; sicut intellectus factus in actu prin- « cipiorum, movet se ad conclusiones. Et ideo omnes actus « volendi praeter primum, quia sunt in potestate voluntatis, « oportet quod sint effective ab ipsa, et specificative ab « obiecto ». [1] Et Pantusa O. P. qui inter Episcopos interfuit Concilii Tridentini, monet: « Animadverte, Thomista, qui « sub tanto principe militas, quod prima causa movet non « praemovendo causam secundam: [2] non enim hoc semper « oportet, ut quando res est in loco et apta operari, sed « movet prima causa motione cooperativa intrinseca. Unde « prima causa cooperatur illuminationi solis et volitioni « humanae: et tamen sol naturaliter, voluntas libere ope- « ratur; Deus enim omnia disponit suaviter ». [3] Et ipse Caietanus: « Dupliciter contigit secundam causam moveri a « prima: uno modo, motione praevia propriae actioni, sicut « baculus movet lapidem, motus a manu, alio modo, motione « cooperativa intrinsece propriae motioni.... Non enim oportet, « quum aliquis vult aliquid, ceu quum sol illuminat, primam « causam praevia motione cooperari; sed sufficit et exigitur « eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi; « et hoc quia comparatio in unoquoque est secundum naturam « uniuscuiusque. Sic enim disponit omnia suaviter ». [4]

[1] Capr., op. t. iv, p. 249-250.

[2] Cf. verba Trombettae: « Licet voluntas divina sit prior in esse quam voluntas « creata, non tamen prius natura causat. Unde nec Deus determinat voluntatem ad « volendum, nec voluntas Deum, sed ambo concurrunt simul, Deus per generalem « influxum, et voluntas, ut causa particularis. Et quando dicitur quod voluntas « creata est movens mota, et universaliter quaelibet causa secunda: respondetur, « quod pro tanto causa secunda est movens mota, quod recipiat aliquam motionem « a causa superiore, aut formam per quam agit ». *

[3] Opusc., t. ii, tract. *De lib. arb.*

[4] i. Q. xix, a. 8.

* iv. Dist. xiii, q. 1, a. 4.

14) Ex hoc quod Deus voluntatem creatam sibi relinquit, in actibus malis formalitas mali est a deficiente voluntate, entitas bona est a prima causa Deo: « Effectus causae se-« cundae reducitur in causam primam non deficientem « quantum ad id quod habet entitatis et perfectionis, non « autem ad id quod habet de defectu. Sicut quidquid est « motus in claudicatione causatur a virtute motiva; sed « quod est obliquitatis in ea non est ex virtute motiva, sed « ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis et « actionis in actione mala reducitur in Deum sicut in cau-« sam; sed quod est ibi defectus, non causatur a Deo, sed « ex causa secunda deficiente ». [1]

15) Inde nullatenus Deus est mali auctor; sed permittit malum, et hoc est bonum: « Sicut perfectio universalitatis « rerum requirit ut non solum sint entia incorruptibilia, sed « etiam corruptibilia; ita perfectio universi requirit ut sint « quaedam quae a bonitate deficere possint; ad quod sequitur « ea interdum deficere ». « Ipsum autem totum quod est « universalitas creaturarum melius et perfectius est, si in « eo sint quaedam quae a bono deficere possint, quae inter-« dum deficiunt ». [2]

16) Providentia igitur hominem regit secundum suam innatam libertatem: « In hoc quod dicitur Deum hominem « sibi reliquisse (Eccli. XV), non excluditur homo a divina « providentia; sed ostenditur quod non praefigitur ei virtus « operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus, « quae aguntur tantum, quia ab alio directa in finem, non « autem seipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, sicut « creaturae rationales per liberum arbitrium, quo consilian-« tur et eligunt, unde signanter dicitur: " in manu con-« silii ,,. Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum, « sicut in causam, necesse est ut ea quae ex libero arbitrio « fiunt, divinae providentiae subdantur ». [3]

[1] Ibid., Q. XLIX, a. 2.
[2] Ibid., Q. LXVIII, a. 1.
[3] I Q. XXII, a. 2, ad 4m.

b) De motione divina in ordine gratiae.

17) Praeter motionem generalem in ordine naturae, datur motio magis determinata in ordine gratiae: « Deus movet « voluntatem sicut universalis motor ad universale obiectum « voluntatis quod est bonum, et sine hac universali motione « homo non potest aliquid velle... Sed tamen interdum spe- « cialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volen- « dum, sicut in his quos movet per gratiam ».[1]

18) Haec motio est duplex: alia ad actum, alia ad habitum: « Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur. « Uno modo in quantum anima movetur a Deo ad aliquid « cognoscendum vel volendum vel agendum. Et hoc modo « ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed « motus quidam animae; actus enim moventis in moto est « motus. Alio modo adiuvatur... secundum quod aliquod « habituale donum a Deo animae infunditur... ».[2] Eodem sensu scribit laudatus Ægidius Romanus: « Ad hanc autem « gratiae infusionem ut eam anima consequi possit, requiri- « tur alia motio divina. Quia quantumlibet Deus immittat « bonas cogitationes, et quantumcumque liberum arbitrium « consentiat eis, non erit hoc sufficiens, nisi specialiter « moveatur liberum arbitrium a Deo ad gratiam conse- « quendam ».[3]

19) Haec motio inclinat, ita tamen ut libertatem non auferat, ac proin liberum arbitrium ei resistere possit. « Sic « Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen « potest huic motioni resistere, et sic ex Deo est quod homo « se ad gratiam (utique iustificantem) praeparet, sed quod « careat gratia (iustificante), non habet causam a Deo, sed « ab homine, secundum illud Oseae VIII, 9: "Perditio tua ex « te, Israël, tantummodo ex me auxilium tuum „ ».[4] Et alibi: « Quum homo habeat liberum arbitrium flexibile ad bo- « num et ad malum, dupliciter potest aliquis bonum perse- « verantiae obtinere a Deo. Uno quidem modo per hoc quod

[1] I-II Q. IX, a. 6, ad 3m.
[2] I-II Q. IX, a. 2.
[3] Op. cit., p. 502.
[4] Quodl. I, a. 7, ad 2m.

« liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam « consummatam, quod erit in gloria. Alio modo ex parte « motionis divinae, quae hominem inclinat ad bonum usque « ad finem ».[1] Bene rursus Capreolus: « Deus iuvat nos, « immediate ipsum actum efficiendo, et non ipse solus efficit « actum, sed etiam voluntas efficit. Sed, ut iam tetigi, non « solum iuvat Deus ad bonum velle, partialiter coëfficiendo, « qui est modus communis, quo concurrit[2] ad cuiuslibet « agentis creati effectum quemlibet, sed etiam quodam modo « speciali, videlicet faciendo ipsam voluntatem partialiter « concurrere, ita quod ipsa voluntas partialiter concauset « applicata et quasi instrumentaliter mota a Deo ad sic « particulariter concausandum. In qua tamem motione non « necessitatur, sed instrumentum liberum exsistens, in cuius « potestate est sequi motionem agentis, iuvatur ita ut « agat ea, quae non sic adiuta nequaquam agere potuisset. « Ad productionem vero actus mali solum primo modo con- « currit Deus ».[3] Quantopere Bannez hac in re summi momenti dissentiat a Capreolo, apparet ex hoc quod impugnat Gregorii Arim. sententiam, cui, ipso Bannezio testante, Capreolus adhaeret: « Quod Deus non determinat neque applicat « eorum (hominum) voluntates ad bonum vel malum usum; sed « actualis operatio pendet solum ex libertate arbitrii volen- « tis se determinare ad bonam vel malam operationem ».[4]

20) Haec motio effectum suum interdum obtinet, interdum vero non; quare sub hac ratione non tanti fit a S. Thoma discrimen inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem. Sub

[1] I-II, Q. 114, a. 9.

[2] Ex dixtis in hoc loco et superius n. 13 patet, aliquem concursum simultaneum esse admittendum; non autem in sensu exclusivo Molinae.

[3] In II Dist. XXVIII, a. 3, ad arg. ctr., 2m concl. ad 12am et citat I-II, Q. X, a. Huc faciunt et verba Ægidii Romani: « Opera gratiae dici possunt esse a nobis et a Deo: « et dici possunt esse totaliter a Deo, cum omnia sint a Deo: et possumus dicere « quod aliquo modo sunt a Deo, e aliquo modo a nobis. Et quod a Deo sunt secun- « dum prioritatem, a nobis secundum posterioritatem.... Prioritas dicit principali- « tatem, vel dicit agere principaliter; posterioritas vero dicit agere instrumentaliter. « Et secundum hunc modum prioritas boni operis propter principalitatem attribuetur « Deo: posterioritas vero, quod et agere instrumentaliter, poterit attribui nobis, « quia coadiutores Dei sumus, et instrumenta eius in agendo ». *

[4] I, Q. XXIII, ad 1 concl., dub. 2, 3a concl. ad 3 §.

* Dist. XXVI, q. 2, a. 3, p. 448.

ista enim ratione motus S. Doctor inter utramque gratiam non inducit distinctionem essentialem. « Vocatio quaedam « interior est, et haec quandoque quidem non pertingit ad « finem suum, ex vocati defectu; et haec vocatio nihil aliud « est quam aliquis instinctus vel motus ad bonum a Deo « immissus: et haec etiam non est idem quam iustificatio, sed « via ad illam. Quandoque autem pertingit ad effectum ... ».[1] Unde sequitur, animam dupliciter posse in gratiam peccare: expellendo per gravem culpam habitum gratiae quem possidet, et resistendo motui qui vel ad gratiae habitum, vel sub gratia ad bonum actum gratiaeque augmentum conduceret. « Dicitur quis extinguere Spiritum, uno modo fervo- « rem eius extinguendo ...; vel etiam cum aliquis bonus motus « insurgit, et ipse impedit ».[2]

21) Nec inde in discrimine versatur certitudo providentiae praedestinantis, licet respectu causarum secundarum habeat contingentiam.

« Invenimus ordinem compossibilem esse respectu ali- « cuius dupliciter. Uno modo, in quantum una causa pro- « ducit effectum suum ex ordine providentiae. Alio modo, « quando ex concursu causarum multarum contingentium « et deficere possibilium pervenitur ad unum effectum, qua- « rum unamquamque Deus ordinat ad constitutionem effe- « ctus loco eius quae deficit, ne altera deficiat. Sicut vide- « mus quod omnia singularia unius speciei sunt corrupti- « bilia, et tamen per successionem unius ad alterum potest in « eis salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter « gubernante quod non omnia deficiant: et hoc modo est in « praedestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest « a salute: tamen in eo quem Deus praedestinat, tot alia « adminicula praeparat, quod vel non cadat, vel, si cadat, « quod resurgat, sicut exhortationes et suffragia orationum, « donum gratiae et alia huiusmodi, quibus Deus adminicu- « latur homini ad salutem.[3] Si ergo consideremus salutem

[1] IV Dist. XVII, q. 1, a. 1.

[2] In I ad THESS., V, 19, lect. III.

[3] Pari modo, et hac sane sententia ductus, Thomassinus infallibilitatem praedestinationis et gratiae efficacis a multiplicitate et varietate gratiarum repetit. *

* *Consensus Scholae de gratia,* p. I, XXI-XXVI, t. VI, p. 41-52.

« respectu causae proximae, scilicet liberi arbitrii, non habet « certitudinem, sed contingentiam. Respectu autem causae « primae, quae est praedestinatio, habet certitudinem ».[1]

22) Unde si Deus voluntate consequente velit movere voluntatem liberam, eam illaesa libertate infallibiliter movet: « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est « huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur ».[2] « Alio modo potest considerari praeparatio ad gratiam (ha- « bitualem scilicet) secundum quod est a Deo movente, et « tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur a Deo, « non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio « Dei deficere non potest, secundum quod Augustinus dicit: « " per beneficia Dei certissime liberantur ". Unde si ex « intentione Dei est quod homo, cuius cor movet, gratiam « consequatur, infallibiliter ipsam consequetur ».[3]

***

Et haec satis sint ad illustrandam mentem S. Thomae concordem menti S. Augustini. Admittit quidem S. Thomas motionem divinam omnibus liberi arbitrii actibus cooperantem; imo praemotionem quamdam, ratione prioritatis causae primae in ordine naturae, et ratione praeordinationis in ordine gratiae. At non solum non propugnat praedeterminationem physicam, sed ita loquitur ut ostendat, se illam prae mentis oculis non habere, imo se illam reiicere. In quo, uti vidimus, cum Sancto Doctore convenerunt Capreolus, aliique Thomistae optimi nominis.

Caeterum infiniti essemus, si vellemus percurrere omnes quos recentiores Thomistae solent obiicere textus, in quibus suam contendunt de praemotione physica doctrinam reperire.[4] Angelicus non sibi in re tam fundamentali contradixit.

[1] *De verit.*, q. VI, a. 3.

[2] I-II, Q. X, a. 4 ad 3m.

[3] Ibid., Q. CXII, a. 3; cf. Quaest. VI, *De malo*, a. 3. Alia voluntas Dei antecedens, alia consequens. Infallibilitas de qua hic sermo est, de consequente Dei voluntate est intelligenda. – Cf. NICOLAI, *Rayner. Pantheol.*, verbo *gratia*, cap. VI, p. 292-294; CONRAD KÖLLIN, O. P. (in hunc locum).

[4] Inter alios textus cf. illos quos adducit atque optime explicat in dissertatione sui tractatus *De Deo uno* acutus P. DE SAN, S. I., *De Pot.*, Q. III, a. 7, arg. 7m; cf. III Dist. XXIII, q. 3, a. 1; Ibid. ad 3m; ad 13m; cf. I-II, Q. X, a. 4; I-II, Q. X, a. 4, arg. 8m; I, Q. XIX, a. 8, arg. 3m; I, Q. XIX, a. 3; cf. I, *Ctr. gent.*, c. 82.

Ipse modus quo Aquinas arguit, quo obiectiones solvit, ostendit, eum non admisisse hanc rigidiorem sententiam; secus, eam afferendo, longe clarius mentem suam exposuisset et efficacius obiectiones radicitus truncasset. Exemplo sit eius expositio, quam superius n. 21 attulimus, de certitudine praedestinationis. Si in sententia neo-thomistica fuisset, simpliciter respondisset, v. gr.: certitudo praedestinationis est manifesta, quia iuxta eam Deus physica determinatione liberum arbitrium praemovet. Nihil huiusmodi dicit, sed obiectionem solvit longiori discursu, imo tali, qui hanc praedeterminationem excludit.

Hinc facile explicatur, quomodo priores S. Thomae discipuli largiorem hac in re sententiam amplexati sint, et quomodo Patres Conc. Tridentini tam moderate de gratiae efficacia sint locuti. Nec mirum proin, Ioannem Gonzales de Albeda [1] impugnasse Alvarez et Lemos, eo quod eorum sententia destruatur libertas, nec salvetur veritas definitionis Tridentinae. [2] Nec aliter iudicarunt Ioannes Vincentius, [3] et Franciscus de Aravio, qui praedeterminationem physicam repudiat in ordine tum naturae tum gratiae. [4]

Nec sane meritum est praedeterminationis physicae quod communis sit eiusdem patronis et Calvinistis. Absit quidem ut contendamus, illorum conceptum cum pessimo istorum errore convenire; negari autem nequit, istos ex eisdem praemissis incedere, quod et ipsi rigidiores Thomistae concedere solent. [5]

Admissa nostra interpretatione sententiae S. Thomae, facilius explicatur quomodo, ad ordinem exsecutionis providentiae et praedestinationis, - quod alibi loco suo ostendimus, - S. Doctor passim ad praescientiam quoque divinam recurrere soleat, dum praedeterministis hoc sit prorsus superfluum, quum omnia in divinis praedeterminandi decretis contineantur.

[1] In I, Q. XIX, disp. 58. Cf. dicta p. 385, ubi, calami errore, loco Gonzales legitur Alvarez.

[2] Cf. LIVINUS DE MEYER, *De mente S. Conc. Trid. circa gratiam physice praedeterminantem,* dissert. I, cap. 2, 3 et 4; dissert. II, cap. 5.

[3] Apud LEDESMA, O. P., *De auxiliis.*

[4] In I-II, Q. XCI, a. 5, dub. 5.

[5] Cf. textum Reding inferius afferendum.

Facilius etiam in nostra sententia explicatur, quomodo tot acutissimi viri, a Bellarmini tempore ad nostrum, in S. Thoma, cuius lucida expositio est una ex praecipuis scribendi dotibus, illam doctrinam non invenerint. Igiturne fuerunt omnes aut incapaces legendi, aut praeiudiciis obcaecati?

Demum iuxta nostram interpretationem concordia elucet inter S. Thomam et S. Augustinum, qui efficaciam utique divinae gratiae fortiter tuetur, numquam autem ad physicam praedeterminationem recurrit; ac proin a S. Paulo ad S. Thomam non habetur hiatus. Nec imo hiatus usque ad exortas controversias inter Molinistas et Thomistas. Bene Portalié: « Quand on cherche les ancêtres des deux grands « systèmes Thomiste et Moliniste qui au XVe siècle ont par- « tagé avec éclat les théologiens en deux camps, on est « étonné de trouver un si petit nombre d'esprits qui puis- « sent dans les siècles précédents être ramenés à l'une ou « l'autre école. Que pensaient donc les anciens? Quel était « leur système de conciliation? Sans doute ils ne soulevaient « point la question dans les mêmes termes qu'aujourd'hui, « ils ne parlaient point encore de grâce suffisante et efficace « (division postérieure au Concile de Trente), mais le pro- « blème de la liberté et de la grâce, posé par Pélage, ne « pouvait leur échapper: ils le traitaient en effet quand ils « examinaient comment le nombre des prédestinés pouvait « être certain et immuable, chaque élu étant toujours libre « de défaillir. Or en étudiant de près les théologiens anciens « du moyen âge, au s'aperçoit bientôt qu'on peut les diviser « en trois classes: Un groupe très restreint, représenté par « H. Bradwardin (1349), adopta assez clairement la pré- « détermination physique mise en circulation par ce théo- « logien.... Un second groupe, non moins restreint, sacrifiait, « d'une manière plus ou moins consciente, les droits de Dieu, « ou l'infaillibilité de la providence, ou même, avec Durand, « le concours divin. Mais l'immense majorité des théolo- « gieus, fidèle aux deux dogmes, n'en concevait d'autre con- « ciliation que l'infallibilité de la providence par l'influence « morale exercée sur la volonté ».[1]

[1] *Dictionn. de Théol. cath.* Vacant – MANGENOT, *Augustinianisme,* t. I, col. 2498.

Caeterum, candide fateri liceat: etiamsi mihi constaret, S. Thomam re vera praedeterminationem physicam tenuisse, qualem propugnant Bannez eiusque sequaces, omni reverentia a tanto Magistro hac in re recederem, quum haec doctrina mihi videatur radicitus falsa et periculis plena.

6) Notula historica de Congregatione de Auxiliis.[1]

Celeberrimae controversiae *de Auxiliis,* quo melius perpendi valeant, ab ipsis praeambulis sunt reassumendae. Quae praeambula uno verbo comprehendi possunt, aemulatione scilicet inter vix natam mireque excrescentem Societatem Iesu[2] et venerabilem S. Dominici Ordinem, qui ob Aquinatis famam in re theologica spêciali gaudebat praestigio, praesertim in Hispania, studiis sacris tunc florentissima. Qua aemulatione sane excessit Melchior Canus. Nec parum eidem contulit dispositio Constitutionum Societatis Iesu,[3] quae possibilitatem admittebat, ut pro opportunitate, loco S. Thomae, alius auctor classicus in scholis S. I. adhiberetur. Publica disputatio Salmanticae habita, necnon ascensus Bannez, Cani

[1] Inter varia opera quae de hoc argumento tractant, praecipua sunt: H. Serry O. P., *Historia Congregationum de auxiliis divinae gratiae sub Summis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V, lib. IV, auctore Augustino Le Blanc,* Lovanii, 1699. - L. De Meyer, S. I., *Historia controversiarum de divinae gratiae auxiliis, sub Summis Pontificibus Sixto V, Clemente VIII et Paulo V, libri VI, auctore Theodoro Eleutherio Theologo,* Antwerpiae, 1705. - Cf. inter recentiora scripta Schneemann, S. I., *Entstehung und Entwicklung der Thom.-Molin. Controv.;* - Morgott, *Kirchenlex. Hergenröther-Kaulen.* ad verbum *Congregatio de Auxiliis,* ed. 1884, t. v, col. 897-920; - Hergenroether, *Handb. d. algem. Kirchengesch.,* Freiburg, 1877, t. ii, 499-503.

[2] Iam prope ab exordiis Societatis Iesu aemulans quaedam sese manifestavit repugnantia erga S. Thomam. De qua ipse S. Ignatius conquestus est celebri epistola ad amicum suum Nicolaum de Furno Lutetiae degentem: in qua post praeambulum haec leguntur:

« Reverende vir... Venerunt scripta magistri Thomae quae *antiqui* hic valde « laudant; sed *novi* et *iuvenes* non tenent aliquid de eis, et quando tenuimus consi- « lium an etiam vellemus concludere contra ea, tum novelli, qui non sunt adhuc « satis experimentati, tenuerunt oppositum antiquis illis, dicentes quod Thomas est « innocens, et nunquam scripsit aliquid ad haereticum, et sic usque adhuc impedi- « verunt, quod est valde indecenter, nescio quid fiet postea ...

« Datum Romae, octava Maii.

Reverentiae Vestrae humillimus servus « Ignatius ».

[3] P. iv, a. 14, declar. B.

discipuli, in cathedram Salmanticensem, res adhuc acuere. Quum Prudentius de Monte Maiore contra praedeterminationem physicam et praedestinationem ante praevisa merita publicas theses defendisset, Bannez eum Inquisitioni Valladolid denuntiavit; cuius denuntiationi exitus aliter ab aliis enarratur. Bannez, qui *Summam* suam inchoaverat, institit, et tredecim propositiones Inquisitioni Castilianae necnon Toletano archiepiscopo denuntiavit. Sed et controversiam Romam detulerunt Alvarez et Lemos, quorum prior in Angelico collegio lector, ibidem celebri operi suo *De auxiliis divinae gratiae* incubuit. Nec otiosi remanserunt theologi Societatis Iesu, imprimis Romae Toletus et Bellarminus,[1] Suarez et Vasquez in Hispania, Gregorius de Valentia, *doctor doctorum* nuncupatus, in Germania, Lessius in Belgio.[2] Quumque in Universitate Lovaniensi professores Baii fautores contra theologos Societatis Iesu acrius ferverent, Nuntius Frangipani partibus pacem indixit.

Sed ecce anno 1588 Olyssipone, approbante Inquisitione Lusitana et Bartholomeo Ferreira O. Pr. censore, editus est liber Ludovici Molinae S. I. *de Concordia*,[3] in quo indigna-

[1] Serry * contendit, Bellarminum sententiam nunquam mutasse, sed ob disciplinares rationes ad partes Molinae apparenter declinasse.

[2] Lessius, vir pietate non minus quam eruditione insignis, ante Molinae *Concordiam* librum edidit *de gratia efficaci*, in quo imprimis propugnat praedestinationem post praevisa merita. In praefatione sui operis patrocinium S. Augustini invocat, asserens: « neque nostros D. Augustini doctrinae in iis quae contra Pelagium disputavit adversari, sed eam maxime sequi, et a multis non recte intellectam probe explicari ». E Lessii et Hamelii scriptis professores Lovanienses, anno 1587, – quos anno sequente Duacenses imitati sunt, – 34 propositiones exceptas damnarunt. Quam sententiam, annis 1648, 1649, 1679 et 1690 iteratam, Roma nunquam confirmavit.

[3] Ludovicus Molina, Conchae in Nova Castilia anno 1535 natus, anno decimo octavo suae aetatis in Societatem Iesu ingressus, primus inter suos S. Thomae commentator exstitit, in celebri universitate Coimbricensi, in qua viginti annos magna celebritate docuit. Obiit Matriti 12 octobris anno 1600, eodem quo Cardinalis Madrucci, praeses Congregationis de Auxiliis, et quo celeber eius libri *Concordia* iterata vice a Censoribus erat uti proscribendus Clementi VIII subiectus. Religiosis virtutibus, charitate imprimis et paupertate insignis, non minus in iure canonico quam in theologia nomen sibi acquisivit. Novarum viarum amator, edidit Olyssipone anno 1588 librum cui titulus: *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, providentia, praedestinatione et reprobatione etc.*, ad modum Commentarii in I Summae S. Thomae, in a. 13, Q. XIV, a. 16, Q. XIX, et Q. XXII et XXIII, quem

* *Hist. Contr. de div. grat. aux.*, I, c. 16, etc.

bundus Bannez tredecim suas propositiones reperiit. Molina autem approbatione obtenta in Castilia et Aragonia, suum librum, primo examine feliciter superato, anno sequente iterum edidit responso adauctum ad animadversiones Bannez. Is nullam sibi requiem concessit. Quumque novus librorum prohibitorum conficiendus elenchus universitati Salmanticensi esset demandatus, Bannez cum amico suo Zumel censoribus assedit, spe damnandi operis Molinae. Sed censurae vehementer restitit Curiel O. S. B.

Ut suis adversariis responderent, Iesuitae in urbe Valladolid, praeside Antonio de Padilla, solemnem disputationem instituerunt. Primus obiecit Didacus Nunno, contra propositionem quae affirmabat, cum eisdem gratiae auxiliis

librum, vehementer impugnatum, adauxit sequenti anno defensione, cui titulus: *Appendix ad Concordiam continens responsiones ad tres obiectiones atque satisfactiones ad 17 animadversiones.* Mox novam editionem dilatatam sui operis evulgavit Antwerpiae (1595). Anno 1592 Conchae edidit Commentarium in I Partem *Summae Thomae,* - opus quidem iam annis 1570-1573 confectum, novis quaestionibus in *Concordia* tractatis, opportunis locis adauctum. - Opera eius omnia de re iuridica titulo *De iustitia et iure opera omnia* prodierunt primo Venetiis anno 1614, in quo pretiosissima habet de habitudine Ecclesiam inter et gubernia civilia, inter Summum Pontificem et principes, necnon de oeconomia sociali sui temporis.

Negari nequit, Molinam fuisse novatorem audacem interdum ultra limites reverentiae. Audiatur quomodo de eo loquitur praeclarus e S. I. theologus Henricus Henriquez: « Contra sanam, firmam et receptissimam doctrinam a multis annis, et « hoc tempore apud recentissimos theologos totius Hispaniae, imo totius fere orbis, « loquitur Molina, irreverenter et periculose... More haereticorum bellicat contra « SS. Patres sapientissimos... In speciali de concursu generali Dei asserit quaedam « nimis falsa aut temeraria. De gratia et auxiliis ita diminute agit, ut periculose « aditum praebeat erroribus Pelagianorum, aut reliquiis illorum, qui dicuntur Semi- « pelagiani. De quadam scientia Dei media, illam ita asserit necessariam, ut multa « hinc inferat temeraria et contra torrentem theologorum. De providentia vero Dei « subtrahit multa: in quo suspectus est de fide et plus quam temerarius ». * Quae verba afferens P. Dummermuth O. P. addit: « Nullus unquam Thomista tam gravem « censuram edidit contra novitates Molinae ». **

Nec minus severus est Card. Baronius: « Legi libros Molinae, sed non sine « stomacho, quum nihil potentius agere prae se ferat quam S. Augustino adver- « sari, *** eumque oscitantiae redarguere, seque illo in iis disputationibus vigilan- « tiorem acutioremque iactare. Quis potest talia loquentem absque nausea tole- « rare? ». ****

P. Ioannes Mariana S. I. ait: « Ab hoc praeclaro fonte (Molinae *Concordia*) « emanarunt illi turbines et procellae, quibus nostra Societas tentavit exagitare

* Cf. de Henrico Henriquez Serry (*Hist. de aux.*, l. I. c. 17; l. V, sect. 3, c. 7.

** Defensio doctrinae S. Thomae Aq. seu *Responsio* ad R. P. V. Frins S. I., p. 4.

*** Cf. *Vindicias Augustini* Card. Noris.

**** Epist. ad Petrum de Villars, Archiep. Viennensem.

unum converti, non alium; unum tentationi resistere, alium succumbere. Alvarez et Balleso impugnarunt Molinae doctrinam uti Pelagianismo faventem Concilioque Tridentino contrariam. Die sequenti celeber concionator Aventanus O. P., Iesuitis infensissimus, e cathedra controversiam protraxit. Nova indicta disputatione, tanta utrimque vehementia certatum est, ut schismatis timore magnus Inquisitor Romam appellarit.

Itaque Clemens VIII Hispanico Nuntio scripsit ut Toletano Cardinali significaret, conflictum esse sedandum, quum res S. Sedi dilata sit; duces proin utriusque partis esse invitandos ut scripto suas sententias ad Pontificem mitterent, interim vero silentium servarent; insuper, curante magno Inquisitore, auctoritates ecclesiasticas Hispanicae consuli iussit.

« sapientissimos Dominicanae Familiae Theologos, quos potius venerari debebat, « ut prioris doctrinae Antistites, quam sequi hesterna Ludovici Molinae com- « menta ». *

Quare non carere excessu dicenda sunt haec verba Schneemann: « S. Thomae « schola, inclinato iam ad finem saeculo sexto decimo, in duas divisa est partes. « Bannez a communi via, ut ipsius verbis utar, illius aetatis theologorum deflexit, « atque vix orta eius doctrina pro nova et inaudita et apud suos et apud exteros « impugnata est. Societatis autem Iesu theologi communem ac traditam quasi per « manus veterum doctrinam, quam in ipsis Praedicatorum scholis didicerunt, reti- « nentes constanterque explicantes, illud efficere studuerunt, ut certissima gratiae « efficacia cum libertatis ratione, si fieri posset, scientiae interpretatione conclia- « retur ». **

De rationibus quae moverunt Molinam, haec scribit Alb. De Meyer: « D'où « venait à Molina ce besoin d'affirmer cette liberté plus entière de la volonté? Les « tendances de l'époque et du milieu semblent avoir eu sur les doctrines de l'auteur « une influence décisive. Les idées de la renaissance, les exhortations réitérées des « *Exercices* spirituels de St Ignace, la fière nature espagnole aguerrie par les luttes « séculaires contre les Maures, les théories subversives que répandaient les protes- « tants sur la liberté; telles étaient les causes qui amenaient les théologiens de la « Compagnie, et plus particulièrement ceux d'Espagne, à affirmer davantage la « pleine liberté de la volonté ». *** Ex hisce rationibus sane ultima videtur solidior; cui addi potest, in mente auctoris, periculum quod iudicabat inesse doctrinae Thomisticae rigidiori, utpote Calvinisticae nimis affini. Caeterum cl. De Meyer doctrinam Molinae ita describit ut saltem a Semipelagianismo excusari non possit; **** in quo nonnihil excedere videtur.

* *De Regim. Societ.*, c. 4.

** *Controv. divin. grat.* (ed. 1881, p. 47).

*** Op. cit., p. 7.

**** « Par ses seules forces, elle (la volonté humaine) peut se disposer à rece- « voir la grâce; ... sans le secours d'une grâce spéciale, elle peut persévérer dans le « bien, etc. » (ibid.).

Dominicani ad Clementem recurrunt, ne silere cogantur. Consulto Bellarmino, Pontifex utrique parti loquendi facultatem concedit.

Anno 1598 Romam pervenerunt documenta triplici parte constantia: 1) *Apologia FF. Praedicatorum*, auctoribus Bannez, Petro Herrera et Alvarez; - 2) Defensione theologorum S. I., praesertim Padillae et Suarez; - 3) Iudiciis Universitatum et episcoporum, aliis alterutri parti faventibus, aliis inter utramque haerentibus.

At Didacus Alvarez ante documenta advenerat Romam, ubi res non parum suae parti favere videbantur. Etenim Clemens VIII et Baronius erant Thomisticis principiis addictissimi, necnon Cardinalis Alexandrinus, Protector Ordinis Praedicatorum. Bannez hortatur Pontificem, ne exspectet documenta antequam iudicium feratur inter librum Molinae et suum. Annuit Pontifex, quem tamen postea huius concessionis poenituit.

***

Hic incipit historia Congregationis *de Auxiliis* ab anno 1598 per varia stadia ad annum 1607 protractae. Quae historia ab utraque parte modo nonnihil diverso narratur. Nec mirum, quum documenta completa nunquam in lucem edita sint. Igitur haec certiora pro scopo nostro sufficiant.

Clemens VIII commissionem instituit undecim membris compositam religiosis: Benedictinis scilicet, Franciscalibus, Augustinianis, Carmelitanis, Servitis, necnon lectoribus Sorbonae. Prima sessio, praesidibus Madrucci et Arrigani Cardinalibus, habita est die 3 Ianuarii 1598, et decem aliae usque ad diem 13 martii. Liber Molinae iudicatus est damnatione dignus, utpote praedestinationem post praevisa merita docens, efficaciam gratiae explicans modo contrario sententiae Patrum, et renovans doctrinam Cassiani ac Fausti. Rogantibus censoribus, Caronel O. S. A. damnabiles propositiones formulat easque Summo Pontifici subiicit. Qui, nimia celeritate actum ratus, revidendam censuram iubet. Itaque hebdomadariae sessiones instauratae sunt usque ad diem 22 Novembris eiusdem anni, et in fine sententia ab omnibus, excepto Carmelitano Bovio, est confirmata.

Sed ecce moritur Cardinalis Alexandrinus. Nec animo cedunt Iesuitae. Vasquez, Badilla et Balthasar Perez subiiciunt Clementi impugnationem praedeterminationis physicae Bannezianae. Magnae auctoritates, inter quas Archidux Albertus, Imperatrix Maria, intercedunt apud Pontificem, quem et Hispaniae missus nomine Philippi III rogat ut pacifice controversiam solvat. Ipse Molina supplicat ne inauditus damnetur, et sodales S. I. orant ut non tantum de Molina quantum de ipsa fundamentali doctrina agatur. Instantiis cedens, Clemens iubet *novum examen pacificae collationis*.

Et ita lis novum ingreditur stadium, quod, die 22 Februarii anni 1599 inchoatum, per octo collationes protrahitur, praeside Card. Madrucci, cui a tertia sessione adiunguntur Cardinales Bernerius O. Pr. et Bellarminus S. I. Adsunt a parte Praedicatorem Alvarez et a Ripa, cum generali Beccario; a parte Iesuitarum, cum generali Claudio Aquaviva, Vasquez, Cobos et Arrubal. Dominicani expostulant examen libri Molinae; dein Iesuitae libri Bannez. Madrucci iudicio submittit octo propositiones ex *Apologia FF. Praedicatorum*, Bellarminus sex quaestiones de scriptis Bannez excerptas. Responsum dant Iesuitae, recusant Dominicani. Anno 1600, emortuo Cardinali Madrucci, duo alii Cardinales rogant ut steriles collationes dissolvantur. « Quid utri« que sentirent, ait Serry, in aperto fuit; nemo tamen in « alterius sententiam ivit, aut pristinos sensus exuit ». [1]

Tertium stadium 77 sessiones complectitur, a die 27 Aprilis 1600 usque ad 20 Martii 1602. Censura lata a Caronel submittitur Iesuitis, qui respondent, damnandas propositiones non esse Molinae, reliquas vero exprimere doctrinam nulla censura dignam, utpote ab optimis theologis propugnatam. Clemens VIII decernit tertiam revisionem propositionum, quarum numerus a 90 ad 20 decreverat. Ipse Pontifex, Iesuitarum doctrinae minus favens, auctoritate litem truncare molitur. Supremo inde conatu theologi Societatis tres apologias Pontifici et Cardinalibus submittunt. Ipse Bellarminus Papae scripto consulit ut Universatum sententiam roget, et generale Concilium de re tam gravi convocet.

[1] Op. cit. p. 191.

Mense Ianuario, anno 1601, Clemens VIII quartam revisionem decernit, iubetque ponderari quaestionem tum facti tum iuris, imprimis relationem doctrinae Molinae cum Pelagianismo et Semipelagianismo. Itaque iubet, 20 obiectas propositiones a duobus theologis ex utraque parte selectis illustrari; sunt hinc Alvarez et Lemos, illinc Arrubal et de los Cobas, postea Gregorius a Valentia. Isti primo exigunt ut funditus inquiratur de doctrina Pelagianorum et Semipelagianorum, utpote in qua erant ipsi versatissimi. Sed frustra. Sessiones, numero 47 a die 23 Ianuarii ad 29 Novembris protractae, exitum habent novam condemnationem libri Molinae. Pro Iesuitis nulla videbatur superesse spes. Sed ecce Clemens VIII, qui in toto hoc negotio mirabilem prudentiam ostendit, antequam censuram adprobaret, voluit ipsos Iesuitas de eiusdem aequitate audire. Id aegre ferentium Praedicatorum impatientia suspecta visa est Papae. Sed nec magis ei placuerunt sollicitationes quae sibi undique in favorem Iesuitarum pervenerunt, non modo a principibus Philippo III, ab Archiducissa Maria Austriae, et a Duce Bavariae Gulielmo, sed ab Universatibus maxime Germaniae, Pontificem enixe rogantibus, ut hac in re audirentur, quum melius scirent quomodo cum haereticis victoriose certetur. Pontifex enim has instantias ab ipsis Iesuitis provocatas suspicabatur.[1] Nec parum eisdem nocuit thesis tunc temporis in Hispania publice propugnata: « Non est de fide, hunc « numero hominem, scil. Clementem VIII, esse de iure divino « Summum Pontificem ». Haec quum ita essent, Gregorius a Valentia rogavit, ut quatuor theses fundamentales coram ipso Pontifice ventilarentur; cui propositioni Pontifex annuit.

Hic incipit quartum harum controversiarum stadium. Die 3 Februarii 1602, Clemens mandavit ut utraque pars suos certatores deligeret. Ipse orationibus, ieiuniis, septem basilicarum visitatione sese ad solemnes hasce sessiones sancto zelo praeparavit. Consilium composuit duobus Cardinalibus, – quorum numerus postea adauctus est, – quinque episcopis, novem consultoribus e sullaudatis ordinibus desumptis. Uterque Praepositus generalis, uti testis, intererat. Certatores

[1] Cf. Schneemann, II, 73.

erant a parte Praedicatorum Alvarez et Lemos, a parte Iesuitarum Gregorius a Valentia, usque ad sessionem nonam, Arrubal, de Salas et Bastida. Theologus Societatis inchoabat defendendo Molinam; huic respondebat theologus Dominicanus; quibus profectis, consilium deliberabat,[1] et argumentum proximae sessionis indicebat. Itaque a die 10 Martii anni 1602 usque ad 7 Martii 1606 habitae sunt sessiones 85, id est 68 sub Clemente VIII et 17 sub Paulo V. Per duos annos disputatum est de naturali potentia voluntatis, deque habitudine Molinae ad S. Augustinum. In finem vergente anno 1604, post 59m sessionem, Clemens VIII introduxit argumentum scientiae mediae. Per tres sessiones locutus est Bastida, cui respondit Lemos. Interim a Galliae Rege Henrico IV missus Romam venit Cardinalis du Perron, qui, ipse a Calvinismo conversus, roganti Pontifici respondit, damnationem Iesuitarum salutatum iri veluti triumphum a Lutheranis et Calvinianis. Quo responso Papa non parum se commotum ostendit. Paucis interiectis diebus, Clemens VIII, die 5 Martii 1605 obiit, morte confirmans quod Bellarminus dixisse fertur: « Pontifex controversiam non truncabit, aut « si id intendat, morte impedietur ».

De mente quacum Clemens VIII e vita decessit, disputatur utrimque. Dominicani contendunt, Pontificem damnandam Molinae doctrinam iam corde decrevisse. Iesuitae e contra affirmant, Clementem attenta lectione ipsius libri *Concordia* sententiam mutasse, ipsumque exemplar, quod a nepote Cardinali Aldobrandino acceperat, notis marginalibus Molinae faventibus illustrasse. Ranke[2] suspicatus est, ob rationes politicas Clementem ancipitem haesisse, ne scilicet Hispaniae Galliaeve tunc inter se luctantibus, quarum prior Bannez, altera Molinae potius favebat, alterutrius damnatione displiceret. Sed haec assertio solido fundamento destituta videtur. Equidem censeam, magnum quo pollebat aequitatis ac prudentiae sensum, divina Providentia ita disponente, Pontificem continuisse.

Ultimum controversiarum stadium incipit ab electione Pauli V, die Maii 1605 habita; - Leo XI neque integrum

[1] Postea deliberationes in sessionibus separatis habitae sunt.

[2] *Die Römische Päpste,* VI, 6a ed., c. 74, II, p. 201.

mensem regnaverat. In ipso conclavi omnes Cardinales sese iuramento obstrixerant, ut qui ad Petri cathedram assumeretur, quantocius tam nefastae liti finem imponeret. Itaque Paulus V Burghesius decrevit, ventilandam esse doctrinam Bannezianam de praedeterminatione physica; qua mutatione Praedicatores ab accusatoria parte ad defensorum partem transire cogebantur. Per novem sessiones duello inter se certarunt Lemos et Bastida. Hic praedeterminationem physicam Bannez impugnavit tamquam Scripturis, Patribus, Conciliis, necnon S. Augustino et S. Thomae contrariam, determinismo Calvini affinem, et nonnisi illusoriam gratiam sufficientem relinquentem. Bastidae non minus fortiter respondit Lemos. Rogati a Pontifice, omnes censores, excepto Carmelitano Bovio, cuivis censurae adverso, 42 propositiones e scriptis Molinae excerptas proscribendas iudicarunt. Pontifex anceps haerens, sententiam submittit Cardinalibus Congregationis. Ex voto autographo Card. Pinelli Decani constat, censuram non omnibus placuisse, utpote a viris non satis competentibus latam; unde suadebatur ut principaliores ex omni natione theologi audirentur; interim a legendo Molinae libro abstineretur. Contra hanc ultimam conclusionem praepositus generalis Aquaviva vehementer protestatus est: quia, uti conquerebatur, Dominicani inde triumphantes, damnatam Societatis doctrinam buccinarent. Cardinalis du Perron Pontifici suggessit ut actus Concilii Tridentini de gratia, in Arce S. Angeli asservati, sedulo investigarentur. Paulus V magis magisque fluctuans rogavit sententiam celeberrimi tunc sanctitatis ac doctrinae fama S. Francisci Salesii. Is consulit Pontifici ut utrique parti libertatem concederet. Quod sapiens consilium Paulo V placuit.[1]

Itaque, die 28 Augusti 1607, Summus Pontifex Cardinales consultores in palatio Quirinali convocavit. In hac solemni sessione Cardinalis Ascolensis in favorem Thomismi et damnationis Molinae locutus est; e contra Cardinales du Perron et Bellarminus affinitatem inter praedeterminationem physicam et Calvinismum illustrarunt. Dein Pontifex con-

[1] Cf. dicenda infra de hoc S. Francisci decisivo interventu.

cionem habuit, quae ad hoc reduci potest. Concilium Tridentinum docuit efficaciam gratiae liberam voluntatem moventis: utrum autem physice an moraliter, non definivit. Nec ulla ratio urget ut hoc definiatur. Doctrina Praedicatorum multum differt a doctrina Calvinistarum; nec minus Iesuitarum doctrina a doctrina Pelagianorum. Itaque, quousque S. Sedes hac de re statuat, ambae partes libertate gaudeant, abstineant autem a mutuis censuris. Et ita haec celeberrima controversia speciali Dei providentia pacifice est composita. Nec parvus huius protractae litis fructus fuit non solum ut profundissimum argumentum sub varia luce penitius scrutaretur, sed ut manifesto appareret altissima sapientia qua Deus in Ecclesiae suae gubernio invigilat, ne doctrina in ullum excessum hinc inde declinet.

***

Uti epilogus harum controversiarum addendi sunt subsequentes actus quibus Romani Pontifices in via a Paulo V indicta persistendum curarunt. Itaque quum a Iesuitarum adversariis celebraretur textus autographus bullae a Paulo V praeparatae, in qua praevalens Sancti Augustini auctoritas confirmabatur,[1] Innocentius X, die 29 Aprilis 1654, monitum edidit: « Sanctitas S. declarat atque decernit, autographo « sive exemplari praedictae assertae constitutionis Pauli V « nullam omnino fidem esse adhibendam, neque ab alteru- « tra parte seu a quocumque alio allegari posse vel debere ».[2] - Paulus V, die 7 Dec. 1611, novis Praedicatorum instantiis resistit; eodem sensu loquuntur decreta Urbani VIII 22 Maii 1625, 1 Augusti 1641; praescriptiones Pauli V Innocentius X, allato

[1] Quidam suspicantur, nescimus cum quanto fundamento, Pontificem hanc bullam publici iuris non fecisse in gratiarum actione pro modo quo Iesuitae se gesserant tempore interdicti in Venetias prolati. Nos potius censemus, Pontificem inter duas partes extremas ancipitem haesisse, ideoque S. Augustinum summopere commendasse, utpote utrique parti auctoritate supereminentem.

[2] Ad hanc declarationem animadvertit cl. Alb. De Meyer: « Cette déclaration « comporte la défense de tirer de ce projet de bulle un argument d'autorité; mais « elle n'implique nullement, comme quelques historiens continuent à l'affirmer, un « amoindrissement de la valeur historique de ce document ». *

* Op. cit., p. 8, not. 2.

documento renovavit.[1] Quum autem Praedicatorum adversarii contenderent, eorum quoque doctrinam per Bullam *Unigenitus* tangi, Benedictus XIII, per breve diei 6 Novembris 1724, protestatus est; quam protestationem Constitutione *Pretiosus*, iteratis poenarum minis, confirmavit, die 26 maii 1827. Res iterum ad suum statum, die 2 Oct. 1733, revocavit Clemens XII, severe iniungens: « Ne notam aut « censuram aliquam theologicam iisdem scholis diversa sen- « tientibus inurere aut earumdem sententias conviciis et « contumeliis incessere audeant, donec de eisdem contro- « versiis haec S. Sedes aliquid definiendum aut pronuntian- « dum censuerit ».

Quibus sapientibus verbis prae docili mente habitis, iam accedamus ad praecipua systemata catholica I exponenda, II discutienda.

I) Exponuntur praecipua systemata catholica.

Non conveniunt theologi de meliori modo distinguendi praecipua systemata quae inter catholicae doctrinae septa conantur illustrare concordiam inter gratiam et liberum arbitrium. Certum est, duo maxime sibi opposita stare: a parte libertatis Molinismum, et a parte efficaciae gratiae rigidiorem Thomismum. Uterque autem habet suam mitigationem: Molinismus mitigatur per Congruismum, qui iam maiorem partem tribuit efficaciae gratiae; Thomismus rigidior mitigatur per Thomismum mitiorem, qui iam plus tribuit evolutioni liberi arbitrii, et vix differt quoad hoc a systemate sequenti.

Medius aliqualiter, et iure forsan, uti loco suo videbimus, stat Augustinianismus, a magno Doctore huius nominis nuncupatus, qui simul plus tribuit efficaciae gratiae quam Congruismus et plus libertati quam rigidior Thomismus.

Demum est aliquod systema plus minusve eclecticum, ideo Syncretisticum dictum, quod aliqualiter permiscere

[1] Pacificam disciplinam a S. Sede indictam sanciverunt praepositi generales S. I. Claudius Aquaviva, die 14 Decembris 1613, Vitelleschi, die 7 Iunii 1616, Piccolomini, anno 1655; Praedicatorum capitulum generale, anno 1670.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

conatur gratiam e consensu efficacem Molinisticam et gratiam intrinsecus efficacem Thomisticam.

Mittimus autem solutionem quam suggerit Card. Satolli dicens, gratiam esse sufficientem, quatenus est excitans seu operans; efficacem vero, quatenus est adiuvans et cooperans. Esto, sed remanet tota quaestio, quomodo adiuvet et cooperetur.[1]

Sit igitur hoc eodem ordine expositio horum systematum; brevis quidem, nam controversiae quibus ansam praebent, sunt prope infinitae, et, humili nostro iudicio, prope superfluae, quum quasi nulla affulgeat spes ut unquam Molinista in Thomistam, nec ope subtilissimae scientiae mediae, aut Thomista, nec per efficacissimam praedeterminationem, in Molinistam possit mutari.[2]

Antequam autem ad Molinismum cum Congruismo et ad Thomismum utrumque describendum accedamus, placet afferre in quo, iuxta theologum scholae Aquinatis addictissimum, conveniant.

« Conveniunt primo, quod aliquod liberum decretum Dei « circa nostras liberas actiones sit necessarium. Secundo, « quod operatio libera debeat aliquo modo dependere a « causa prima. Tertio, quod Deus concurrat physice con- « cursu simultaneo.[3] Quarto, quod ad bonam actionem vo- « voluntas a Deo moraliter praemoveatur. Quinto, quod ipsa « voluntas creata se determinet ad operandum ».[4]

[1] Op. cit., p. 135. Quare illudere sibi videtur doctus Cardinalis, quando scribit: « Ni fallor, semota est iam dissentiendi ratio; neque amplius quaerendum est quo- « modo Deus ita agat gratia efficaci ut non laedat liberum arbitrium; neque dabi- « tur locus rixandi num gratia efficax differat a sufficienti, vel intrinsece ad prae- « motionem et determinationem voluntatis in consentiendo, vel ex solo effectu « consentientis liberi arbitrii per vires gratiae sufficientis ». Quippe Satolli recusabat dilemma quod theologicam disciplinam tyrannici instar iugi vinculat. Unde in prooemio sui tractatus *De gratia* scribit: « Silentibus et in praeteritum repulsis « scientia media et praemotione (non tam dico verba quam significata prout hucus- « que mentes diviserunt) Ecclesia novum triumphum agat pro S. Thomae doctrina « undique restituta, totoque scholarum orbe in pace composito ». *

[2] Qui huiusmodi controversiis delectatur, legat, v. gr., opera polemica RR. PP. Schneemann et Frins, S. I., et Dummermuth et Del Prado, O. Pr., superius allata.

[3] Intellige saltem simultaneo.

[4] Paulus Mezger, O. S. B., *Theologiae Scholasticae secundum viam et doctrinam S. Thom. Aquin.*, tract. iv, disp. 6, art. 2, n. 1.

* *Prooem.*, x.

1) *Exponuntur Molinismus et Congruismus.*

Simul haec duo systemata coniungimus, quia conveniunt in re fundamentali, in reiicienda scilicet gratia intrinsece efficaci, et ad idem medium recurrunt scientiae mediae. Etsi multi theologi extra Societatem Iesu huic alterutri systemati adhaerent, potest tamen vocari systema Iesuitarum; quemadmodum Thomismus, etsi multi alii eum amplexantur, iure vocari potest systema Praedicatorum. In quo sane bonum est permixtum malo. Bona quidem aemulatio,[1] sed minus bonum partium studium, quod aemulationi prope adiacet. Finge Angelicum fuisse Iesuitam: nulli eius sodali liceret ab eo recedere. Finge Suarezium, Bellarminum, imo Molinam fuisse S. Dominici sodales, quot laudibus a suis cumularentur! Sed haec sunt inseparabilia a debilitate humana; nec ipsa Theologia, heu nimis! est ab his miseriis libera. Claudatur igitur haec inutilis, quin ingrata forte parenthesis, et ad describendum Molinismum accedatur.

***

Uti diximus, Molinismus conatur problema solvere incipiendo a libertate, quae nobis maxime intima est, et quam unusquisque in se, etiam sub gratiae motu efficaci, experitur. Itaque, iuxta Molinam, inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem non datur discrimen intrinsecum, quasi sint specifice distinctae. Gratia cui libera hominis voluntas respondet, est efficax; cui haec voluntas resistit, remanet simpliciter sufficiens. Consensus autem iste liber nullo modo praedeterminatur a Deo; libera enim seipsam voluntas determinat.

Audiatur ipse Molina mentem suam aperiens: « Non « video, praeter auxilium particulare gratiae praevenientis, « et concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium « aliquod particulare gratiae, ut liberum arbitrium aliquem « illorum actuum possit elicere. Etenim illa tria (liberum

[1] Quot, in Italia imprimis, magnifica templa in praecipuis civitatibus hac sancta aemulatione orta sunt in laudem Dei et magnum artis sacrae splendorem!

« scilicet arbitrium, gratia praeveniens et concursus gene-
« ralis) unam integram et sufficientem causam illorum
« complere videntur;... quare, esto Deus quodcumque aliud
« particulare auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur
« effectus ». Et ex ipso Concilio Tridentino suam sententiam defendit: « Neque Concilium Tridentinum, Sess. VI, cap. V
« et canone 4 aliud, quin potius hoc ipsum aperte innuit,
« cum ad eos actus, praeter excitantem et praevenientem
« gratiam, solum dicat requiri liberum influxum nostri arbi-
« trii quo assentiatur et cum illa cooperetur, defectuque
« illius dicat frustrari posse praevenientem gratiam ne actus,
« ad quem liberum arbitrium excitat, sequatur. Praeterea
« praeexsistente illustratione intellectus, actuve fidei super-
« naturalis, et actu spei etiam supernaturalis in voluntate,
« atque immisso in voluntatem affectu amoris Dei superna-
« turalis, quo tamquam praeveniente gratia voluntas a Deo
« excitatur et invitatur, ut de peccatis suis doleat propter
« Deum, quo, quaeso, alio auxilio supernaturali indiget
« voluntas, ut contritionem supernaturalem eliciat? Plane
« satis illi sic adiutae tunc erit, si Deus solum concursum
« generalem, quo cum causis secundis concurrere solet,
« impendat ».[1]

Consequens huius fundamentalis principii est, quod, absolute loquendo, gratia initialis minor potest, accedente libero consensu, fieri efficax, dum maior, deficiente eodem consensu, inefficax seu mere sufficiens manet. Consensum hunc vel dissensum Providentia de communi relinquit libertati hominis. Quibus in casibus frequentioribus infallibilitas gratiae efficacis petitur a scientia Dei actus futuros liberos ab aeterno praevidentis.

Quid autem si Deus, ex occulta ratione, in Sanctis v. gr. aliquos actus praedestinet, undenam desumitur gratiae infallibilitas? A scientia media,[2] qua Deus futura etiam conditionata seu futuribilita praescit, ideoque talem homini gratiam praedestinat, cum qua, prae aliis, videt illum infallibiliter actum a Deo intentum esse eliciturum.

[1] *Concordia,* Q. XIV, a. 13, disp. LIII, n. 4.

[2] Huius scientiae, saltem sub hac forma, non ipse Molina, sed eius magister Petrus Fonseca auctor habetur.

Per se manifestum est, quomodo huius systematis fautores salvent humanam libertatem sub gratia. Non solum solvitur difficultas, sed radicitus truncatur. Imo nonne truncatur nimis? Et si mysterium gratiae et praedestinationis redigantur ad haec minima, estne cur tantopere in Scripturis extollantur?

Nihilominus hoc systema multum habet quod placeat, et ob ipsam suam simplicitatem aptum est ad nutriendam fiduciam, si tamen prudentius haec collocetur in propria libertate quam in gratiae virtute.

Inter theologos qui in partes Molinae proclives se ostenderunt, eminet sane S. Franciscus Salesius, quem iam vidimus praecipuam partem habuisse in pacifico exitu litis *de Auxiliis*. Aequum est heic adducere quae mitis iste Doctor scribit in pulcherrimo suo libro cui titulus: *Traité de l'amour de Dieu*. « Il voulut premièrement d'une vraie volonté qu'en-
« core après le péché d'Adam tous les hommes fussent
« sauvés, mais en une façon et par des moyens convenables
« à la condition de leur nature douée de franc arbitre;
« c'est-à-dire, il voulut le salut de tous ceux qui voudraient
« contribuer leur consentement aux grâces et faveurs qu'il
« leur préparerait, offrirait et départirait à cette intention.

« Or entre ces faveurs, il voulut que la vocation fût la
« première, et qu'elle fût tellement attrempée à notre liberté
« que nous la puissions accepter ou rejeter à notre gré. Et
« à ceux desquels il prévit qu'elle serait acceptée, il voulut
« fournir les sacrés mouvements de la pénitence; et à ceux
« qui seconderaient ces mouvements, il disposa de donner
« la sainte charité; et à ceux qui auraient la charité, il
« délibéra de donner les secours requis pour persévérer; et
« à ceux qui emploieraient ces divins secours, il résolut
« de leur donner la finale persévérance, et glorieuse félicité
« de son amour éternel.

« Nous pouvons donc rendre raison de l'ordre des effets
« de la providence qui regarde notre salut, en descendant
« du premier jusques au dernier, c'est-à-dire, depuis le fruit
« qui est la gloire, jusques à la racine de ce bel arbre, qui
« est la rédemption du Sauveur. Car la divine bonté donne
« la gloire en suite des mérites, les mérites en suite de la

« charité, la charité en suite de la pénitence, la pénitence « en suite de la vocation, et la vocation en suite de la « rédemption du Sauveur, sur laquelle est appuyée toute « cette échelle mystérieuse de Jacob, tant du côté du ciel, « puisqu'elle aboutit au sein miséricordieux de ce Père « éternel dans lequel il reçoit les élus en les glorifiant, « comme aussi du côté de la terre, puisqu'elle est plantée « sur le sein et le flanc percé du Sauveur mort pour cette « occasion sur le Calvaire... Dieu, sans doute, n'a préparé « le paradis que pour ceux desquels il a prévu qu'ils seraient « siens; soyons donc siens, par foi et par œuvre, Théotime, « et il sera nôtre par gloire ». [1]

In epistola quam ad Lessium scripsit, S. Franciscus Salesius propugnat et ipse praedeterminationem consequentem ad praevisa merita. [2] Nil mirum proin S. Doctorem par tem habuisse praecipuam in solutione pacifica controversiae *de Auxiliis*. Quod meritum Pius IX solemniter recognovit in Brevi *Divina misericordia* (16 nov. 1877), quo S. Francisco Doctoris titulum decrevit: « Nec minore plane existi- « matione sanctum Episcopum gavisum fuisse exinde con- « stat, quod sac. mem. Paulus V Praedecessor Noster, dum « celebris disputatio *de Auxiliis* Romae ageretur, sancti « huius Praesulis sententiam ea super re requiri voluerit, « eiusque consilio obsecutus, subtilissimam, ac periculi ple- « nam quaestionem diu acriter agitatam, indicto partibus « silentio, consopiendam iudicaverit ». [3]

[1] *Traité de l'amour de Dieu,* l. III, c. 5.

[2] « Cognovi paternitatem vestram sententiam illam antiquitate, suavitate ac « Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post « praevisa merita amplecti ac tueri. Quod etiam mihi gratissimum fuit, qui nimirum « eam semper, ut Dei misericordiae et gratiae magis consentaneam ac amabilem « existimavi ». *

[3] « Periculosissima est, ait S. Doctor Pontifici, quaestionis illius disputatio et suis « in extremitatibus haereses habet subiectas et proximas, quamobrem, qui in iis opi- « nionibus stat, videat, ne cadat. Porro alia sunt, quibus gemit Ecclesia et quibus « potius incumbendum esset, quam elucidandae quaestioni illi, cuius elucidatione « nihil boni reipublicae christianae illatum est, mali vero nimis; quando quidem ad « malum prona sunt tempora ». ** Dolendum sane, scriptum S. Doctoris nunquam publici iuris esse factum. Quanti illud fecerit Paulus V, apparet ex epistola ab Anastasio Germonio, Refer, utr. Signat., ad S. Franciscum die 7 Ian. 1607 missa, in qua

* Cf. KATSCHTHALER, op. cit., p. 401.

** Ibid., p. 175.

Cave tamen, ne haec verba S. Doctoris ita intelligas, ac si iuxta S. Franciscum Salesium eadem sit Dei per gratias providentia erga omnes homines, aut nunquam Deus gratias conferat maiores eo speciali fine ut homo eis consentiendo respondeat. Quam veritatem, in Molinismo puro minus apparentem, melius longe exprimit Congruismus.

***

Congruismus[1] vocari potest Molinismus castigatus, inductus scilicet ad mitigandum id quod in Molinae systemate nimis radicale videbatur.[2]

Itaque mitigationis medium est gratia *congrua,* talis scilicet quae, in speciali vocatione divina, ita est liberae voluntatis dispositionibus appropriata, ut effectum obtineat, idque ope scientiae mediae, infallibiliter. Quae congruitas, uti patet, iam ad Augustini, imo Scripturarum loquendi modum accedit, quin tamen ullo modo praedeterminationem, nec gratiam inter sufficientem et efficacem intrinsecum discrimen admittat.

Audiatur princeps huius systematis parens Suarezius: « Diximus in cap. 5 auxilium efficax in vocatione aliqua « speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiae con- « sistere, et in subsequentibus declaravimus nullam esse « excitationem quae, ex sola sua intrinseca natura seu enti- « tate, talis seu tam efficax sit; nec praeter vocationem, « necessariam esse aliquam praedeterminationem ex parte « Dei, quae vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino « talem modum efficacitatis exclusimus; tum quia repugnat « sufficientiae gratiae, cui illa praedeterminatio non adiun-

haec leguntur: « Lessi la lettera che lei mi scrisse alla Santità di Nostro Signore e « la gustò di maniera che mi ordinò doverla mostrare al Signor Cardinale Pinelli, « come capo della Sacra Congregazione del Santo Officio, et in conseguenza di quella « d'*Auxiliis;* et di più, che le ne dassi copia, volendola far leggere nella Congrega- « zione sudetta, come pur hieri l'altro feci: cioè, glie ne diedi la copia molto ben « scritta ».

[1] Cf. H. Quilliet, *Dictionn. de Théol. cath.*, Vacant - Mangenot, *Congruisme,* t. III, col. 1120-1138.

[2] Non unus e theologis Societatis Iesu Molinam hac de causa impugnavit, v. gr. Bellarminus, reticito tamen nomine, in suo tractatu *De gratia et libero arbitrio,* l. I, c. 12. - Cf. P. de la Servière, *La théologie de Bellarmin,* p. 580 sq.

« gitur ex parte Dei; tum etiam quia pugnat cum arbitrii « libertate ». Hucusque negative quid non sit, exclusa efficacia Thomistica dicta. « Et ideo superest explicandum quid « illud sit, quod vocatio efficax addit ultra sufficientem; nam « quum vocatio sufficiens sit vera vocatio, et de se effectrix « consensus, et nihilominus vocatio efficax ab illa distingua- « tur, necesse est ut ratio efficacis aliquid addat tali voca- « tioni... ». Problema itaque est nitide positum. « Vocatio « efficax illa est quae de facto habitura est infallibiliter effe- « ctum a vocante intentum », - en primum elementum quod in Molinismo non satis attenditur, - « et ideo, licet in se sit « gratia praeveniens a solo Deo facta, nihilominus includit « habitudinem ad cooperationem futuram liberi arbitrii », - dum in Molinismo vix aliquid habetur praeter possibilem cooperationem, - « cum auxilio gratiae simultaneo » - in hoc convenit cum Molinismo, - « ut sit proportionata et « accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tem- « pore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc « habet illa vocatio quod congrua et efficax sit ». Congruitas igitur est in ipsa gratia elementum quod respondet intentioni divinae.

Explicandum superest quomodo haec congrua gratia sit infallibiliter efficax. Hanc infallibilitatem Suarez repetit a divina praescientia et quidem conditionata, seu a scientia media. Exclusa enim infallibili connexione causali, id est, « in tali vocatione vel auxilio in se spectato », quae supponeret praedeterminationem, « inde concluditur debere esse « in praescientia, quia in effectu futuro, priusquam fiat, non « potest alius modus infallibilitatis cogitari, ut per se est « notum. Rursus haec praescientia in praesenti non potest « esse absoluta, quia praescientia futuri consensus gratuiti « supponit auxilium efficax, et voluntatem Dei dandi tale auxi- « lium ad talem effectum; ante quam voluntatem debet prae- « cedere secundum rationem haec infallibilitas, ut Deus non « quasi casu, sed per se, et ex propria intentione, intelligatur « dare auxilium efficax, ut efficax est; ergo necesse est ut illa « infallibilitas praecedat in scientia conditionata, qua Deus « praenovit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali « opportunitate futurum esse illi ita congruum, ut omnino

« sit illi consensura; talis ergo est infallibilis connexio auxi-
« lii efficacis cum suo consensu ». Habemus ergo hunc ordinem logicum: 1) Deus intendit dare Paulo gratiam quae consequatur effectum; 2) ope telescopicae scientiae mediae inquirit, qualis gratia tam congrua esset ut Paulus ei assentiendo responderet; 3) decernit se talem Paulo gratiam daturum; 4) de facto Paulo talem gratiam dat; 5) de facto Paulus huic gratiae respondet; 6) effectus a Deo intentus infallibiliter obtinetur.

Non unice autem Suarez efficaciae rationem repetit a speciali eius congruitate; sed cum Molina a futura cooperatione liberi arbitrii ope scientiae mediae praecognita: « Deus... quando vult hominem convertere, vult etiam illum « vocare illo tempore et modo quo novit illum consensurum « et talis vocatio appellatur efficax, quia licet ex se non « habeat infallibilem effectum, tamen ut subest tali scien- « tiae divinae, infallibiliter est illum habitura: quod inter- « dum poterit accidere cum speciali congruitate et efficacia « morali talis vocationis, interdum sine illa cooperante libero « arbitrio cum generali influxu gratiae Dei, et utroque modo « gratia erit efficax, quamvis una sit copiosior et maior « quam alia ».[1] Unde sub utroque respectu speciale beneficium gratiae efficaci inesse declarat.[2]

Quare Suarezii systema, quoad essentiam, vix differt a Molinismo.[3] Quum autem maiorem partem tribuat intentioni divinae et gratiae efficaciae,[4] quae huc intentioni respondet,

[1] *De aux.*, opusc. I, l. III, c. XIV, n. 9, cf. *A gratia*, l. V, c. XXI, n. 4. - Cf. alia SUAREZII, opera de hoc argumento: Opusc. I. *De concursu, motione et auxilio Dei;* Opusc. II. *De scientia Dei futurorum contingentium;* Opusc. III. *De auxilio efficaci: De gratia*, l. III, V.; Tractatus de *Vera intelligentia auxilii efficacis eiusque concordia cum libertate voluntarii consensus.*

[2] *De auxil.*, l. III, c. XX, n. 10; cf. *De gratia*, l. V, c. XLVIII, n. 3, 4.

[3] Cf. Card. MAZZELLA, op. cit., n. 677 sqq. Quod ita defendit Billuart: « Verum « cum neque congruitas, neque praescientia ullam vim intrinsecam conferant gratiae, « et fateantur ipsi congruistae nihil reale aut physicum habere quod non habeat « gratia incongrua et sufficiens, palam est in eorum systemate hanc efficaciam « infallibilem gratiae haberi et repetendam esse ex consensu voluntatis, ut in syste- « mate Molinae ». * Oppositum tamen tenet P. de Régnon. **

[4] Scribit cl. VAN DER MEERSCH, op. cit., p. 318: « Inde etiam Molinismus purus, « quoad substantiam doctrinae non differt a Congruismo: Congruismus addit aliquid

* *De gratia*, diss. V, a. 2, § 2.

** Op. cit.

magis est consonum modo loquendi Scripturarum et S. Augustini. Unde post famosas controversias in quibus Molinismi defectus apparuerant, praepositus generalis S. I. Claudius Aquaviva (1613) Molinismum per Congruismum in scholis Societatis mitigandum praescripsit.[1]

In favorem sui systematis solent Molinistae afferre praxim etiam illorum qui alteri systemati opposito adhaerent.

« Omnes, ait Hurter, in suis ad populum concionibus, in « libris asceticis, in praxi, etiamsi acerrime propugnent in « suis libris dogmaticis praemotionem physicam, loquuntur « secundum sententiam Molinae et Lessii... Magnum veri- « tatis argumentum! Praeferendum videtur illud systema « quocum concordat praxis, modus loquendi quotidianus et « unice aptus ad excitandos homines ad omne virtutis stu- « dium, illi theoriae a qua plus minus dissentit praxis mo- « dusque practicus instituendi populum Christianum ».[2]

« quod potius pertinet ad praescientiam Dei quam ad gratiae efficaciam explican- « dam ». Nonne princeps discrimen est in magis affirmato speciali beneficio gratiae efficacis, quatenus a Deo eligitur talis per quam effectus intentus obtineatur?

[1] En verba huius decreti: « Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gra- « tiam, quae effectum reapse habet atque efficax dicitur, et eam quam sufficientem « nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii « effectum sortiatur..., sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium « ex efficaci Dei intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea « media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter « habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset; quare semper moraliter et « in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in sufficienti gratia est, in actu « primo contineri ».* « Statuimus et mandamus ut in tractanda divinae gratiae « efficacitate, theologi Societatis eam opinionem sequantur, sive in lectionibus, sive « in publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis scriptoribus tradita atque « in controversia de auxiliis divinae gratiae coram summis pontificibus Clemente VIII « a S. S. N. Paulo V tamquam magis consentanea SS. Augustino a Thomae, gra- « vissimorum Patrum iudicio explicata et defensa est ». Apparet, scientiam mediam commendari allatis verbis: « De industria ipse (Deus) ea media seligit atque eo « modo et tempore confert quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si « haec inefficacia providisset ». Die 7 Iunii 1616 novus praepos. gener. Multius Vitelleschi significavit, suum praedecessorem nullatenus voluisse imponere doctrinam praedeterminationis physicae et gratiae intrinsece efficacis; sed unice commendare speciale beneficium quod ex Dei providentia, - non sine scientiae mediae adminiculo, - inest gratiae efficaci prae sufficiente. ** Iuxta P. Lahousse, *De gratia,* n. 215, P. Beckx praepos. generalis S. I. hoc decretum *antiquatum* declaravit.

[2] T. III, n. 107 sqq., n. 110.

* Cf. P. Lahousse, *De gratia,* n. 215.

** Cf. Schneemann, op. cit., p. 304.

Magis placent, utpote modestiora et veriora, verba P. Garrigou Lagrange: « Cette controverse pourrait, croyons nous, « devenir plus fructueuse, si l'on se plaçait davantage, non « seulement dans l'ordre de la spéculation théologique, « mais dans celui de la spiritualité. Peut-être de ce point de « vue très élevé, tout surnaturel, parviendrait-on à se mettre « d'accord sur la réponse vraiment traditionnelle, qui seule « peut satisfaire les légitimes exigences, non seulement de « l'esprit, mais de l'âme et de la conscience de chacun. « Les ouvrages des auteurs spirituels les plus estimés pour- « raient faciliter ce rapprochement » [1].

Inter theologos scholae Molinisticae addictos, qui recenti aetate in Urbe floruerunt, eminent Perrone, Card. Franzelin, Card. Mazzella, imprimis Palmieri, S. I., qui magna mentis libertate et vasta eruditione hoc systema in Universitate Gregoriana tradidit. [2] Ad idem systema permixtum Suarezii Congruismo quoad praesens argumentum etiam pertinere dicendus est Card. Billot, cuius theses VIII et XI ita sonant: « Praeter gratiam habitualem agnoscenda est gratia actualis « qua Deus intellectum et voluntatem hominis intrinsecus « movet ad aliquid vel cognoscendum vel volendum vel agen- « dum. Et dupliciter consideratur: primo quidem secundum « se, deinde vero in suo proximo ac necessario effectu. Consi- « derata in suo proximo ac necessario effectu, nihil aliud « est quam actus supernaturalis indeliberatus potentiae a « Deo motae, qui quodam vero sensu in nobis esse dicitur « sine nobis. At sumpta secundum se, est motio in facultate « recepta, principians eiusmodi actum; quae etiam eiusdem « indifferenter entitatis est, sive habeat, sive non habeat ulti- « mum effectum actus salutaris deliberati, qui idcirco in plena « potestate voluntatis semper relinquitur ». – « Divisio (inter « gratiam excitantem et adiuvantem) non est accipienda se- « cundum plures gratiae entitates, etiam solo numero distin-

[1] Bannez et Molina p. 829. - Cf. Lepidi O. Pr., *L'activité volontaire de l'homme et la causalité divine.* – Opuscules philosophiques, etc. I, Paris Lethielleux, p. 829.

[2] Eodem tempore P. Zigliara, O. P., dein Cardinalis, tradebat in Collegio super Minerva docrinam rigidioris Thomismi. Palmieri mane, Zigliara post meridiem lectiones habebant, ita ut multi ab uno ad alterum, magna aemulatione, sese conferrent, quo melius utramque doctrinam librarent.

« ctas, sed secundum quod una eademque numero gratia « dicitur excitans, in quantum est principium piae affectio- « nis indeliberatae, adiuvans vero, in quantum per hanc « piam indeliberatam affectionem, causa est libero arbitrio « ponendi, si velit, actum salutarem deliberatum ». – « Ultima « divisio est gratiae in sufficientem et efficacem, quae nihil « aliud est quam pura et simplex subdivisio gratiae exci- « tantis, pro quanto efficax a sufficiente non differt in enti- « tate auxilii, sed differt solum per denominationem extrin- « secam, utpote a Deo data sub praescientia et proposito « absoluto consensus obtinendi. Ex quo ultimo sequitur, « reiicienda penitus esse systemata victricis delectationis et « physicae praedeterminationis ».[1] Duplex itaque temperamentum doctus Cardinalis apponit, recedendo a sententia Molinae et Suarezii, quatenus non admittit concursum simultaneum,[2] et ponit virtutem fluentem supernaturalem;[3] unde quoad hoc cum Thomistis concordat.

Congruismi doctrinam clare hisce verbis comprehendit Pesch: « Infallibilis certitudo (efficaciae), non aliunda deriva- « tur nisi ex ipsa futuritione consensus; sed consensus fu- « turus est, quia homo vocatur, quomodo, quando et ubi « congruum est, ut libere consentiat ».[4]

[1] Pag. 142 sqq.; 160 sqq.; 170 sqq.

[2] Pag. 27 sqq.

[3] Pag. 148 sqq. – In suo egregio tractatu *De divina gratia* cl. Van der Meersch, has propositiones statuit: « 1ª Divisio gratiae actualis in efficacem et mere suf- « ficientem est subdivisio gratiae excitantis. 2ª Gratia efficax a gratia mere suffi- « ciente non differt ab *intrinseco,* h. e. in ipsa entitate auxilii. 3ª Licet gratia efficax « non differat a gratia mere sufficiente in ratione auxilii, tamen gratia efficax est « maius beneficium quam gratia mere sufficiens ».* Et de Molinae sententia ita concludit: « Licet non admittimus Molinae sententiam de naturali Dei cooperatione in « creaturarum operationibus,** nec eius sententiam de essentia gratiae actualis,*** « tamen illi consentimus quantum ad explicandam differentiam inter gratiam mere « sufficientem et gratiam efficacem uti infra exponemus ». Quare nobis videtur cl. auctor sententiam Card. Billot secutus.

[4] *De gratia,* p. I, sect. IV, r. 2, prop. 22.

* Op. cit.

** N 267, 275, ubi admittit praemotionem physicam, recusat autem praedeterminationem rigidioris Thomismi.

*** N. 279. Prop. 2, ubi admittit entitatem transeuntem « qua facultas humana « intrinsece applicatur ad actum indeliberatum eliciendum ».

2) *Exponitur Thomismus rigidior.*

Uti iam diximus, Thomismus ad solvendum concordiae problema sese collocat a parte gratiae, et, si fas sit uti hac imagine, bovem cornibus arripit. Concordia, aiunt theologi huic scholae addicti, inter gratiam et liberum arbitrium in hoc consistit quod gratia intrinsece efficax causat actum liberum sub gratia elicitum. Physice scilicet voluntas praedeterminatur ut se ad hunc actum determinet. Gratia est proin efficax quia voluntatem praedeterminat; liberum arbitrium salvatur, quia praedeterminatur ad libere se determinandum. Ad actum scilicet liberum sufficit quod, ubi agitur de eligendo bono contingenti et ut contingenti apprehenso, voluntas seipsam determinet. Repugnat quidem quod ad talem electionem ab agente extrinseco determinetur; non autem repugnat quod ad talem electionem determinetur a Deo causa interna libertatis; ita ut non solum haec praedeterminatio non destruat electionis libertatem, sed illam causet, quum haec determinatio non minus cadat super libertatem electionis quam super ipsam electionem; praesertim quum repugnet, Deum movere libertatem modo qui eam non salvet; movet enim Deus omnes causas secundas secundum suam propriam indolem.

Quae praedeterminatio physica non in ordine gratiae dumtaxat obtinetur; quin imo, quum radicitus in ordine naturae requiratur ut facultas in actum non solum possit exire, sed de facto exeat, intrinseca gratiae efficacia non est nisi huius legis applicatio ad ordinem supernaturalem.

Etenim uti principium fondamentale Thomistae ponunt, non modo in ordine gratiae sed et naturae, ad salvandam causalitatem causae primae, non sufficere concursum simultaneum, qualem propugnavit Molina, sed requiri motionem qua Deus non solum vires causae secundae creat, conservat et simultanee adiuvat concurrendo, sed applicat ad actum. [1]

[1] Cf. dicta superius de mente S. Thomae, etc., I, Q. CV, a. 5; - *de Pot.* Q. III, a 4 et 7 ad 13m: - *Summ. ctr. Gent.* l. III, c. LXVI, CXLIX; - *de Malo,* Q. III, a. 2 et 4: - *Clos. error. Graec.* c. XXIII; - cf. *Molinam.* (*Conc.* Q. XIV, a 13, disp. 26).

Fatentur quidem Thomistae[1] terminologiam « praedeter- « minationis physicae » esse quoad verba novam; contendundunt autem rem per haec verba expressam respondere doctrinae S. Thomae; legitimam autem fuisse inductionem novae terminologiae ad melius respondendum obiectionibus praecipue a theologis Societatis contra Aquinatis doctrinam motis.

Ne autem haec praedeterminatio physica perperam intelligatur,[2] insistunt in haec tria: 1) particula *prae* non indicat nisi praecedentiam in ordine logico, nullo modo in ordine temporis; 2) *determinatio* est quidem intelligenda in sensu composito, non autem diviso, quatenus in sensu composito repugnat cum hac determinatione voluntatem se ad aliud determinare, non autem in sensu diviso; ac proin nullatenus laeditur libertas, quum haec non consistat in hoc quod in sensu composito aliquis possit simul agere vel non agere, agere hoc vel illud; sed quod hoc non desinat dum agit, posse, in sensu diviso; 3) *physica* non involvit ullam coactionem, sed opponitur influxui mere morali.

Itaque, iuxta hoc rigidius systema Thomisticum, gratia efficax et sufficiens intrinsece, specifice differunt. Gratia sufficiens respicit actum primum, gratia efficax respicit actum secundum; gratia sufficiens dat posse agere, gratia efficax dat agere seu actum. « Gratia sufficiens, ait Billuart, sensu « thomistico est quae confert homini facultatem bene agendi, « ultra quam, ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, « requiritur altera validior, scilicet efficax ».[3] Et Alvarez: « Si homo consentiat, non facit gratiam efficacem, sed est « signum a posteriori quod habuerit gratiam efficacem: con- « sensus enim liberi arbitrii praesupponit gratiam efficacem « ordine rationis et causalitatis. Si autem non consentiat

[1] Cf. textum allatum p. 560.

[2] Non omnes praedeterminationem physicam eodem modo definiunt. En definitionem laudati Metzger, tam mitem ut ei subscribere possit non solum Thomista mitioris sententiae, sed et Augustinianus: « Est physica et realis motio, a solo Deo « procedens, causae creatae transeunter impressa et prioritate naturae praecedens « ipsius operationem, per quam causa creata efficaciter excitatur et applicatur ad « operationem, conformiter suae naturae eliciendam ».*

[3] *De gratia,* diss. v, a. 4.

* Ibid.

« Deo vocanti ... non facit etiam gratiam inefficacem, proprie « loquendo, sed est signum a posteriori quod vocatio Dei « non fuerit efficax, ut venit a Deo, sed solum sufficiens ».[1]

Evidens est, in hoc systemate plane explicari gratiae efficaciam, quum repugnet activae applicationi divinae gratiae moventis non respondere passivam applicationem correspondentem in voluntate mota.[2]

Sed quid de libero arbitrio, quomodo potest sub ista praedeterminatione physica salvari? Quid de possibilitate dissensus, quam tamen expresse affirmat Concilium Tridentinum? Salvaturne vere sub ista motione? iuvatne re vera distinctio inter sensum divisum et sensum compositum ad quam Thomistae confugere solent? « Sicut sedens dicitur habere po- « tentiam ad ambulandum in sensu diviso, non tamen in « sensu composito; ita dicimus praemotum ad amorem « habere potentiam non amandi in sensu diviso, et non in « sensu composito: et sicut propter potentiam in sensu « diviso sedens sedendo est liber, ita quoque praemotus ad « amorem liberrime amat, eo quod talem potentiam reti- « neat ». Ita rursus Goudin. Quid autem, si non solum sedet sed ad sedendum physice praedeterminatur?

Nec satis. Quid in hoc systemate de gratia sufficiente? Potestne vere sufficiens vocari? Ad quid enim sufficiet, nisi detur nexus magis intimus inter gratiam sufficientem et efficacem? Hunc nexum variis modis Thomistae illustrare conantur. Placet audire Massoulié: « Nemo est qui non pos- « sit efficax auxilium obtinere, ea ratione quod Deus titulo « benevolentiae et amicitiae qua prosequitur homines, huius- « modi auxilium omnibus offerat et ex se paratus sit con- « ferre... Quid enim aliud requiritur ut homo agere possit « et reipsa agat, cum per auxilium sufficiens potentia agendi « completa sit ad agendum in ratione principii in actu « primo, nec minus agere possit quam possit ignis suo calore « calefacere, et praeterea offeratur ipsum auxilium ultimum « et efficax quo potentia compleatur etiam in ratione prin- « cipii effectivi in actu secundo? Ergo si homo non agat, in

[1] *De aux. div. gr.*, t. VIII, disp. 72.

[2] Cf. inter alios GOUDIN, *De gratia Dei*, q. V, a. 4, § 4; ALVAREZ, *De auxil. div. grat.*, l. IX, disp. 33, n. 15.

« culpa ipsius est, et iustissima est ea Dei quaerela: " Quid « ultra facere debui vineae meae et non feci?„. - Sed praeterea « alio etiam modo et alio sensu quisquis habet sufficiens « auxilium potest habere et efficax, nimirum quia sufficiens « semper ordinatur ad ipsum efficax, et ut ita dixerim recta « via ad ipsum tendit, neque habenti auxilium sufficiens « negatur efficax nisi quia ipsius efficientia (?) auxilii veluti « cursum sistit... Quoties enim Deus homini auxilium suffi- « ciens confert, eo fine confert et tribuit ut hominem ulte- « rius promoveat et disponat ad alterum maius auxilium ab « ipso Deo recipiendum: et reipsa etiam illud Deus confer- « ret homini, nisi hunc veluti divinum influxum homo siste- « ret et interciperet ».[1] Ad rem quoque Goudin: « Plerique « minus advertunt, et tamen nemo negare potest, quod gra- « tia sufficiens bifariam spectari potest: primo ut est pure « sufficiens, sub qua ratione connotat permissionem Dei ut « homo ei resistat, et hoc sensu verum est, tali gratia nemi- « nem bene uti; secundo spectari potest quoad propriam « entitatem et proprium praecise suum effectum qui est dare « posse bonum, et hoc sensu falsum est neminem ea bene « uti, nam plerique illa bene utuntur et bene agunt, licet « hoc ipsum effectus sit uberioris gratiae ».[2]

3) *Exponitur Thomismus mitior.*

Nihilominus quibusdam S. Thomae discipulis hic modus concipiendi discrimen inter gratiam efficacem et sufficientem, visus est non satis tribuere isti, aut nimis magna distantia unam ab altera separare. « Il est une autre « théorie, ait P. Guillermin, O. P., qui sans différer sensible- « ment de la précédente pour le fond, présente les choses « dans un autre aspect que plusieurs disciples de St Tho- « mas trouvent préférable à plusieurs points de vue et que « je crois digne d'arrêter l'attention des théologiens ».[3]

[1] Op. cit., diss. I, q. VIII, a. 11.

[2] Op. cit., q. V, a. 3, § 1.

[3] *Revue Thomiste. De la grâce suffisante,* art. 3. - *Nature de la grâce suffisante,* § c. *Exposé Thomiste.* - 1902, pag. 404. Legatur haec tota expositio sane egregia.

Ad quam sententiam magis illustrandam viam veluti sternunt haec verba Reginaldi: « Actualis (gratia) est qua-« litas transiens, sive motio et per modum motionis re-« cepta in homine ... ». « Unde necesse est omnino ut tum « gratia sufficiens tum efficax, quae participent naturam « eiusdem gratiae actualis, atque adeo quod, sicut gratia « actualis est motio, ipsa quoque gratia sufficiens sit motio. « Quare sicut motio recepta in subiecto mobili constituit « illud motum, ita gratia sufficiens recepta in voluntate « constituit illam motam, nedum ea generali ratione qua « omne subiectum recipiens recipiendo mutatur, ... sed pecu-« liari ratione, quatenus scilicet voluntas recipit qualitatem « cuius differentialis ratio est esse motionem, eiusque subinde « singularis effectus formalis est constituere subiectum mo-« tum ... 2) Advertendum est voluntatem nostram ad suam « operationem tria exigere: sicut et ipsa causa, debet habere « vim activam actui proportionatam ...; ut causa secunda, « indiget influxu causae primae, ut non agat nisi ex influxu « primae; ut appetitus rationalis, non potest agere nisi prae-« supposita cognitione ... Itaque voluntas tria exigit ut dica-« tur posse operari supernaturaliter, scil. virtutem superna-« turalem, motionem primae causae et cognitionem. Auxi-« lium sufficiens haec tria praestat ».[1]

Utramque theoriam rigidiorem et mitiorem bene ita explicat P. Guillermin O. Pr.: « Suivant la théorie thomiste « commune, ... la grâce suffisante proprement dite est une « qualité actuelle et transitoire, *qualitas fluida*, dont l'effet « propre et immediat est de conférer à la volonté libre le « dernier complément qui, dans la sphère de sa potentia-« lité, la proportionne adéquatement à l'acte salutaire. Pour « que la volonté puisse actuellement procéder à la réalisa-« tion de l'acte, il faut un complément d'une autre sorte, « à savoir une excitation qui ébranle et actionne la volonté; « c'est la motion ou prémotion physique qui, pour les actes « salutaires, est d'ordre surnaturel: on lui donne aussi le « nom de grâce efficace parce que effectivement et infailli-« blement elle fait produire l'acte libre à la volonté.

[1] *De mente Conc. Trid.*, op. posth., p. I, c. XLII,

« A côté de cette théorie, ai-je dit, il en existe une autre « adoptée par plusieurs théologiens très sincèrement atta- « chés eux aussi à Saint Thomas, et qui, sans différer de « la précedente sur les points essentiels, explique un peu « différemment la nature de la grâce suffisante ...

« La grâce suffisante proprement dite n'apporte pas seu- « lement à la volonté libre un complément qui achève, « dans l'ordre purement potentiel, de la proportionner à « l'acte salutaire, mais elle apporte encore une réelle im- « pulsion en vertu de laquelle la volonté est capable de « passer réellement de la puissance à l'acte et de procéder « effectivement à l'opération. En d'autres termes, la grâce « suffisante est à la fois une qualité proportionnant la fa- « culté à l'acte, et une véritable prémotion physique à la- « quelle il ne manque rien de ce qui est requis, du côté « de Dieu, pour que la faculté soit principe actif intégral « de l'acte salutaire. Et ainsi on peut l'appeler, dans toute « la signification grammaticale du mot, une grâce pleine- « ment suffisante. On peut même dire que, de soi et consi- « dérée dans sa vertu intrinsèque, elle est efficace: à tel « point que si avec elle l'acte bon n'est pas réalisé, ce n'est « pas que le libre arbitre eût besoin pour le poser d'une « impulsion motrice ultérieure, c'est uniquement parce que, « librement et coupablement, elle a opposé un obstacle, une « résistance, à l'activité effective de la grâce. Sans cet « obstacle, la grâce n'eût pas été seulement suffisante et « virtuellement efficace, elle eût été efficace actuellement « et réellement ». Unde efficaciam gratiae iuxta hanc sententiam tali explicat modo, qui, quoad essentiam, nihil differt a gratia efficaci Augustiniana.

« Désormais, avec notre nouvelle explication, il faudra « faire consister cette efficacité en quelque chose de relatif « et de variable suivant la nature et le degré de l'obstacle « dont elle a à triompher. Et de là vient que les défenseurs « de cette théorie spéciale attribuent volontiers l'efficacité « de la grâce à une certaine proportionalité ou congruité « (congruentia, temperies) avec la volonté; mais, à leur avis, « c'est une congruité agissante et triomphante qui cause « infailliblement le consentement, et qui dès lors n'a rien

« de commun avec la grâce congrue de Suarez, laquelle, « on le sait, tire son efficacité du consentement prévu par « la science moyenne ».[1]

Haec mentis S. Thomae interpretatio non est nova in familia S. Dominici; imo Ioannes Gonzales de Alveda sive Albeda, uti superius diximus,[2] eam fortiter defendit contra Lemos et Alvarez, propugnatores alterius sententiae, qui ab eo appellantur « aliqui ex iunioribus Thomistis »,[3] ad ostendendum, non ita tenuisse maiores S. Thomae discipulos. Pariter Molinae asseclas vocat « iuniores theologos ». Controversia enim circa librum *Concordiae,* nedum utriusque instituti discipulos ad invicem adduxerit, potius utrimque castris longius separatis, aemulos armis magis magisque oppositis ad duellum implacabile incitavit.

Ecce quomodo in *Commentariis* suis Gonzales de Alveda naturam gratiae sufficientis explicat. « Dico secundo contra « primam sententiam (Lemos scilicet et Alvarez): gratia « praeveniens efficax intrinsece inhaerens nobis non differt « ab inefficaci eo quod illa est ultimum complementum po- « tentiae, ista vero non est complementum eius. Probatur: « quia alias ille qui habet gratiam praevenientem inef- « ficacem, solum sufficientem, non haberet potestatem « proximam et expeditam ad consentiendum Deo vocanti, « ac proin non haberet libertatem quantum ad usum ... « Quare indubie tenendum esse censeo voluntatem creatam, « solum sufficienter adiutam a Deo, habere ultimum com- « plementum potentiae activae et concursum praevium Dei ... « aliter tamen quam voluntatem efficaciter adiutam ... Habet « tamen voluntas totam illam (virtutem) quae sufficit et requi- « ritur ut in actu primo sit ultimate completa et proxime expe- « dita ad consentiendum Deo vocanti si velit. Quare est ex sua « malitia si non vult, non autem ex defectu principii primi « proximi ultimate requisiti necessitate antecedente seu ex « parte causae ».

Corollarium huius doctrinae est modus mitior explicandi

[1] *Revue Thomiste* (1902), pp. 655, 656, 658.

[2] Pag. 385, et p. 574.

[3] Optimo proin iure et nos huic scholae nomen damus recentioris Thomismi, quod et passim facit Cardinalis Billot.

efficaciam intrinsecam gratiae efficacis, quae rursus vix ab Augustiniano conceptu differt. Audiatur idem Thomista optimi nominis: « Hinc colliges ex nostra sententia non « sequi quod efficacia auxilii non sit physica secundum in- « trinsecam virtutem et perfectionem. Quia sicut efficacia « coloris ut quatuor ad expellendam frigiditatem ut duo « physica est et intrinseca, non tamen inde sequitur quod « calor ut quatuor sit efficax ad expellendam frigiditatem « ut octo; sic in nostro proposito auxilium est efficax v. g. « ad vincendam resistentiam ut quatuor, in materia talis « virtutis, et ad eiusmodi resistentiam habet physicam et « intrinsecam virtutem in quocumque subiecto talis resi- « stentia reperiatur; tamen inde non sequitur quod illud- « met debeat esse efficax ad vincendam resistentiam ut « centum, sed tunc debet dari a Deo aliud fortius et effica- « cius intra materiam eiusdem virtutis circa quam versatur « tentatio ». Et addit: « Et hoc est facere cum tentatione « proventum et etiam est dare auxilium congruum et con- « temperatum cum subiecto. Haec est enim contemperies et « congruentia cuius saepe meminit Augustinus (l. I *ad Sim-* « *plic.*, - lib. *de Praedest. Sanct.*) et etiam D. Thomas (in « *Ioann.*, VI) ».

Nec ipse solus stetit hic theologus, uti erudite monet laudatus P. Guillermin, cui non parvum meritum est nuperrime animose hanc propugnasse sententiam, quam et nos alteri longe praeferimus, uti veriorem in se, efficaciorem in re polemica et ascetica, necnon ipsi Aquinitati eiusque primis discipulis magis consonam. Sane ex antiquis Thomistis ad mentem huius mitioris et Augustinianae explicationis sunt verba Ægidii Romani: « Sicut non introducitur forma na- « turalis, nisi agens naturale primo moveat et disponat ma- « teriam ad ipsam: sic quia gratia est quid supernaturale, « nunquam infunditur animae, nisi agens supernaturale, quod « est Deus, moveat et impellat animam ad susceptionem « gratiae, ut declaratum est ex convenientia gratiae ad na- « turam. Iste autem impulsus et iste motus divinus ad gra- « tiam sunt compunctiones et bonae cogitationes, quas im- « mittit Deus peccatori non converso, ut convertatur ad « ipsum; et quas immittit converso, ut magis convertatur

« ad eum. Immissiones autem istae possunt dici divina pul-
« satio et divina statio ad ostium cordis pulsans, ut homo
« convertatur ad ipsum, et aperiat sibi ianuam, ut Deus
« intret in ipsum et infundat sibi gratiam: vel istae immis-
« siones bonarum cogitationum possunt dici divina vocatio,
« qua Deus vocat nos intrinsecus, ut sequamur ipsam et
« recipiamus gratiam, de qua vocatione potest exponi illud
« Prophetae: "Audiam quid loquatur in me Dominus Deus,
« quoniam loquitur pacem in plebem suam ,, id est, in me
« et in aliis sibi subiectis. Nam ista vocatio non est nisi ad
« pacem, ut corpus sit subiectum animae, et anima Deo, et
« omnia sint pacificata. Sic ergo ante omnia praecedit huius-
« modi divinus impetus, in quo aliquo modo conveniat gra-
« tia cum natura. Verum ... quando Deus sic immittit nobis
« cogitationes bonas, et sic vocat nos per eas, in potestate
« nostra est velle sequi ipsum vel non sequi. Et si sequa-
« mur ipsum, infunditur nobis gratia; si non, excludimur ab
« ea; ergo ad infusionem gratiae primo praecedit divina
« vocatio vel divinarum cogitationum immissio; postea se-
« quitur liberi arbitrii ad Deum conversio, et postea gratiae
« infusio ».[1]

Imo adhuc magis a rigidiori conceptu Alvarez recedunt haec verba Henrici Gorcumiensis:

« Quia per bonas actiones pervenitur ad adeptionem
« aeternae gloriae et huiusmodi actiones sunt Dei tamquam
« principaliter agentis, ideo sacra Scriptura aliquoties loqui-
« tur tamquam totum esset solius Dei et homines non ha-
« berent aliquid interesse. Et ad hunc sensum dicit Apo-
« stolus: « Non volentis neque currentis, sed Dei miserentis ...»
« Esau movebatur gratuita motione ad consentiendum simul
« infusioni gratiae, qui ex libertate arbitrii non consentiens,
« si voluisset, consensisset et gratiam accepisset, qua, si
« voluisset, bene usus fuisset, et in eadem secundum facul-
« tatem liberi arbitrii ad finem usque perseverasset ac per
« hoc aeternam gloriam possedisset. Quinimmo non irratio-
« nabiliter dici potest, quod aliquis reprobatus intensiori
« motione ad Deum movetur, nec tamen consentit. Alius

[1] In II Sent. D. 28, 1, a. 3, p. 499, col. 1, litt. P. Cordubae 1707.

« vero praedestinatus remissiori motione divinitus motus « acquiescit motioni et gratiam recipit ».[1]

Sed ab aliis eruditissimis Thomistis interpretatio Ioannis Gonzales de Alveda acceptata est, inter quos eminet homonymus eius una vix generatione posterior,[2] et ipse magnae apud suos coaevos auctoritatis, Ioannes Gonzales a Leone, « vir, iuxta Echardum, qua pietate, qua eruditione, « sua aetate clarissimus sanctae Theologiae Magister ». Placet quaedam nitidissima verba ab hoc scriptore depromere. « Utrum praeveniens gratia sit qualitas, inter Thomistas « est dissidium: Quidam asserunt gratiam praevenientem « in actu primo in qualitate per modum transeuntis consi- « stere ... Verumtamen iste modus dicendi non placet ... Est « virtuosa motio quam Deus in nobis sine nobis operatur; « quatenus virtuosa, potest esse principium actus vitalis su- « pernaturalis; quatenus motio, potest esse applicatio ad « exercitium ... Perpetuus in hoc modo loquendi et appel- « landi auxilium gratiae praevenientis motionem qua Deus « movet causas secundas ».[3] - « Asserendum est 3⁰: auxilium « sufficiens non solum constituit potentiam proxime operan- « tem ad operandum si vult, verum etiam (potentia illud « habens) bene operabitur, si velit ... Secundam istius asser- « tionis partem non omnes Thomistae amplectuntur; sed « expresse eam docet S. Augustinus. Praeterea probatur « ratione: Quoniam auxilium sufficiens taliter constituit po- « tentiam et complet illam quod dat illi omne requisitum « ex parte principii ad operandum; si non operatur, sine du- « bio culpa sua erit ... Ex his patet quod homo sic praeventus « habet omne requisitum ad operandum et omne comple- « mentum, ita ut contineat operationem totam et totaliter, « tali modo quod, si velit, illam eliciat ... Asserendum 4⁰: si « homo habens auxilium sufficiens non convertatur aut sic « operetur, solum provenit ex defectu illius, non ex defectu « auxilii ».[4]

[1] *Adv. Hussitas,* praep. IX.

[2] Ioannes Gonzales de Alveda Romae fuit anno 1608 uti Rector collegio super Minerva praepositus; alter eodem officio functus est annis 1635 et 1636.

[3] *Controversia 1ª*, a. 3.

[4] *Controv. 1ª*, V, a. VI.

Apud Gallos tres heic praecipue afferendi et laudandi sunt S. Thomae discipuli qui istam sententiam magis Augustinianam amplexi sunt et propugnarunt: Nicolai,[1] collegii S. Iacobi Lutetiae Parisiorum regens, Arnaldi indefessus impugnator, Bancel[2] et Massoulié, insignia O. Pr. ornamenta.

E Nicolai iam supra textum magni valoris attulimus, in quo duplicem praedeterminationem physicam distinguit, alteram sufficientem, alteram efficacem. Priorem Bancel, qui Nicolao adhaeret, appellat praedeterminationem virtualiter, alteram formaliter.

Antonius Massoulié, insignis Magister Tolosanus, quin alteram opinionem reiiceret,[3] opinionem tamen Gonzales de Alveda tuetur uti « nedum probabilem sed verissimam », et de ea fatetur: « caeteras forsitan superare non incongrue « dici posset, cum plura habeat commoda ».[4]

Inter haec commoda est facilior solutio duplicis difficultatis sane non levis: « 5°. Ea sententia (scil. magistri Gon- « zales) commodissime plura facilius explicari possunt quae « magis negotium facescere in aliis explicandis modis vi- « dentur: Nimirum quantum ad veram notionem sufficientis « auxilii et imputationem hominis ad culpam cui divina « motio denegatur. Etenim si hic explicandi modus obtineat, « palam est, eam sufficientem gratiam quam schola D. Tho- « mae admittit, verissime et propriissime sufficientem esse, « cum reipsa nihil ei desit, si vis ipsius agendi spectetur ... « Est enim verissime sufficiens imo et natura sua efficax ... « Atque inde alterum etiam consequitur, quod non levem « difficultatem ingerere solet: qua ratione scilicet et qua « aequitate possit imputari homini ad culpam quod non agat « et divina praecepta non impleat, cui divina motio deest, « quae tamen ut ageret, necessaria foret. Imputatur enim ad

[1] Marginales notas in S. Th. Summam conscripsit.

[2] Auctor *Brevis univ. Theol. cursus;* cuius, uti bene monet P. Guillermin (op. cit., p. 662), ea tantum volumina sincere auctoris mentem referunt, quae eo vivente in lucem prodierunt.

[3] Cf. quae scribit « De secundo explicandi modo: Motionem divinam in voluntate ita temperari, ut cum ipsius entitate actus oppositus coniungi possit ». (Op. cit., Dist. III, q. 4, a. 2).

[4] *Divus Thomas sui interpres.*, Disp. III, q. VI.

« culpam aequissime, cum non oriatur ex defectu motionis « gratiae divinae quod non agat, sed ex obstinatione et ma- « litia creatae voluntatis ... Quod si praeter eam motionem « altera ipsi necessaria et maioris remedii ope egeat, im- « putet sibi et magnitudini morbi, non motioni divinae, prava « hominis voluntas quae seipsam sua se malitia ac cupidi- « tate constrinxit: nihil enim deest ex parte motionis, sed « solum deest ex parte voluntatis ».[1] Aurea sane verba, menti Augustini et Thomae apprime consona!

Ex nostris heic addere placet Augustinum Reding, doctum et pium Abbatem Einsiedlensem, scholasticae theologiae ad mentem S. Thomae addictissimum, qui haec scribit: « Ex parte Thomistarum, efficacia gratiae actualis reducitur « ad intrinsecam ex nostra etiam conditionali libera deter- « minatione omnimode independentem divinae voluntatis « efficaciam. In quo tamen huius Scholae Doctores divisi « sunt, aliis in motione quadam physica voluntati impressa, « aliis in praecisa voluntatis divinae intrinseca efficacia, vi « decreti alicuius praefinitivi ad liberum nostrum salutare « consensum applicata et determinata, eam constituentibus. « Et quidem circa illam voluntati nostrae impressam ab « actu nostro libero realiter distinctam praedeterminativam « motionem praec. art. et locis ibi citatis, aliquas movimus « difficultates, ab eaque tamquam subtilitate saltem ad gra- « tiae efficaciam adstruendam non necessaria duximus ab- « strahendum. Quod si igitur voluntatis divinae per Espar- « zum ... ex S. Augustino demonstrata eius efficacia ipsius « etiam velle nostri praeparativa et praeclusiva, et ut sic « causativa, nostrique consensus taliter praefiniti ex huius « vi libere futuri infallibilitas et certitudo subsistat, quid « utrimque opus est ulteriore vel physica praemotione vel « conditionali decretum Dei praefinitum antecedente futuri- « tione ad gratiam efficacem demonstrandam »?

Et haec satis sint ad hanc mitiorem sententiam illustrandam, quae ne plus dicam, non est minus genuina Thomistica, et vicinior sententiae a S. Augustino nuncupata, ad quam exponendam mox gressum movebimus.

[1] Ibid., a. 2.

[2] *Theol. Schol.*, t. III, q. III, art. 2.

Appendix de mente Bossuetii.

Ob singulare mentis acumen quo pollebat princeps oratorum saec. XVII, iuvat penitius investigare, quid de concordia inter gratiam et liberum arbitrium censuerit. Pluries in variis suis scriptis asceticis, philosophicis, exegeticis, polemicis Bossuetius hoc argumentum tangit. Nullibi tamen magis ex professo de eodem tractat quam in opusculo paginarum numero tenui, at rerum pondere gravissimo, cui titulus: *Traité du libre arbitre,*[1] cuiusque doctrinam heic breviter contractam exhibemus. Nemo enim nostro iudicio, hanc sententiam lucidius et fortius exposuit.

Quid de ipsa doctrina a Bossuetia in his paginis propugnata censeamus, ex integra nostra disputatione satis apparebit. Multa verissima, alia ab excessu non immunia in eisdem reperiri existimamus.

Praemissa genuina liberi arbitrii definitione (cap. 1), utramque veritatem uti inconcussam demonstrat: tum hominem vero libero arbitrio esse dotatum (cap. 2), tum Deum habere huius liberi arbitrii gubernium, non solum quatenus illud regit iubendo, praemiando, aut, si defecerit, in ordinem reducit puniendo, sed quatenus providentia sua liberum arbitrium creatum moderatur[2] (cap. 3). Unde monet, neutram ex hac gemina veritate esse in dubium vocandam ob difficultatem quam mens nostra experitur eas inter se conciliandi (cap. 4). Ubi haec aurea habet: « La première règle de « notre logique, c'est qu'il ne faut jamais abandonner les « vérités une fois connues, quelque difficulté qui survienne « quand on veut les concilier; mais qu'il faut au contraire, « pour ainsi parler, tenir toujours fortement comme les « deux bouts de la chaîne, quoiqu'on ne voie pas toujours « le milieu, par où l'enchaînement se continue ». Et recte quidem. Nam, ut ipse monet, secus ad scepticismum ducere-

[1] In nostro vol. VII, agentes de hominis libero arbitrio, pluries hunc tractatum citavimus.

[2] In modo hanc secundam veritatem illustrandi iam ostendit quam sententiam sit postea amplexurus.

mur, quum vix ulla sit veritas quam tam profunde penetremus, ut nec in imis suis deductionibus dubitationum umbris misceatur.

His itaque firmiter positis, iam exclusionis processu ad varias conciliationis vias accedit.

1) Et primo quidem adducit tentamen novatorum et Iansenistarum, qui, urgentes discrimen inter statum naturae lapsae et integrae, concedunt quidem in priori arbitrium fuisse liberum, sed in eo recusant divina gubernationis decreta; in altero vero praesenti statu, in quo haec homines regunt, contendunt sub motione dirigentis gratiae in homine ad bonum non remanere nisi voluntarium.

Sed Bossuetius hanc viam multiplici ex ratione reiicit: tum quia sentimus, nos, in praesenti statu de quo quaeritur, agere non solum voluntarie, sed vere libere; unde optime monet: « C'est hors de propos qu'on a recours à un autre « état, puisque c'est dans celui-ci qu'il s'agit de sauver la « liberté »; tum quia in statu integro aderat providentia Dei liberum arbitrium gubernantis; tum quia, si haec providentia non regebat liberum arbitrium in statu integro, quia hoc gubernium spectat ad Deum « précisément parce qu'il est « Dieu », nec in statu lapso debet ei tribui, quum et in hoc statu arbitrium hominis regi possit aliis viis, quin cesset esse liberum. « Ainsi la direction qu'il faut attribuer à Dieu « sur le libre arbitre, pour le conduire à ses fins par des « moyens assurés, convient à ce premier Être par son être « même, et par conséquent en tout état: et si on pouvait « penser que cela ne lui convient pas en tout état, nulle « raison ne convainc qu'il lui doive convenir en celui ci ». Demum recusat hanc viam, quia est contraria Scripturis, quippe quae potestatem Dei in creaturarum actiones nullibi ad praesentem hominis lapsi statum restringunt. Obiicentibus hanc esse solutionem a S. Augustino suggestam, Bossuetius in fine respondet, se heic non esse de Augustini mente (quam tamen non putat talem fuisse), sed de re ipsa sollicitum (ch. 5).

2) Alia via recurrit ad scientiam Dei. *a*) Nulla creatura determinatur nec ad bonum nec ad malum, *b*) nulla est quae iuxta circumstantias vel adiuncta nec ad bonum nec ad ma-

lum se libere determinaret, *c*) has omnes possibilitates iuxta circumstantias Deus praecognoscit, *d*) quin haec praescientia ullatenus in electionum libertatem influat, *e*) iam vero Deus potest iuxta haec praevisa gratias suas conferre, *f*) ac proin salva hominis libertate attingere quod vult.

Hanc viam Bossuetius simplici dilemmate praecludit: Haec Deus praevidit futura in ipsis rebus independenter a suis decretis, vel iuxta sua decreta. Prius est impossibile, (quod in capitulo tertio ex indole causali divinae scientiae ostenderat); alterum nihil solvit, sed relinquit quaestionem integram. Et addit claudendo: « Joint que ces manières de « connaître sans condition ne peuvent être attribuées à Dieu « que par ce genre de figures qui lui attribuent impropre- « ment ce qui ne convient qu'à l'homme; et que toute science « précise réduit en propositions absolues toutes les propo- « sitions conditionnées ».

Sane quicumque recusat fundamentum scientiae mediae, pariter praesentis problematis solutionem ope scientiae mediae recuset oportet (ch. 6).

3) Tertiam viam ita indúcit: « Une autre opinion pose « pour principe que notre volonté est libre dans le sens « dont il s'agit, mais qu'il ne s'ensuit pas que, pour être « libre, elle soit invincible à la raison, ni incapable d'être « gagnée par les attraits divins ».

Deus itaque, non ope scientiae mediae, sed ope mediorum quibus potest agere in ipsum liberum arbitrium, obtinet per gratiam contemperatam, vel per victricem gratiae suavitatem, quidquid intendit. Ad hunc finem *a*) disponit obiecta, *b*) agit in intellectum, *c*) agit in voluntatem; ita ut, etiamsi primo renuat, voluntas finaliter conducatur ad id libere volendum quod intendit Deus.

Suavitas vel delectatio spiritualis qua Deus per gratiam vincit, ad hanc quoque viam pertinet. Si tamen haec delectatio ita urgeatur ut non relinquat nisi voluntarium, reditur in viam primo loco praeclusam. Bossuetius hanc viam in hoc capitulo (7) non nisi describit, et immediate accedit ad illustrandam viam quartam, quam probabit.

4) Hanc hisce verbis inducit: « Jusqu'ici la volonté hu- « maine est comme environnée de tout côté par l'opération

« divine; mais cette opération n'a rien encore qui aille im-
« médiatement à notre dernière détermination: et c'est à
« l'âme seule à donner ce coup. D'autres passent encore
« plus avant, et avouent les trois choses qui ont été expli-
« quées. Ils ajoutent que Dieu fait encore immédiatement
« en nous-mêmes que nous nous déterminions d'un tel côté;
« mais que notre détermination ne laisse pas d'être libre,
« parce que Dieu veut qu'elle soit telle ». Quam sententiam fuse exponit iuxta modum loquendi Thomistarum. Deus scilicet, causa efficiens prima, attingit omnes effectus, quin ipsa libera electio creatae voluntatis inde debeat excipi. Nullum autem inde periculum obvenit verae libertati, quum e contra haec actio divina sit libertatis causa, tum in quantum est facultas, tum in quantum se exercet in actu. Nec inde minus est libera, quum libertas creata, quia creata, sit essentialiter subordinata actioni causae primae. « Il ne
« faut pas objecter que le propre de la liberté c'est de venir
« seulement de la liberté même; car cela serait véritable,
« si la liberté de l'homme était une liberté première et
« indépendante, et non une liberté découlée d'ailleurs ». Unde exercitium creatae libertatis non desinit esse actus eiusdem libertatis quia simul est a Deo. Imo habet a Deo et esse et esse liberum. « Ainsi loin qu'on puisse dire que l'action de
« Dieu sur la nôtre lui ôte sa liberté, au contraire il faut
« conclure que notre action est libre *a priori,* à cause que
« Dieu la fait être libre ».

Etenim haec actio Dei est aliquid nobis maxime intimum. « Faire notre action, c'est faire que nous agissions, et faire
« dans notre action sa liberté, c'est faire que nous agissions
« librement ». Consequens inde fluit, Deum liberos nostros actus cognoscere in decretis suis. « Dieu veut, dès l'éternité,
« tout l'exercice futur de la liberté humaine, en tout ce qu'il
« y a de bon et réel. Qu'y a-t-il de plus absurde que de
« dire qu'il n'est pas à cause que Dieu veut qu'il soit? Ne
« faut-il pas dire, au contraire, qu'il est parce que Dieu le
« veut; et que comme il arrive que nous sommes libres par
« la force du décret qui veut que nous soyons libres, il ar-
« rive aussi que nous agissions librement en tel et tel acte,
« par la force du même décret qui descend à tout ce détail »?

Hoc autem decretum salvare libertatem, ita urget: « Ainsi « ce décret divin sauve parfaitement notre liberté; car la « seule chose qui suit en nous, en vertu de ce décret, c'est « que nous fassions librement tel ou tel acte ». Proin, sicuti in nobis determinatio, cum qua libere agimus, non tollit libertatem actus, ita nec illud decretum Dei. Et sicut repugnat, nos offendere nostram libertatem per hanc determinationem, ita repugnat decretum Dei esse libertatis nostrae offensivum, quum sit eius causa et in posse et in agere.[1]

Quomodo, admisso hoc principio fundamentali, concordia resultet, manifestum est. « Ainsi concluent les théologiens « dont nous expliquons les sentiments, pour accorder le dé- « cret et l'action toute puissante de Dieu avec notre liberté, « on n'a pas besoin de lui donner un concours qui soit prêt « à tout indifféremment, et qui devienne ce qui nous plaira, « encore moins de lui faire attendre à quoi notre volonté se « portera, pour former ensuite à jeu sûr son décret sur nos « résolutions. Car sans ce faible ménagement qui brouille en « nous toute l'idée de première cause, il ne faut que consi- « dérer que la volonté divine, dont la vertu infinie atteint « tout, non seulement dans le fond, mais dans toutes les « manières d'être, s'accorde par elle-même avec l'effet tout « entier, où elle met tout ce que nous y concevons, en or- « donnant qu'il sera avec toutes les propriétés qui lui con- « viennent ».

Et claudit: « Tel est le sentiment de ceux qu'on appelle « thomistes; voilà ce que veulent dire les plus habiles d'entre « eux, par ces termes de *prémotion* et *prédétermination* « *physique,* qui semblent si rudes à quelques-uns, mais qui, « étant entendus, ont un si bon sens » (ch. 8).

In capite sequenti Bossuetius fuse solvit obiectionem fieri solitam, quam ita exponit: « Si cela est, disent quel- « ques-uns, la volonté sera purement passive; et lorsque « nous croyons si bien sentir notre liberté, il nous sera ar- « rivé la même chose que lorsque nous avons cru sentir que « c'était nous-mêmes qui mouvions notre corps, ou que ces

[1] Hic pulcherrimam habet sententiam: « Nous pouvons dire que Dieu nous fait « tels que nous serions nous-mêmes si nous pouvions être de nous-mêmes; parce « qu'il nous fait dans tous les principes et dans tout l'état de notre être ».

« corps se mouvaient eux-mêmes en tombant, par exemple, « du haut en bas; ou qu'ils se mouvaient les uns les autres, « en se poussant mutuellement ».

Recusat comparationem, et, affirmata vera libertate quam intime sentimus, addit: « Mais pour avoir bien entendu cette « liberté qui est dans nos actions, il ne s'ensuit pas pour « cela que nous devions l'entendre comme une chose qui « n'est pas de Dieu » (ch. 9).

Ex his principiis iam apparet, quoad hanc actionem Dei in humanam libertatem, nullum discrimen essentiale esse faciendum inter statum naturae integrae et naturae lapsae. « Cela étant, on doit comprendre que la différence de l'état « où nous sommes, avec celui de la nature innocente, ne « consiste pas à faire dépendre de la volonté divine les actes « de la volonté humaine, en l'un de ces états plutôt qu'en « l'autre: puisque ce n'est pas le péché qui établit en nous « cette dépendance, et qu'elle est en l'homme, non par sa « blessure, mais par sa première institution, et par la con- « dition essentielle de son être. Et c'est en vain qu'on dirait « que Dieu agit davantage dans la nature corrompue que « dans la nature innocente: puisqu'au contraire il faut con- « cevoir qu'étant la source du bien et de l'être, il agit tou- « jours plus où il y a plus de l'un et de l'autre ».

Nec discrimen inter utrumque statum poni debet a parte decretorum et certitudinis mediorum adhibitorum. « Il ne « faut non plus établir la différence de ces deux états dans « l'efficace des décrets divins, ni dans la certitude des moyens « dont Dieu se sert pour les accomplir ».

Et in fine huic systemati calculum affert: « C'est ainsi « que raisonnent ces théologiens; et l'abrégé de leur do- « ctrine c'est que Dieu, parce qu'il est Dieu, doit mettre par « sa volonté, dans sa créature libre, tout ce en quoi consiste « essentiellement sa liberté, tant dans le principe que dans « l'exercice; sans qu'on pense que pour cela cette liberté « soit détruite, puisqu'il n'y a rien qui convienne moins à « celui qui fait, que de ruiner et détruire.

« Cette manière de concilier le libre arbitre avec la vo- « lonté de Dieu paraît la plus simple, parce qu'elle est tirée « seulement des principes essentiels qui constituent la créa-

« ture, et ne suppose autre chose que les notions précises « que nous avons de Dieu et de nous-mêmes » (ch. 10).

Superest quaestio de malo. Sed Bossuetius eam solvit per distinctionem inter bonum quod malo permiscetur, et quod est a Deo, et defectionem a bono, quae, quum non sit esse neque bonum, non est nisi a deficiente creatura. « Et « si on demande par où le mal peut trouver entrée dans « la créature raisonnable, au milieu de tant de bien que « Dieu y met, il ne faut que se souvenir qu'elle est libre « et tirée du néant. Parce qu'elle est libre, elle peut bien « faire; et parce qu'elle est tirée du néant, elle peut faillir. « Car il ne faut pas s'étonner que venant, pour ainsi dire, « et de Dieu et du néant, comme elle peut par sa volonté « s'élever à l'un, elle puisse aussi par sa volonté retomber « dans l'autre, faute d'avoir tout son être, c'est-à-dire toute « sa droiture ... Dieu l'ayant trouvée capable de faillir par sa « nature, la rend capable de bien faire par sa grâce ».

Et totum opusculum claudit hac synthetica sententia: « Ainsi nous avons fait voir, qu'à la réserve du péché, qui ne « peut par son essence être attribué qu'à la créature, tout le « reste de ce qu'elle a dans son fond, dans sa liberté, dans ses « actions, doit être attribué à Dieu; et que la volonté de « Dieu, qui fait tout, bien loin de rendre tout nécessaire, fait, « au contraire, dans le nécessaire aussi bien que dans le « libre, ce qui fait la différence de l'un et de l'autre » (ch. 11).

Non est mens nostra Bossuetii rationes heic perpendere; unum prae oculis habuimus: sincere exhibere qualis sit eius sententia, et quo iure rigidioribus Thomistis adnumeretur.

4) *Exponitur systema a S. Augustino nuncupatum.*

De ipsa mente S. Augustini non sumus heic directe solliciti, sed de systemate quod discipuli huius S. Doctoris passim sequuntur, licet id non semper eodem prorsus modo exponant: unde et inter illos rigidiores alii, alii mitiores appellantur.[1]

[1] Si per Augustinianismum intelligitur influxus quem Augustinus in discipulos et sequaces habuit, Augustinianismus, vivente S. Doctore inchoatus, omnia deinceps Christiana saecula pervasit. Ab Augustino Patres posteriores magnam suae doctri-

Licet hoc systema aliquid mitius habeat prae mitiore Thomismo, tamen vicinum ei valde remanet. Unde exorta controversia Molinistica, Augustiniani passim cum Thomistis pugnare visi sunt.[2]

Conveniunt enim in affirmando in gratia efficaci plus quam efficaciam moralem, licet hanc efficaciam non omnino eodem modo explicent quo plerique Thomistae. Fortiter id vindicat Berti: « In quo actualis gratiae sit constituenda natura,

nae partem hauserunt. In prae-thomistica scholasticae disciplinae aetate, ab Anselmo * ad Aquinatem, Augustinus est magnus praeco, fons praecipuus. ** Libri *Sententiarum* Petri Lombardi sunt veluti Augustinianae doctrinae synthesis.

Ubi autem Aristotelica philosophia cum Platonica certare coepit, Augustinianismus, cui adhaerebant et primi discipuli S. Dominici, cum discipulis S. Francisci, philosophiam Platonicam significabat. Imo lucta inter utramque philosophiam prima fuit causa pugnae inter sodales S. Francisci et S. Dominici, qui, ducibus Alberto ad Aquinate, Aristotelismum propugnare coeperunt. Qua de causa victoria fuerit a parte discipulorum Aristotelis, non est huius loci indagare. Ab Ægidio Colonna O. S. A. eius praecipuo magistro appellata, *Ægidiana schola* simul S. Thomae est S. Augustini doctrinam, cum quadam libertate et varietate, *** univit.

[2] Cf. GUILLERMIN, loc. cit., p. 377, not. 2, ubi legitur: « Que l'on dise, si l'on veut, « que les théologiens espagnols, qui les premiers engagèrent le débat contre le Moli- « nisme, furent amenés par la discussion à donner sur certains détails accessoires, « dans lesquels le Docteur angélique n'était pas entré, des explications personnelles « et qui dès lors ne méritent pas une absolue confiance; mais que les Dominicains, « liés dès origine à la doctrine de St Thomas par une si forte discipline et un si « religieux amour, aient laissé passer sans protestations et accepté à l'envi une doc- « trine qui pour le fond des choses eût été ou leur eût paru une innovation ou une « falsification de la doctrine thomiste, c'est vraiment par trop invraisemblable ». Et concludit: « La légende de l'origine bannézienne du Thomisme ne prévaudra point ». Libenter audivissem quaenam sint ista « certains détails accessoires »; nam secundum illa saltem poterit Banneziana sententia a primitivo Thomismo distingui.

Huic antiquae scholae inde a saeculo XVII in finem vergenti veluti opponitur schola Augustiniana recentior, quae et ipsa in duas scholas rigidiorem scilicet et mitiorem distinguitur. Ad rigidiorem pertinent Cardinalis Henricus Norisius (1931-1704) (*Histor. Pelagiana, Vindiciae Augustinianae*), Laurentius Berti (1696-1766) (opus *De theologicis disciplinis*). Ad mitiorem scholam, – quae in conditione primi hominis magis distinguebat quid esset naturae et gratiae, et efficaciam moralem magis ad quemdam congruismum reducebat, at absque scientiae mediae auxilio, - pertinet maxime Fulgentius Bellelli (*Mens Augustini de statu creaturae rationalis ante peccatum, polemica dissertatio adv. Pelagianos, Baianos, Iansenianos errores.* - Antwerpiae, 1711; *Mens Augustini de modo reparationis humanae post lapsum, adv. Baianam et Iansenianam haeresim,* etc., Romae, 1737).

* Cf. *Monol. praef.*

** De RÉMUSAT *S. Anselme* (1856, p. 476).

*** In controversia de *Auxiliis,* alii e S. Augustini familia Molinam impugnabant, alii tuebantur. Imo ante Molinam Raphael Venosti Can. O. S. A. totum systema a Molina postea nuncupatum, in confutatione Lutheri exposuerat (*De praedestinatione, gratia et libero arbitrio,* l. IV, 1543).

« viri theologi non consentiunt. Thomistae complures illam « statuendam arbitrantur in actuosa qualitate quae physice « nostrum velle operatur. Et de efficientia physica sane « doctis viris plenissime adhaereo, cum moralem efficien- « tiam attrahentem sola propositione obiecti, salva aliorum « opinatione, non valeat tarditas ingenii mei a lege et do- « ctrina secernere ». [1] Ratio est duplex: alia petita ex ipsa analysi gratiae qualem, duce S. Paulo, Augustinus concipiebat et propugnabat; alia ex insufficientia gratiae quam Pelagius concedebat, et quae usque ad moralem, internum influxum assurgebat, uti constat ex S. Augustino [2] et ex auctore libri *De vocatione gentium,* qui asserit, eum admisisse, « Deum gratiam conferre suadendo exhortationibus, « movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, « dando intellectum, inspirando consilium, corpus ipsum « illuminando ». [3] Imo Berti in eadem prope linea ponit sententiam Thomistarum et Augustinensium. Depulsa enim ut insufficienti versatilem gratiam Molinae et congruam Suarezii, pergit: « Postrema sententia est Thomistarum et Au- « gustinensium omnium affirmantium gratiam efficacem esse « reipsa, non talem reddi aut cooperatione liberi arbitrii « aut ex circumstantiis congruis, atque certissime et infal- « libiliter cum effectu coniunctam esse, non vage prout « comprehenditur in cumulo omnium gratiarum, sed quate- « nus est individua et peculiaris praemotio et inspiratio col- « lata hominibus, non suspensa et indifferenti Dei voluntate, « sed absoluta et plenissima, ita ut haec gratia det posse, « velle et perficere, neque ipsa cooperetur quia volumus, sed « nos velimus quia ipsa operatur ». [4] Unde et Salmanticenses: « Dummodo asseratur quod auxilium est ex se et ab « intrinsece efficax, et excludatur recursus ad scientiam « mediam, prostrata relinquitur opinio D. Augustino et « D. Thomae directe contraria; et non multum interest « determinare naturam et modum praedicti auxilii ». [5]

[1] *De theol. discipl.,* l. XIV, c. 7, n. 2.
[2] *De grat. Christi,* c. 10.
[3] L. II, c. 26.
[4] Loc. cit., c. 9, n. 6.
[5] *Tract. XIV,* disp. VII, dub. 5.

Interest tamen. Et quidem tripliciter. 1) Augustinienses theologi non adhibent doctrinam philosophicam ad ordinem gratiae applicatam de praedeterminatione physica sine qua transitus ab actu primo ad actum secundum est impossibilis; 2) per consequens non insistunt distinctioni specificae inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem; 3) efficaciam motus, quo gratia sufficiens fit efficax, psychologice explicant per theoriam delectationis victricis, ad modum tractionis, quae de obstaculis triumphat. Postquam exposuit in quo utrique conveniant, Berti prosequitur: « Verum etsi Thomi-« stis in confessione gratiae sufficientis et efficacis concor-« dissime coniuncti sumus, et consentimus nihil tam liberum « arbitrium perficere nisi victrice gratia delectatur et deter-« minetur ad actum, dissentimus tamen ab illis non solum « in explicanda gratiae natura, verum etiam in eo quod « nolint in eadem gratia gradualitatem admittere, et gra-« tiam, quae in uno sufficiens et inefficax est, non posse « efficacem esse in altero constantissime teneant, propterea « quod auxilium sufficiens et efficax inter se specie differant et « natura. At nos eamdem numera delectationem, quae in ali-« quibus minus obcaecatis et obduratis, e. g. in Tyriis Sidoniis-« que, foret efficax et ad poenitentiam, in aliis maiore caeci-« tate et obduratione affectis inefficacem esse contendimus ».[1]

Modum autem quo haec efficacia obtinetur, ita explicat: « Omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad « opera salutaria sufficientem, id est non efficere actus salu-« tares propter obicem carnalis et robustioris delectationis, « cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. « Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio « victrix, quae a nullo duro corde respuitur, et hanc nos « dicimus gratiam esse efficacem ».[2]

Itaque Augustinianum systema efficaciam gratiae repetit a dilectione caelesti terrenam delectationem superante, non quidem necessitate physica, - quemadmodum erronee posuit Iansenius, - sed morali; iuxta modum quo liberum arbitrium rationale se naturaliter exercet, scilicet ita ut sit

[1] Loc. cit., c. 8, n. 6.
[2] Loc. cit., n. 5.

liberum quidem, sed simul rationale, ac per consequens rationis iudicio, vero vel falso, in sua electione dirigatur. Unde quum concupiscentia ex originali labe remanens delectationem habitualem secum ferat terrenam, qua liberum arbitrium ad terrena trahitur, efficacia seu victoria gratiae consistit in hoc quod haec terrena delectatio per caelestem delectationem superetur.

Ex quo sequitur, inter gratiam sufficientem et efficacem duplex dari discrimen, - explico nunc conceptum, qualiter mihi evolvendus logice videtur, licet de hoc non concordent inter se theologi huius scholae: primum quidem a parte caelestis delectationis, quae exsuperat delectationem terrenam; alterum a parte actus. A parte delectationis, datur discrimen inter gratiam sufficientem et efficacem in eodem subiecto, non autem necessario in variis subiectis; imo gratia in uno mere sufficiens, posset in alio esse ubertim efficax. Sed a parte actus, quem gratia efficax secum trahit, intrinsece differt a gratia efficiente.

Quum igitur a parte delectationis non adsit discrimen intrinsecum, iam apparet quomodo nec libertas laedatur per gratiam efficacem; nec sufficientia desit gratiae delectationem terrenam non superanti.

Infallibilitas autem efficaciae gratiae, quemadmodum in systemate praecedenti, repetitur tum a praeordinatione divina talem gratiam ab aeterno praedestinantis, tum a praescientia minimas voluntatis inclinationes minimosque deliberationis motus ita praevidentis ut intentum affectum certo obtineat.

Magnum autem inter utrumque systema aliunde oritur. Thomistici conceptus fundamentum habet in essentiali indigentia cuiusvis creaturae, etiam liberae, ut a Deo moveatur. Unde systema praedeterminationis physicae abstrahit a conditione humana vel angelica, status integri vel lapsi. E contra, fundamentum conceptus Augustiniani est ipsa conditio naturae lapsae, prava concupiscentia infectae, propter quam indiget speciali auxilio, auxilio *quo,* ut efficaciter ad bonum caeleste dirigatur; dum in statu integro satis fuisset auxilium *sine quo non.* [1]

[1] Cf. dicta superius de utroque auxilio.

Quomodo autem in hoc systemate facilius salventur humana libertas et gratiae non efficacis sufficientia, putamus patere. Pariter constat, infallibilem gratiae efficaciam in eodem servari. Insuper melius explicantur omnia Scripturae Patrumque testimonia, in quibus vis gratiae sub specie alicuius attractionis victricis exhibetur, atque eius necessitas a praesenti historico statu repetitur.

5) *Exponitur systema dictum Syncretisticum.*[1]

Hoc systema, quod interdum quoque vocatur *Sorbonico-Alphonsianum,* quia praecipuos patronos habet Sorbonensem lectorem Tournely et S. Alphonsum de Ligorio, adhibet distinctionem inter opera minus ardua et opera difficiliora. Ad opera minus ardua sufficiunt gratiae sufficientes, ad difficiliora requiruntur gratiae efficaces.

Itaque, iuxta Tournely, datur gratia quae immediate sufficit ut obtineat « effectum suum: haec est nempe gratia « quae datur ad faciliora opera, vel ad orandum, qua deinde « oratione obtinetur uberius Dei auxilium quo difficiliora « opera adimpleantur ».[2]

S. Alphonsus,[3] qui huic sententiae adhaeret, efficientiam gratiae efficacis explicat ad mentem S. Augustini; insistit valde orationi, utpote medio saluberrimo, quod nunquam radicitus deest, et cuius ope gratia efficax obtinetur. Sed hoc iam potius spectat ad argumentum de gratiarum distributione. Huic sententiae inter recentiores, modeste tamen, subscribit Card. Katschthaler, qui illud ita describit: « Deus « modo gratiam extrinsecus, modo intrinsecus efficacem red-

[1] Cf. Patavium, *De Deo Deique propr.,* l. x, c. 19 sq.; Habert, *Theol. Patr. gr.,* l. ii, c. vi, n. 1; c. xv, n. 2. Huic systemati nomen pariter dederunt Ysembert et Hennequin, illudque specialiter formulavit Alph. Lemoine. P. Iansen O. SS. R. protestatur contra oblivionem in qua tenetur « ce système mitoyen qui admet l'ef- « ficacité intrinsèque de la grâce (pro actibus difficilioribus), admet une grâce suf- « fisante laquelle n'est pas infailliblement efficace, et rejette en même temps la « science moyenne des Molinistes. *

[2] *Praelect. theol. de gratia Chr.,* q. 7, a. 4.

[3] *Opera dogm.,* t. 7, tract. v, § 7. - *Del gran mezzo della preghiera per conseguire la salute eterna e tutte le grazie che desideriamo da Dio,* - Venezia, 1756.

* *Revue Thomiste,* 1901, p. 501.

« dit. Primum nempe secundum ordinariae praevidentiae « oeconomiam gratias largitur extrinsecus efficaces ad opera « faciliora, praecipue ad orationem; qui iis consentiunt iis- « que bene utuntur, ulteriora et uberiora auxilia, et gratias « intrinsecus efficaces accipiunt, quibus etiam opera bona « ardua perficiunt et saluti suae consulunt. Qui autem easdem « gratias negligunt iisque resistunt, uberiora auxilia non « obtinent; ideoque a tentationibus facile vincuntur et a via « salutis recedunt ».[1] Et postquam merita huius systematis exposuit, ita concludit: « Si Thomistis vel Augustinianis « consentire vis, cave ne libertatem hominis in discrimen « voces; si Molinistis vel Congruistis aggregari vis, cave ne « gratiae efficacitatem nimis deprimas; sic nullam incurres « offensionem et ope horum systematum multa gratiae phae- « nomena rite explicabis. Ego si necesse esset, uni alterive « horum systematum assensum praebere, accederem theo- « logis qui syncreticum systema amplectuntur ».[2]

Itaque descriptis praecipuis systematibus, iam ad eorum merita vel demerita ponderanda accedamus.

II. Discutiuntur exposita systemata.

Quum systemata modo breviter exposita ad tria principalia redigantur, ad recentius Thomisticum, Augustinianum, - ad quod, iudicio nostro, accedunt Thomistae antiquiores duce Angelico, - et Molinisticum, - a quo non nisi accidentaliter differt Congruismus, - placet huic discussioni praemittere monitum Benedicti XIV, libertatem hisce tribus scholis vindicantis. Quae libertas et in modo singula disiudicandi est sedulo servanda, ne discussio in odiosa declinet. Non ideo tamen abstinendum est a quavis expressione qua fortius inculcatur id quod verius iudicatur.

« Thomistae quidem traducuntur uti destructores humanae « libertatis, et uti sectatores nedum Iansenii, sed etiam Calvini; « sed cum ipsi obiectis apprime satisfaciant,[3] nec eorum,

[1] Op. cit., p. 172 sq.

[2] Op. cit., p. 174.

[3] Thomistae rigidiores summopere insistunt hisce verbis; sed non satis perpendere videntur sequentia: « nec eorum sententia fuerit reprobata », et « in statu prae-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« sententia fuerit unquam a Sede Apostolica reprobata, in « ea Thomistae impune versantur, nec fas est ulli superiori « ecclesiastico in praesenti rerum statu eos a sua sententia « removere. Augustiniani traducuntur tamquam sectatores « Baii et Iansenii: reponunt ipsi se humanae libertatis fautores « esse, et oppositiones pro viribus eliminant, cumque eorum « sententia usque adhuc a Sede Apostolica damnata non sit, « nemo est qui non videat a nullo praetendi posse, ut a sua « sententia discedant. Sectatores Molinae et Suarez [1] a suis « adversarii praescribuntur perinde ac si essent Semipela- « giani. Romani Pontifices de hoc Moliniano systemate usque « adhuc iudicium non tulerunt, et idcirco in eius tuitione « prosequuntur et prosequi possunt ». [2]

Placet insuper ab exordio de tribus istis systematibus, saltem quoad gratiae efficaciam, afferre iudicium piissimi ac doctissimi viri Cardinalis Bellarmini, S. I., desumptum ex opella inedita quae Romae in bibliotheca Corsiniana asservatur. [3]

« senti rerum », quae sane vix ampliorem laudem continent quam similia quae infra de Molinismo dicuntur.

[1] Vide, Benedictum XIV veluti unum systema iudicare sententiam Molinae et Suarezii, unde inferius utrumque simpliciter vocat Molinianum.

[2] Epist. apologetica ad Supremum Inquisitorem Hispaniae pro Cardinali Norisio, – Cf. Breve eiusdem Pontificis ad Facultatem Theologicam Tolosanam; in qua comprobat sententiam severam ab eadem Facultate latam contra thesim in Collegio Montis Pessulani S. I. propugnatam: « Praedeterminatio physica est inutilis, « tum ea parte Dei, tum ex parte creaturae. Non potest conciliari cum libertate « hominis. Et est Deo iniuriosa, quem facit authorem peccati ». In hoc autem Brevi Pontifex nihil de Thomismo statuit, sed unice inculcat servandas Sanctae Sedis praescriptiones quibus rigorose vetatur ne adversae partes iniuriosis se invicem notis sive conviciis impetant. Quas sane praescriptiones illa thesis praetergressa erat.

[3] Cod. 1323. *De novis controversiis inter Patres quosdam ex Ordine Praedicatorum et Patrem Molinam Iesuitam, opusculum auctore Roberto Cardinali Bellarmino.* - Gratias agimus erudito Abbati Ambrosio Amelli, O. S. B., qui hoc scriptum nobis indicavit. Opusculum incipit his verbis: « Septem sunt controversiae inter « Patres quosdam * ex Ordine Praedicatorum et Patrem Molinam Iesuitam ut ex cen- « sura Praedicatorum colligi potest: 1) de gratia efficaci; – 2) de scientia futurorum « contingentium; - 4) de praedestinatione; – 5) de Providentia; – 6) de gratia primi « hominis; – 7) de confessione per litteras ». In margine primae paginae legitur: « N. Nella Biblioteca del Sign. Arciprete Scaglioni di Viterbo vi è questa scrittura « con questa annotazione. Questa scrittura l'ha fatta il Sign. Card.le Bellarmino e « l'originale di questo scritto di mano dell' istesso Sign. Cardinale, l'ha avuto il « P. Oliva Generale de' Gesuiti per le mie mani con ordine del P. Fabio Bellarmini « Gesuita, mio zio ».

* Adverte illud " quosdam ".

« Nemo Catholicorum est qui expresse neget gratiam « efficacem, nam ipse etiam Molina disertis verbis illam « admittit in concordia liberi arbitrii q. 14, art. 13, disput. 38, « § Antiq. Sed quaestio est de modo intelligendi gratiam « efficacem, de qua re sunt tres sententiae: duae extremae « et una media.

« Prima sententia est aliquorum Scholasticorum quam « sequi video Molina in sua concordia.[1] Haec sententia docet « efficaciam gratiae pendere ab humana voluntate... Funda- « mentum huius opinionis est, quia non existimant posse « aliter defendi, quando gratia sufficiens sit vere sufficiens, « et detur omnibus hominibus, saltem pro loco et tempore.

« Haec opinio falsa mihi videtur,[2] et recte reprehendi a « censura Praedicatorum: nam frustra vocatur gratia efficax,

[1] Vides ex hoc, Molinam non esse huius sententiae primum assertorem. Prior tamen est, aut saltem praecipuus, qui modo tam insistente hanc sententiam tamquam elementum princeps cum scientia media adhibuit ad suum systema conficiendum.

[2] Ad haec verba leguntur sequentia in adnexa opella cui titulus: *Osservazioni sopra una scrittura del Card. Bellarmino intorno ai dogmi della grazia e della Predestinazione divisa in VII capitoli o questioni presentata da lui a Clemente VIII allorchè incomminciò in Roma a prender cognizione delle dispute insorte in Spagna.* « Dice il Bellarmino che se questa Proposizione * non si spiega in sano verso, « gli pare falsa, *falsa mihi videtur;* niente più, quando ella è manifestamente Semi- « pelagiana almeno. Ma quale è questo sano senso della proposizione? Due ne asse- « gna il Bellarmino. Primo. " Si propositio Molinae exponatur de auxiliis externis « tantum, ut praedicatione et miraculis, certissima est ex Evangelio ,,. Senza dub- « bio è verissima la proposizione, se si espone degli esterni aiuti. Ma qui si cerca, « se così possa, e debba esporsi la proposizione di Molina, acciocchè abbia un sano « senso. Non lo dice il Bellarmino; nè poteva dirlo, perchè il Molina parla espres- « samente di tutti gli aiuti, che Iddio dà agli uomini *ad salutem,* e il cui buon uso « è necessario, secondo lui, che da Dio sia preveduto come una condizione, senza « la quale non predestina alla vita eterna; ed il solo sistema Moliniano di non rico- « noscere altra grazia efficace, che quella, la quale diviene tale dal consenso della « volontà, basta per intendere, che il Molina nella esposta proposizione parla « ancora degli aiuti interni. Anzi il medesimo Bellarmino, nel rispondere poco dopo « alle obiezioni, che furono fatte nella censura di quella proposizione viene a con- « fessare che il Molina parla degli aiuti interni della grazia preveniente. Intanto però « il Bellarmino lascia così sospesa la sua esposizione, " si exponatur ,,, etc., forse « acciocchè chi legge, creda tale essere il senso del Molina. L'altro senso sano della

* « Potest fieri, ut aliquis cum pluribus et maioribus auxiliis damnetur et alter « cum paucioribus et minoribus salvetur, quia ille, pro innata libertate, uti voluit « auxiliis, alter non voluit » (Molina, p. p., q. 23, a. 4, concl. 9). Referunt, Clementem VIII, die 21 iunii 1602, Molinae propositionem declarasse ad minus falsam, temerariam et scandalosam.

« si efficacia non est in ipsa gratia, sed in libero arbitrio, « et ideo licet isti auctores fateantur verbis gratiam effica- « cem, tamen re ipsa illam negare videntur.... Praeterea « ista opinio non est conformis S. Augustino ... Denique haec « opinio non videtur valde conformis Scripturae; nam « Ioh., VI, in illis verbis: Omnis qui audivit a Patre et « didicit, venit ad me, tribuit efficaciam verbis Patris cae- « lestis in corde loquentis et persuadentis, non autem vo- « luntati, vel studio audientis ».

« Secunda opinio est aliorum qui docent gratiam effica- « cem non solum pendere a libero arbitrio; sed etiam ab « ipsa determinari physice, id est active, et intrinsece ipsum « liberum arbitrium. Distinguitur enim determinatio physica « a determinatione morali, quoniam determinare physice est « influere intrinsece in voluntatem humanam, et eam mo- « vere ad volendum ... ».

« Haec opinio videtur mihi non minus falsa, et pericú- « losa, quam superior; nam tollit primo gratiam sufficien-

« Moliniana proposizione si è, dice il Bellarmino, di esporla ancora degli aiuti « interni; ma soggiunge: " Id non tribuerem soli libertati, sed gratiae congruae, vel « non congruae, ut loquitur S. Augustinus in libro I *Ad Simplic.*, q. 2ª ,,. Perchè il « Bellarmino a questa seconda spiegazione, vi fa questa limitazione. " Id non tri- « buerem? ,,. Certamente perchè conosceva, che senza di essa la proposizione di « Molina è apertamente erronea. Ora il Molina non ha dato alla sua proposizione una « tale limitazione, e non ve la poteva dare, perchè non ammette questa grazia con- « grua. Doveva dunque il Bellarmino chiamare assolutamente erronea o almeno « falsa quella proposizione. Confessa esser falsa, se non si espone in sano senso. Le « due spiegazioni, per sua medesima confessione, sono incoerenti, e pure lascia « sospeso il discorso, sicchè fa comparire d'averla già abbastanza spiegata ».*

Et paulo inferius de tertia Molinae propositione haec habet: « La terza pro- « posizione di Molina che il Bellarmino espone è questa: " Salva fide defendi non « potest, quod ex modo motionis divina gratia habeat efficaciam ,,: dice il Bellar- « mino: " Haec propositio intellecta de motione physica, ut etiam intelligit Molina, « videtur mihi vera, nec video quid contra dici posset ,,. Di sopra esponendo nella « prima questione la sentenza di questa grazia efficace e fisica mozione, la chiama « bensì falsa e pericolosa, come si è detto; ma si protesta di non ardir di condan- « narla, perchè sapeva di esser difesa da uomini grandi: " Non tamen audeo abso- « lute eam opinionem damnare, quia scio defendi a magnis viris ,,. Anzi nello scritto « presentato a Paolo V dice potersi ammettere questa grazia efficace, purchè si lasci « il nome di fisica predeterminazione, come si è detto. Come dunque ora dice asso- « lutamente con Molina, esser contraria alla fede la medesima sentenza? Così parla « diversamente di prima per salvare il suo Molina ».**

* Pag. 93 sq.

** Pag. 94.

« tem, sicut superior opinio tollebat gratiam efficacem ...
« Secundo haec opinio videtur contradicere Conc. Trid.,
« sess. 6, can. 4, ubi Concilium docet, posse hominem libere
« consentire vel dissentire gratiae Dei, eamque libere acce-
« ptare vel reiicere... Tertio haec opinio non videtur salvare
« liberum arbitrium, nec distingui a modo loquendi moder-
« norum haereticorum, qui ideo consentiuntur negare libe-
« rum arbitrium in actibus supernaturalibus, quia dicunt ita
« nos inflecti a gratia, ut non possimus resistere. Denique
« licet S. Augustinus in plurimis locis defendat gratiam effi-
« cacem, tamen nusquam legi apud eum, gratiam physice
« determinare nostram voluntatem... Non tamen audeo abso-
« lute eam opinionem damnare, quia scio defendi a magnis
« viris, sed libenter audirem de his rebus iudicium et sen-
« tentiam Sedis Apostolicae.

« Est igitur tertia opinio, quasi media, quam Becanus et
« Lovanienses et multi alii hoc tempore sequuntur. Haec
« opinio docet gratiam efficacem determinare humanam
« voluntatem ad assensum, non physice sed moraliter, ita
« ut effectus sequatur infallibiliter, licet non necessario, sed
« libere. Deus enim cum vult aliquem infallibiliter converti
« ad fidem vel ad poenitentiam, interna suasione et inspi-
« ratione ita ei loquitur ut videt ei congruere, ut vocatio-
« nem non respuat, sicut et exterius facit illi concurrere vel
« talem concionatorem, vel talia signa, quibus ipse prae-
« videt eum infallibiliter movendum ».

« Haec opinio est sine dubio S. Augustini... ».

« Eadem haec opinio salvat gratiae efficaciam et arbitrii
« libertatem... Item haec opinio salvat praedestinationem
« vere certam, et tamen gratuitam et independentem a
« praevisione operum... et denique conformis est Scripturis,
« Conciliis et Patribus ».[1]

His praemissis, iam ad singula systemata ponderanda accedamus.

[1] Pag. 72a-74b.

1) *Discutitur systema Molinisticum-Congruisticum.*

Meritum scholae Molinisticae est *a*) libertatem humanam fortiter defendisse, ea praesertim aetate qua a Lutheranis et Calvinistis aperte, a Iansenistis insidiose impugnabatur; - *b*) gratiam vere sufficientem tam efficaciter propugnasse, ut de eadem in hoc systemate nulla prostet difficultas; - *c*) voluntatem salvificam universalem vindicasse a blasphemiis eorum qui Augustino perperam intellecto dire abutebantur; - *d*) pluribus inde animis, quos rigidior doctrina deprimebat, spei vigorem et virtutis zelum adauxisse; - *e*) demum fortiter depulisse iniuriam Calvini, Deum mali aeque ac boni auctorem blasphemantis.

Sed haec merita suntne talia ac tanta quae compensent diminutionem revelatae veritatis? Imo, si in hoc systemate talis adsit diminutio, nonne ista merita sunt magis apparentia quam vera? Insuper, si haec doctrina conceptibus philosophicis innitatur minus firmis aut incompletis, nonne et eius merita pariter vacillare dicenda sunt?

Iam vero quantacumque nostra sit aestimatio magnorum theologorum qui huic systemati dederunt et adhuc hodie dant nomen, non possumus quin censeamus, hoc systema tum philosophice, tum theologice nonnihil deficere.

1) Philosophice deficit dupliciter. *a*) Ab omnipotenti Dei virtute creatam libertatem nimis excipit, quatenus non nisi indirectam Deo tribuit in eamdem agendi facultatem. Concursus enim ille simultaneus, quo Deus et humana voluntas, veluti duo equi trahentes currum, aut duo homines navem,[1] cooperantur simul, tollit dependentiae ordinem quo causa prima et causa secunda ad invicem subordinantur, ac proin tollit internum Dei in humanam voluntatem influxum, Deum potius dependentem reddit a voluntate humana, quae eum pro libito in auxilium appellat, ac demum destruit unitatem effectus. Quare iste concursus uti prorsus insufficiens est

[1] Card. Bellarminus praefert sententiam S. Thomae; censet tamen Molinae sententiam, quam docuerat etiam Card. Toletus, esse liberam (Op. cit., p. 79b-80).

reiiciendus.[1] - *b*) Philosophice pariter deficit, quia tamquam princeps divinae providentiae instrumentum statuit scientiam quamdam mediam, quae Deum reddit dependentem non solum a futuris, sed a futuribilibus, cuiusque fundamentum obiectivum supponitur magis quam solida ratione demonstratur.[2]

2) Sed et gravius Molinismus deficere videtur theologice. - *a*) Facile quidem salvat quae Scripturae docent de humana libertate, et concordiam inter gratiam et liberum arbitrium, sub ipsa gratia efficaci. At minus bene salvat quod eaedem Scripturae docent de vera gratiae efficacia. Licet enim Molina hanc efficaciam verbis proclamet, re tamen eam tantopere deprimit et ad tam parum reducit, ut cum solemni modo loquendi Scripturarum non facile componi possit. Quod et de connexo praedestinationis mysterio pariter valet, uti loco suo ostendimus. Quotiescumque lego Paulum de arcano gratiae mysterio disserentem, arduum valde, ne dicam impossibile mihi videtur, Apostolum molinistice de gratia cogitasse. - *b*) Idem dicatur de S. Augustino, cuius auctoritas in re gratiae summi sane momenti est agnoscenda. Unde conatus Augustinum ad Molinistarum castra detrahendi, prope risum movet. Si Molinae systemati adhaererem, candide faterer, hunc Doctorem mihi esse contrarium, et vix huic systemati aptari, quae varia Concilia illo tempore declararunt; quatenus, licet forte singula verba salvari possint,

[1] Lege Card. Billot de hoc concursu, quem non minus quam praedeterminationem physicam fortiter depellit, egregie disputantem (Op. cit., *Prolegomenon.*, p. 27 sqq.). A fortiori reiicienda est de concursu Dei sententia Durandi.

[2] Cf. quae fuse de hoc argumento scripsimus in nostro tractatu *De Deo uno* contra scientiam mediam Molinae. Card. Bellarminus egregie de ea disputat in citato opusculo pp. 77b-78. – De scientia media fatetur P. de Régnon: « C'est le mys- « tère, l'insondable mystère... De toutes les explications proposées aucune n'est « complètement suffisante... Il faut renoncer à expliquer le comment de cette science « que nous appellons la science des conditionnels. – Expliquer * cette science, c'est « œuve de dilettantisme philosophique ».

* Bannez et Molina, p. 113, sqq. Lege apud cl. Garrigou-Lagrange † optimam confutationem novi modi concipiendi scientiam mediam a P. de Régnon (op. cit., p. 118) et P. d'Alès †† inducti.

† *Dieu, son existence et sa nature.* Append. ch. II. *Nouvelle manière de concevoir la science moyenne.* Paris, Gabriel Beauchène, 1920, 3me ed. p. 805 sqq.

†† *Recherches de Science Religieuse.* Janv.-Mars 1917.

angulus sub quo argumentum in eis documentis conspicitur, a Molinistico differt. Cavendum tamen sedulo heic ab excessu. Nimis facile a quibusdam affirmatur, Molinismum ad Pelagianismum, aut saltem ad Semipelagianismum conducere. Et tamen theologi qui ad hanc scholam pertinent, necessitatem gratiae vere internae eiusque initialem gratuitatem ultro proclamant; agnoscunt pariter perseverantiam finalem excedere meritum proprie dictum. Sicuti inter Augustinum et Pelagium non erat quaestio de concordia inter gratiam et liberum arbitrium eo modo quo postea invecta est inter scholas catholicas, ita nec quaestio movebatur, sicuti et nunc, de parte quae in explicanda gratiae efficacia possit aut debeat tribui scientiae mediae. Potest nihilominus affirmari, istas illasve scholas ad istos magis quam ad illos excessus appropinquare, dummodo legitima libertas intra orthodoxae doctrinae septa eis sincere concedatur. Quod manifesto apparet ex declaratione Benedicti XIV superius allata.

***

Porro Molinismum per congruismum Suarezianum non radicaliter modificari, manifestum est. Licet enim longe magis ad plenam veritatem accedat prudens mitigatio a Suarezio inducta, quatenus excellentiam quae gratiae efficaci prae gratia sufficienti competit, melius salvat ex speciali praedestinatione, qua talis a Deo confertur ut effectum suum obtineat; quatenus nihilominus certitudinem huius effectus ac proin et specialis beneficii rationem expetit a scientia media, in Molinismum recidit, aut imo cum eo simpliciter convenit.

Placet hanc brevem Molinistici systematis discussionem claudere afferendo sapiens iudicium quod de eodem tulit Laforêt: « Le système de Molina est certes plus facile que celui « qu'on déduit des principes de St Thomas et de St Augus- « tin.[1] Est-il aussi conforme aux données de la révélation ou « même aussi fondé en raison? Question fort grave, qu'il ne « nous appartient pas de décider. Il est certain que le sys- « tème de Molina est orthodoxe comme les systèmes Tho-

Intellige, primo intuitu, quatenus concordiae problema potius tollit quam solvit.

« mistes et Augustiniens. L'Eglise laisse à chacun la liberté « d'embrasser celui qui lui sourit davantage. Pour moi, je « dois le dire, je me rallierais difficilement à la théorie de « Molina, même amendée par Suarez, du moins à la prendre « d'une manière générale et absolue; je crois du moins que « Dieu accorde très souvent à bien des hommes des grâces « efficaces par elles-mêmes, qui attirent leur volonté avec « une force et une douceur à laquelle ils cèdent très libre- « ment sans doute, mais infailliblement ». [1]

Quare, si aliquid ex hoc systemate acciperem, hoc ita formularem. Dantur gratiae duplicis speciei: aliae conferuntur speciali praeordinantis Dei consilio, quae, si liberum arbitrium eis bene utatur, fiunt efficaces; aliae, speciali et fortiori praedestinatione tali congruentiae temperamento dantur, ut efficaces sint, non solum ex concursu liberi arbitrii, sed ex hac ipsa speciali congruentia. Haec autem efficacia suam infallibilitatem non ex scientia media [2] repetit, sed eo obtinet modo quem S. Augustinus semper vindicat. Esset hoc systema Augustinianismus mitigatus, quatenus gratias in hanc duplicem gratiarum speciem distinguit. Ad primam speciem pertinuisse dicendae essent stimuli gratiae contra quos, dicente Christo, Saulus calcitravit; ad alteram, gratia vixtrix qua, Damascum pergens, in Paulum mutatus est. Quam bene hoc systema salvaret veram sufficientiam gratiae mere sufficientis, et veram efficaciam gratiae efficacis, liquet.

[1] Op. cit., c. III, pag. 201.

[2] Utinam theologi huic scientiae mediae minus insisterent, iuxta ex quae a Pio VII audivit restitutae Societatis Procurator generalis: « Superiores Scholas quod « attinet, summopere reprobat Pius VII velle nos tot quaestionibus immorari mere « speculativis maxime quoad scientiam mediam: quae quaestiones ad nihil aliud « inserviunt quam ad aliorum Theologorum invidiam et rabiem contra nos conci- « tandam. Heu! dixit, quot inimicos ex omni genere vobis ipsis comparastis vestram « mediam scientiam tam mordicus tuentes et extollentes! Eliminentur a Scholis « huiusmodi systemata. Si quid de his historice tradere libuerit, bene erit: nunquam « de his publice disputandum, neque de his theses exponendae. " *Ma questi vostri « vecchi* ,, sunt ipsius Pontificis verba, " *hanno la testa più dura di questo legno* ,,. « Atque hoc dicens, ter percussit fortiter mensam. Porro ego non adulationis causa, « a quo summe abhorreo, sed uno veritatis amore ductus, respondi me quoque « semper in tali fuisse sententia; sperare, si non senes, iuniores saltem, qui modo « theologiae dant, et subinde daturi sunt operam, fore ut consilium hoc amplectantur; « ipsique senes ut hoc idem sentiant, quantum in me erit, curaturum promisi ». *

* Epist. R. P. Caietani Angiolini Proc. gen. - S. J. ad P. Gener. eiusdem Soc.

2) *Discutitur utrumque systema Thomisticum.*

Meritum huius systematis, quocumque nomine vocetur, est *a*) altissimum dominium Dei in omnes creaturas etiam liberas fortiter vindicasse; - *b*) concursum mere simultaneum tamquam insufficientem reiecisse; - *c*) gratiam non unice ex praeviso voluntatis liberae consensu efficacem propugnasse. Sed, sicuti Molinismus tum philosphice, tum theologice nonnihil deficit, ita, pace omnique salva reverentia virorum magni ingenii et pietatis qui in istis castris militant, censemus, rigidiorem Thomismum vix minus tum philosophice tum theologice excedere.

1) Et primo quidem hoc systema physici praedeterminismi nihil aliud videtur quam theologica deductio systematis apprime philosophici. Iam vero doctrina de gratiae efficacis concordia cum humana libertate, qualis in Scripturis nobis exhibetur, est stricte theologica. Et sane textus inspirati qui de humana libertate et gratia tractant, ad duplicem classem redigi possunt. Alii absolute affirmant liberum arbitrium, et campum humanae libertatis describunt talibus verbis, quae, obvio saltem sensu, cum systemate physici praedeterminismi vix componi posse videntur.[1] Alii textus, directe loquentes de habitudine liberi arbitrii ad gratiam, efficaciam quidem gratiae fortiter proclamant, ita tamen ut nunquam insinuent principium fundamentale philosophicum de liberi arbitrii impotentia ut sine physica praedeterminatione in actum secundum exeat. Quare textus Scripturae ab istis Thomistis afferri soliti habent quidem valorem ad deficientiam Molinistici conceptus illustrandum, carent autem virtute stringente ad physicum praedeterminismum demonstrandum. Possunt enim, imo, nostro iudicio, longe melius intelligi de efficacia gratiae Augustiniana, quae valde a physica praedeterminatione differt. Nam procedunt passim a praesenti statu lapso humani generis, et adhibent imagines quae cum Augustini modo cogitandi et loquendi melius consonant.

2) Etenim non censemus, quod iam proclamabat Bellar-

[1] Cf. v. gr. Eccli., xv, 14-18, p. 517.

minus, systema recentioris scholae Thomisticae convenire cum conceptu huius praeclari Doctoris. Unde rursus textus quos ex Augustino magna profusione adducunt, ostendunt quidem mentem a Molinistica diversam, saltem quoad efficaciam gratiae; sed non sunt stringentes ad probandum ipsum physicum praedeterminismum, qualis ab istis theologis propugnatur. Adde insistentiam qua S. Augustinus doctrinam suam, duce Paulo, praesenti conditioni humani generis adaptat, et discrimen quod non semel inculcat inter gratiae iuvamen quo Adamus innocens indigebat et quo indigent homines in praesenti conditione naturae, originali labe indebilitatae et sauciatae.[1]

3) Idem valet de documentis ecclesiasticae auctoritatis, ex quibus, nec in litteris commendatitiis ab uno alterove Pontifice Ordini Praedicatorum datis, nullibi gratiae efficacia ope praedeterminationis physicae espresse, directe commendatur. Animadverte quam caute Benedictus XIII. O. Pr. locutus sit: « Magno animo contemnite, dilecti filii, calumnias « intentatas sententiis vestris de gratia praesertim per se et « ab intrinseco efficaci ac de gratuita Praedestinatione ad « glorium sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter « hactenus docuistis, et quas ab ipsis SS. Doctoribus Augu- « stino et Thoma se hausisse, et verbo Dei, Summorumque « Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis con- « sonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur ».[2] Textus Catechismi Romani afferri solitus habet potius saporem Augustinianum: « Non solum autem universa, quae « fiunt, providentia sua tuetur, atque administrat, verum « etiam quae moventur et agunt aliquid, intima virtute ad « motum et actionem ita impellit, ut, quamvis causarum « secundarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen; « cum eius occultissima vis ad singula pertingat et quemad- « modum Sapiens ait: Attingit a fine usque ad finem for- « titer et disponit omnia suaviter ».[3] Facile in hoc modo

[1] Quoad hoc discrimen, specialiter quantum ad possibilitatem perseverandi, Bellarminus Molinam ab eius censoribus vindicat (op. cit., in VI q., p. 84b sq.).

[2] Fatendum tamen, nunquam RR. Pontifices tantam laudem scholae Molinisticae tribuisse.

[3] Part. I, *De I Symb. art.*

loquendi agnoscitur stylus S. Augustini et S. Thomae, quin ex hisce verbis rigidior Thomismus erui debeat.

Quantum ad Concilium Tridentinum, ita de humana libertate sub gratia locutum est, ut potius ex eius verbis difficultas contra rigidiorem hunc Thomismum, quam argumentum in eius favorem confici possit.[1] Unde Massoulié inter rationes quae in favorem mitioris sententiae militant, hanc habet: « Secunda observatio addenda est: scilicet quod si « ea distinctio obtineat motionis secundum entitatem et ut « est participatio divinae virtutis: nihil est quod ultra obii- « cere nobis adversarii unquam possint, motione divina liber- « tatem perimi, aut perperam canonem S. Conc. Trid. expli- « cari ».[2]

4) Sed et dubia valde, ut minus dicamus, nobis videtur philosophica doctrina quae huius systematis uti fundamentum a theologis huius scholae ponitur. Sane iura Dei causae primae sunt sancto zelo tuenda; ita tamen ut, iuxta ipsam mentem et operositatem Dei, causarum secundarum propria indoles omni cura servetur, etiam sub motione Dei, imo ob ipsam eiusdem motionis sapientiam atque virtutem. Deus itaque, causa prima et motor primus, non solum causas secundas a se creatas propriisque virtutibus instructas servat in proprio esse et virtute, sed eas ad actus applicat, imo in agendo eis veluti tot instrumentis utitur, necessariis sive liberis, servata non solum in genere, sed in hac ipsa actione, distincta virtute causae necessariae vel liberae. Verissimo itaque sensu dici potest, imo et debet, eo efficacius et liberius causas liberas agere, quo potentius a Deo moventur. Quae omnia audivimus S. Thomam egregie illustrantem.

Quaestio autem integra superest, quomodo Deus sub motione sua libertatem causae liberae a se motae servet. Vidimus superius, quam moderate S. Thomas de hoc argumentum locutus sit, semper utrumque vindicans, efficaciam divinae motionis, et talem quae servet causae secundae libertatem, imo sese eidem accommodet. Thomistae scholae recentioris haec duo componunt per praedeterminationem

[1] Cf. declarationem Card. Bellarmini superius allatam; necnon notulam de Congr. *de Auxiliis*.

[2] *S. Thomas sui interpres*, diss. III, q. 4, a. 2.

physicam, quae, si voces significant quod dicunt, ita praedeterminat, ut tamen sub hac eadem praedeterminatione voluntas libere determinet seipsam. Nec ad hoc explicandum, sufficit affirmare, talem esse hanc praedeterminationem, quae non determinet solum ipsum actum secundum, sed imo eius libertatem. Haec sunt quidem verba sonora; sed quaestio est, utrum non involvant contradictorium.

Quod si dicitur, illi solent quasi cum quadam benigna compassione conqueri, se non esse recte intellectos. Sed praecise haec est quaestio, utrum hoc sit aliquid intelligibile. Quidquid enim contradictionem implicat, non solum non potest intelligi, sed, aliquo sensu, quo magis contradictio percipitur, eo minus intelligitur, utpote non intelligibile. Et sane haec duo simul stare non possunt: ut agens liberum seipsum determinet, et relate ad idem ab alio praedeterminetur. Nec, si haec praedeterminatio physica negatur, in discrimine vertitur efficacia causae primae. Imo inde potius triumphat, quatenus tam potens est Deus, qui causam secundam vere liberam non solum creet, sed gubernet et moveat, servata eius libertate, per motionem, imo praemotionem, imo praemotionem physicam, sed non praedeterminationem. Effectus quidem est in praedestinatione divina praedeterminatus; non autem per motionem praedeterminantem. Talem motionem intendebat S. Augustinus, et cum eo S. Anselmus, S. Bernardus, S. Bonaventura, ipseque S. Thomas; [1] talem prae oculis habebant Patres Conc. Tridentini, quorum loquendi modus Augustinianam motionem sapit, non illam ulterius magis definitam et nimis coarctatam rigidioris scholae Thomisticae.

[1] Nec huic nostrae conclusioni obiiciant SS. D. N. Benedicti XV verba, quae de Ordine Praedicatorum nuper scripsit: « Huic Ordini laudi dandum est non tam « quod Angelicum Doctorem aluerit, quam quod numquam postea, ne latum quidem « unguem ab eius disciplina discesserit ». * Non est Summorum Pontificum mens per huiusmodi laudes tam alta problemata solvere. Caeterum, si urgerentur, nonne involverent, aut S. Thomam fuisse Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis propugnaturum, quod falsum putamus; aut Ordini Praedicatorum « laudi dandum esse » quod, per tot saecula, ad mentem Magistri, hanc almae Deiparae praerogativam impugnarit, quod a nemine non indocto negabitur.

* *Act. Apost. Sed.* 1916, p. 397. Haec ultima verba leguntur in Bannez, II, 11, q. XXIV, a. 6.

Placet hic rursus audire Card. Bellarminum in eodem opusculo disputantem:

« Altera controversia est, si Deus cooperando cum « libero arbitrio ita illud moveat ut determinetur ad opus, « an vero sinat ut liberum arbitrium seipsum determinet. « Haec est praecipua quaestio inter Patres Praedicatores « et Patres Societatis Iesu in Hispania, ut patet ex fine cen- « surae.

« Ex his sententiis posterior sine dubio est tuta, nam non « potest contra eam obiici, quod sit contra Scripturam vel « definitionem Ecclesiae aut contra Patres aut communem « doctrinam Scholasticorum. Immo certum est, eam inveniri « expresse apud omnes Patres et praecipuos theologos Scho- « lasticos, ut Scotum, Gregorium et S. Bonaventuram, et, ut « ego existimo, apud S. Thomam. Omitto haec testimonia « gratia brevitatis, sed habeo apud me notata, et quando « opus fuerit, exhibere potero.

« Prior autem sententia videtur periculosa, praesertim « hoc tempore quo grassantur haereses Calvinistarum, qui « negant liberum arbitrium et Deum faciunt auctorem pec- « catorum.

« Deinde quod haec sententia vix possit ostendere quo- « modo Deus non sit causa peccati, probatur hac ratione. « Nam quamvis peccatum formaliter consistat non in actione, « sed in privatione ordinis ad rationem et legem Dei, id « est in deordinatione actionis, tamen quia unum sequitur « ad alterum, ideo qui intendit actionem illam materialem « peccati scienter et deliberate, convincitur velle etiam illam « deordinationem, qua sequitur actionem peccati materialem; « alioquin fere omnes peccatores excusari possent a peccato, « quia non intendunt per se illam deordinationem et si pos- « sent frui delectatione quae est in ratione mali et non incur- « rere in illam deordinationem, libentissime id eligerent ... « quare si Deus intendit actionem materialem peccati, scien- « ter et deliberate et ad eam praedeterminat, applicat et « movet voluntatem humanam, et ipsa voluntas humana « non potest non facere illam actionem, cum non possit Deo « resistere, certo videtur Deum velle peccatum et peccare, « hominem autem excusari a peccato et non posse iuste

« puniri, quum id fecerit ad quod faciendum Deus ipsum « movit. Quae quum ita se habeant, ego quidem non audeo « damnare auctores censurae, quos arbitror alias valde « pios et doctos esse. Tamen affirmo sententiam contrariam « videri omnino tutiorem, et magis piam, quod sentiunt « etiam Patres Conc. Tridentini; nam in actis Concilii quae « habentur in archiviis S. Angeli, refertur quod, cum in « disputatione theologorum quae habebatur ante Sessio- « nem VI duo Religiosi protulissent sententiam illam de « praedeterminatione liberii arbitrii, fuit id male acceptum « a caeteris, eo quod non videretur valde catholicum, et « propterea decretum formatum est iuxta alteram senten- « tiam ». [1]

Audiatur et recens eiusdem Societatis theologus, cui nemo denegabit nec mentis acumen nec profundam erga S. Thomam admirationem. « Certe, ait Cardinalis Billot, qui prae- « determinationem actus liberi ponunt, ad sensum recentio- « ris Scholae Thomisticae, id ponunt ad quod immediata « consequentia, eaque in terminis (ut videtur) nota, conse- « quitur voluntatem nullo omnino modo determinare se, sed « pure et simpliciter determinari ab alio, non secus ac « quaevis alia res naturalis. Nam unum de duobus remanet « dicendum. Vel praedeterminatio primae causae necessario « causat determinationem voluntatis, vel non necessario « causat. Si non necessario causat, sed adhuc relinquit vo- « luntatem simpliciter indifferentem, non erit praedetermi- « natio, et frustra atque inutiliter ponitur. Si autem neces- « sario causat, eo ipso tollit determinationem ut ab ipso « ortam, et redit comparatio Lutheri liberum arbitrium com- « parantis iumento, quod ad dexteram vadit vel sinistram « secundum flexionem ab insidente acceptam. Nisi quod « valde adhuc deficiens comparatio ista sit, pro quanto sci- « licet multis de causis accidere potest ut iumentum recal- « citret; hic autem non esset causa neque in excelso supra, « neque in inferno deorsum, per quam impediri posset prae- « determinationis effectus, sed tanta necessitate ille seque- « retur, quanta necessitate maneat oportet, id quod ab ipso

[1] Ibid., p. 80ᵃ-80ᵇ.

« Deo actu determinatur. Ideoque iam perimitur omnino « essentialis differentia causas naturales inter et liberas; « quae non in eo demum principaliter consistere dicenda « est, quod causa naturalis habet a natura ipsa assignatam « determinationem suae actionis, causa autem libera non « habet, eo nimirum sensu, quod in natura eius sit ut, « iisdem etiam suppositis actus primi adiunctis, adhuc pos- « sit indifferenter in alterutram oppositionis partem inflecti. « Et dico, non in hoc consistere essentialem differentiam, « quia hoc modo differentia accipitur tantum ex parte pas- « sivitatis, seu passivae indifferentiae quae causis liberis « conceditur, naturalibus negatur. At vero, discrimen essen- « tiale se tenet ex parte activitatis, id est indifferentiae « activae qua voluntas se determinat ad hoc vel ad illud, « vereque habet dominium sui actus: quod quidem causae « liberae in quantum huiusmodi, specifica, distinctiva, impe- « ritura proprietas est ». Egregie! Unde concludit doctus Cardinalis: « Non ergo ad determinationem actus liberi po- « nenda est praedeterminatio ex parte Dei ».[1]

Sed, reponunt quidam Thomistae, praecise quia voluntas libera est indeterminata, oportet ut a Deo determinetur. Si intelligis indeterminationem in qua iacet, ut ita dicam, facultas in potentia, concedo requiri determinationem ut de potentia transire possit in actum. Haec determinatio producitur per initialem motionem gratiae actualis, in quantum ponit facultatem in actu primo, quae proin motio hoc sensu, sed in hoc tantum, vocari posset non solum praemotio, sed et praedeterminatio physica. Si autem intelligis indeterminationem inter actum primum et actum secundum, haec tollitur per ipsam liberam electionem voluntatis seipsam determinantis. Potest quidem Deus per motionem suam, uti pulcherrime illustrat Augustinus, facultatem huc adducere ut libere se determinet ad id quod ipse intendit, non autem eam praedeterminando.[2] Optime id exprimit S. Thomas: « Ipsa autem potentia voluntatis, quantum in se est, indif-

[1] Op. cit., p. 26 sq.

[2] Bene cl. De Baets, olim theologiae lector in Universitate Lovaniensi: « Nec « video, si Deus dicatur *determinare secundum omnem determinationem,* quid « valeat solita assertio qua quis se extricare quaerat: Deum determinare quidem

« ferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc « actum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa volun- « tate ».[1]

Quare in causa libera tribuenda est aliqua alia potestas quam ut se subtrahat motioni divinae. Non enim nobis sufficere videtur quod scribit Goudin: « Ipsa motio dicitur esse « in potestate hominis, non quidem originative, quia non « habet ius in ipsum Deum moventem, nec potest eum a « movendo cohibere; sed terminative, quatenus potest ei « subtrahere terminum, sicque cessabit ».[2] In quorum verborum singulis membris esset distinguendum, sed certo tertium deficit.

Haec dicta sufficiunt ad ostendendas rationes ob quas praedeterminatio illa physica rigidiorum Thomistarum nobis tum in ordine naturae, tum in ordine gratiae reiicienda videtur. Imo magis disciplet in ordine naturae quam in ordine gratiae; quum in isto actiones supernaturales movente Deo a libera voluntate positae magis Deum habeant auctorem: tum quia sunt ordinis supernaturalis, naturae vires excedentis; tum quia speciali ratione a Deo intenduntur, ac proin infallibilitatem habent non solum consequentem ex divina praescientia, sed et antecedentem ex divina praedestinatione.

5) Haec nostra fundamentalis animadversio quoad praedeterminationem physicam corroboratur per consequentia rigidioris systematis Thomistici. Etenim gratia efficax iuxta

« ad agendum, sed ad libere agendum. Quid enim est libere agere, nisi agere *cum* « *aliqua indeterminatione:* quae si *nulla* remaneat, *nulla* remanet libertas.

« Et propterea videat quis qua sit utendum prudentia in arguendo ex notione « *determinationis,* ex necessitate ut Deus *praedeterminet,* hoc est *tollat indifferen-* « *tiam.* – Sic arguere solent quidam Thomistae, ideo ponentes necessitatem praemo- « tionis *quia necesse est Deum auferre indifferentiam.* At recogitent libertatem « esse *quamdam indifferentiam,* quae manere debet sub motione divina. Ergo motio « divina non ex hoc adstrui potest quod praecise *indifferentia,* ut talis, debeat « auferri, hoc est, determinari. Utique requiritur divina motio, ut *quasdam tollat* « *indifferentias,* NON UT TOLLAT HANC; et propterea non potest dici quod *indifferen-* « *tia,* qua talis, exigat tolli per *praedeterminationem,* cum haec de qua loquimur, « maneat *sub praemotione,* nec tollatur nisi *per electionem* ».*

[1] II Dist. XXXIX, q. 1, a. 1, in *c.*

[2] *Philst.,* III, q. 4, a. 6.

* *Quaestiones de operationibus divinis quae respiciunt creaturas,* p. 24 sq.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

hoc systema est absque dubio efficax; sed convenitne cum illa gratia efficaci qualis describitur a Conc. Tridentino in cap. 5 et in can. 4, Sessionis VI? Talis enim ista est, cui libera voluntas eadem mota possit assentire vel dissentire. Iam vero huic Thomisticae praedeterminationi voluntas non potest nisi assentire. Nec iuvat addere, eam libere assentire. Esto. Sed hoc, etiamsi servaretur, non sufficit. Talem libertatem exigit Concilium quae involvat « posse dissentire ». Nec magis iuvat subterfugium quo urgentur verba « si velit ». Nam haec verba, quae in altero loco desunt, nihil significant, nisi revera velle possit. – Nec evaditur difficultas recurrendo ad distinctionem inter sensum compositum et sensum divisum, quatenus potest dissentire in sensu diviso, non autem in sensu composito.[1] Nam Concilium intendit sensum compositum, non sensum divisum, qui prope futilis est.

Et sane comparationes omnes a Thomisticis afferri solitae potius oppositum obtinent, uti illa famosa comparatio avis fune pedem alligatae, quae potest volare in sensu diviso, non potest in sensu composito. Ergo quemadmodum talis avis in sensu composito volare nequit, ita nequit libera voluntas in sensu composito gratiae efficaci non consentire, quam tamen, utique in sensu composito, dissentire posse Concilium Tridentinum intendit, ne dicamus, huius Concilii Patres modum loquendi adhibuisse solis initiatis intelligibilem et a communi loquendi modo prorsus alienum.

Bene de huiusmodi comparationibus Fenelonius: « Qu'on « nous vienne dire qu'il peut s'il veut, n'est-ce pas se mo- « quer, puis qu'il ne peut vouloir et que c'est précisément « sur le vouloir que la nécessité ou l'impuissance tombe?... « Qu'on nous vienne dire qu'il peut ne pas vouloir avec la « grâce, parce qu'il pourrait ne pas vouloir si elle ne le « déterminait pas: c'est comme si on disait qu'un homme « qui est dans un bateau qui remonte dans une rivière par « la marée, peut ne monter point, parce qu'il pourrait cesser

[1] Bene rursus cl. De Baets: « Si non sit in eius (hominis) potestate facere ut « sit componendum et dividendum, sed hoc habeatur ex praemotione ipsa, quid « haec faciunt ad salvandam libertatem? ».*

* Op. cit., p. 44.

« de monter si la marée cessait de le porter ... La liberté « ne sera-t-elle autre chose qu'une vicissitude entre deux « nécessités qui nécessitent tour à tour la volonté de l'homme ? « Le dogme de la foi se réduira-t-il à un langage si forcé, « si faux et si ridicule? ».[1]

Et sane tria sunt haec quae dividi aut componi possunt: libera voluntas, gratia efficax et actus a libera voluntate ope gratiae efficacis positus. Si componis tria simul, obtines consequentem impossibilitatem dissensus, quatenus actus, dum ponitur, nequit non poni. Si componis tantum liberam voluntatem cum gratia efficaci, iam impossibilis est dissensus iuxta Thomistas in hoc sensu composito, possibilis iuxta declarationem Concilii. Nam ita interpretari Concilium ac si possibilitatem dissensus intendisset in sensu diviso, absonum est. Quis enim, nisi demens, hoc negaret? Aut imo quis, nisi prope demens, rem in dubium vocaret?

Nec instes dicendo, has difficultates urgeri posse contra praemotionem infallibiliter efficacem, qualem semper propugnat S. Augustinus. Si ita esset, dubitandum esset de hac motione, utpote cum vera hominis libertate vix compossibili. Sed instantia caret fundamento. Nam motio Augustiniana habet efficaciam diversae prorsus indolis, nec est ad actum secundum limitata. Sed haec ipsa instantia nos conducit ad aliud inconveniens quo systema rigidiorum Thomistarum laborat, nec leve, imo, nostro humili iudicio, gravissimum.

6) Etenim in systemate rigidiorum Thomistarum, si gratia efficax videtur efficax nimis, quia tollit possibilitatem dissensus; e contra, sufficiens gratia non est sufficiens satis, quia non suppeditat possibilitatem assensus. Imo, quaeso, ad quid est ista gratia vere sufficiens? Reponunt: ut facultatem requisitis ad agendum instruat in actu primo. Sed quo spectat ista instructio, nisi in ordine ad actum secundum? Iam vero in hoc ordine quid potest ille qui gratia sufficiente est unice instructus? Nihil prorsus, nisi adveniat gratia efficax; quam neque humiliter rogare potest, si ad hunc orandi actum sit efficaci gratia destitutus. - Nec dicas, eum posse gratia sufficiente bene uti, ut ita ad gratiam efficacem perveniat.

[1] Op. cit., III Q. *De la nature de la grâce,*

Nam quomodo ea bene utetur, nisi agendo; et quomodo aget, nisi physica praedeterminatione conferente actum secundum? Unde quum impossibile sit homini hac tantum gratia instructo aliquid agere nisi adveniente gratia efficaci, quaeritur cur ista ei a Deo non detur? Non autem semper dari, patet ex defectibus et peccatis quae cum gratia efficaci in sensu composito repugnant.

Thomistae, vim huius difficultatis apprime sentientes, reponunt, nunquam a Deo gratiam efficaciam denegari, nisi intuitu praecedentis culpae. Cur tunc datur gratia sufficiens, quae nihil potest, et cui Deus non adnectit gratiam efficacem?

Sed esto. Ob quamnam culpam denegatur gratia sufficiens? Si dicis ob culpam in antecedenti vita a tali homine commissam, quum in hanc culpam non incidisset, si gratiam efficacem habuisset, cur hanc non recepit? Si reponis, ob culpam saltem originalem, insto: quid tamen in his in quibus culpa originalis deleta est per baptismum? Et pro aliis, quid tunc de voluntate salvifica universali, quum nullus huiusmodi sine gratia efficaci salvari possit? Sed esto, tale esse originalis peccati pondus ut sufficiat ad excludendum a gratia efficaci. Quid de Adamo et Eva ante lapsum? Cur eis denegata est gratia efficax cum qua stetissent, et sine qua stare non potuissent? Quid insuper de Angelis malis? Cur et ipsis non data est haec gratia sufficiens? Nam, – quod non valet de systemate S. Augustini, – systema rigidiorum Thomistarum aeque radicitus valet de homine innocente et de Angelis ante lapsum.[1]

Unicum refugium superest, ut dicatur, ultimam rationem esse defectibilitatem creaturae rationalis, quae, utpote tracta de nihilo, tendit per se in nihilum, nisi sublevetur et susti-

[1] Ad rem S. Augustinum: « Si hoc adiutorium Angelo, vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam talis natura facta non erat, ut sine alicuius adiutorio manere posset, si vellet, non utique sua culpa cecidisset, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset; nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam poena peccati est ». * Pariter S. Thomas: « Auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur; ex iustitia non datur, in poenam praecedentis peccati, saltem originalis ». **

* *De correpl. et grat.* c. 11.

** II-II, Q. II. a. 5, ad 1.m

neatur divino auxilio, quod Deus, ob summum in creaturas suas dominium, dare non tenetur, quum creatura nullum ad hoc habeat ius.[1]

Sed hoc refugium, nonne iniuriam facit providentiae divinae[2] et operi salvifico? Num forsan culpa est intelle-

[1] Placet heic offerre longiorem discursum ex Reding: « Respondetur sequenti « discursu duducto ex S. Augustino (lib. 27, *De Civit.*, c. 6 et 7), necnon Paulo Apo- « stolo (ad Rom., IX). Voluntas humana incipit esse mala, non quia natura est, sed « ex eo quod de nihilo natura facta est (Aug., c. 6). Ex hoc enim ipso, quod de « nihilo facta est creatura intellectualis, subest dominio divino, quod secundum Apo- « stolum (ad Rom., c. 9) est potestas faciendi alium hominem pro libito in vas hono- « ris, alium in vas contumeliae.* Ex isto autem dominio, et hac subordinata crea- « turae intellectualis subiectione, ac essentiali dependentia oritur, quod voluntas « creata, etsi gratia sufficiente cum omnibus ad agendum requisitis in actu primo « completa, nihil habeat iuris quo Deum obligare possit ad concursum ac praemo- « tionem in actu secundo. At negata ista in actu secundo motione divina, est infal- « libile, voluntatem creatam non operaturam cum gratia sufficiente. Ergo quia ne- « gatio gratiae efficacis, sive physicae in actu secundo praemotionis ad bonum est « secundum voluntatis divinae placitum ex vi dominii erga naturam creatam fun- « data in huius de nullo origine; consequens est, negationem operationis cum gratia « sufficiente originaliter reducendam esse in voluntatem creatam, ex eo quod eius « natura sit facta de nihilo. At haec ipsa operationis, in voluntate per gratiam suf- « ficientem instructa, negatio non habet rationem culpae, nisi quatenus legi aeter- « nae dissona est, a voluntate creata, non qua efficiente, sed difficiente (ex cit. c. 7 « divi Augustini).

« Haec autem actionis a lege aeternae deviantis non tam effectio, quam uti « Augustinus (c. 7) loquitur, defectio eatenus solum imputatur voluntati creatae « deficienti, prout sive per missionem puram liberam, sive per actum positivum libere « elicitum est voluntaria. Constat igitur, non primam dumtaxat rationem, ex qua « est defectibilitas nostra in malum, esse in extrinseca voluntatis creatae de nihilo « origine, sed ipsam formalem rationem culpae in non operatione cum gratia suffi- « ciente ut sic esse per eiusdem voluntatis deficientiam, sive in ratione purae omis- « sionis, sive in vi alicuius actus positivi libere voluntarii. Unde licet Deus ex « vi sui dominii fundati in nostra de nihilo origine deneget gratiam efficacem, ex « qua negatione est in arbitrio per gratiam sufficientem praevento infallibiliter fu- « tura non operatio legi aeternae dissona; ex hoc tamen Deus non dando auxilium « efficax tradens permissive hominem in reprobum sensum,** non facit peccatum, sed « iudicium, ex Augustino c. 10, *De praed. SS.* Ergo tota ratio peccati tum origi- « naliter reduci debet in creati arbitrii origine de nihilo; tum formaliter in ratione « culpae imputari debet voluntati creatae deficienti, seu cum gratia sufficiente non « operanti, sive per omissionem puram liberam, sive per actum positivum libere eli- « citum ».***

[2] Providentiam divinam pulcherrime illustravit Salvianus in tractatu cui titulus: *De Providentia.*

* Hic modus arguendi ex S. Paulo est extra rem. Nam Apostolus, - quod et de S. Augustino valet, - supponit peccatum originale.

** Reprobus sensus longe aliter intelligitur a Paulo et Augustino.

*** *Theol. Schol.*, t. I, q. 5, art. 5, contr. 8

ctuali creaturae quod de nihilo facta sit? Num de creatura intellectuali non ab exordio valuit, quod de aliis suis operibus dixit Creator: « Et erant valde bona? ». Porro, si bonam condidit Deus creaturam, etsi de nihilo, - imo quomodo nisi de nihilo condi potuisset? - haec creatura, etsi nullum potuit habere ius ad hoc ut crearetur, creata tamen, nisi deficiat, ius habet ad auxilia sine quibus finem suum attingere non potest, eo vel magis quod non obtento fini respondeat summa infelicitas aeterna.

Iam vero quum logico nexu hoc systema ad hanc extremitatem redigatur, nonne validum inde conficitur argumentum contra principia quae ad hos excessus conducunt?

7) Sed et alia est in hoc systemate difficultas, nec levis: quomodo Deus per suam praedeterminationem physicam, quae ad omnes actus exigitur, non sit auctor actuum malorum aeque ac bonorum. Absit ut dicamus, Calvinum logice hanc deductionem tulisse ex principio cum eadem schola communi; possunt enim ex communi principio bono alter illogice deducere falsum, et alter logice verum. Superest tamen difficultas solvenda. Reponunt Thomistae, malum non esse aliquid reale, sed deficientiam; ac proin Deum praedeterminare ad entitatem materialem actus, quae bona est, non autem ad formalitatem peccati, quae est mala. Bene quidem. Sed quomodo potest Deus ad hanc entitatem materialem actui malo adnexam praedeterminare, quin logice praecedat deficientis voluntatis determinatio ad peccati formalitatem? Et quomodo, gratia mere sufficiente instructus, poterit homo non deficere, nisi accedat efficax gratia quae eum a defectu defendat? Igiturne creata libertas est quaedam machina ad producendos damnatos et electos ita ingeniose confecta, ut, quum ad bene agendum teneatur, et quidem sub mina aeternarum poenarum, non tamen possit per se nisi deficere, quin ullum ius habeat ad auxilium quo non deficiat, ac proin, nisi gratia efficaci iuvetur, in malum sese agat formaliter, et in idem materialiter veluti proiiciatur, idque culpabiliter, quia libere?

Nil inde mirum, hoc rigidius systema multis vix compossibile videri cum Dei voluntate salvifica universali, propter nimium discrimen inter gratiam mere sufficientem

et gratiam efficacem, inter quas deest ille vitalis nexus quo altera ad alteram colligetur, et altera, nisi interponatur obex, ad alteram conducat.[1]

Etenim in hoc nimio discrimine et in hoc motu discreto, quo ab una gratia inferioris ordinis ad aliam superioris ordinis veluti saltu quodam aut proiectione assurgitur, nobis videtur esse radicalis defectus huius systematis. Agnoscimus ultro merita theologorum qui huic systemati nomen dant, illudque scriptis illustrarunt eruditione et ingeniositate mirabili. Terminologiam induxerunt tam subtilem, divisiones et subdivisiones tam acutas, ut armatura Thomistica non paucis tantum iniiciat reverentialem timorem, et luctandi eis voluptatem adimat. Candide tamen fateor, multa in his mihi videri subtiliora quam solidiora, sufficientia quidem ad apparatum dialecticum, at vix efficacia quoad rem.

Quare longe magis nobis arridet mitior sententia Thomistica, quam superius exposuimus, tum ubi de distinctione inter gratiam sufficientem et efficacem egimus, tum ubi

[1] Audiatur rursus Reding hanc totam synthesim sincero at crudiori modo exponens: « Actio peccaminosa formaliter qua talis non est effectio, sed defectio, sive « boni recessio ex Ss. Augustino *De Civ. Dei*, 12, c. 7. et Ioann. Damasceno, 2, *Orth. fed.*, « c. 30. Unde non datur peccati causa efficiens, huius enim est influere in esse, « malum vere peccati seu iniustitiae omnino caret existentia, ex D. Anselmo *De « Conc. praesc.* post *med.* Quia ergo causa peccati qua talis non est nisi deficiens, « oportet malitiae in actu peccaminoso originem reduci in ratione defectibilitatis. « At ista defectibilitatis ratio, ex qua malitia peccati profluit, alia est radicalis; « alia vero se habet per modum proximae causalitatis. Illam S. Augustinus, cit. c. 7, « desumit ex eo, quod creaturae rationales sint ex nihilo factae; hinc enim sicut in « esse, sic in operari dependent a Dei dominio. Unde non tantum non possunt ope- « rari sine Dei influxu et concursu, sed neque in hunc habent adversus Deum ali- « quid iuris. Ergo potest Deus ex vi sui dominii inter creaturas intellectuales ita « partiri suum divinum concursum, ut in ordine ad rectitudinem moralem uni con- « cedat illum tam in actu primo, quam in actu secundo per gratiae efficaciam; « alteri respectu honestatis maxime supernaturalis, seu fidei, non det concursum in « actu primo etiam per gratiam proxime sufficientem: alii denique praeparet con- « cursum suum in actu primo per gratiam proxime et complete sufficientem, non « tamen in actu secundo per gratiae efficaciam. At per istam auxilii ad supernatu- « raliter operandum tum efficacis tum proxime sufficientis denegationem fit excae- « catio et obduratio in qua Deus relinquens hominem utendo iure sui dominii non « facit peccatum, sed iudicium, ex S. Aug. lib. *De praedest. SS.*, c. 8. Hoc autem « iudicium inchoatum in gratiae tum proxime saltem sufficientis, tum efficacis dene- « gatione, demum perficitur, trahendo hominem in reprobum sensum, ut ea faciat, « quae non conveniunt. Ista vero traditio in sensum reprobum fit, quatenus Deus « creaturae intellectuali exhibet suum concursum ad entitatem actus liberi, cui re-

systema dictum Thomisticum in rigidius et mitius distinctum breviter illustravimus. Haec enim sententia, quae ad systema S. Augustini valde appropinquat, difficultates modo expositas dum sapienter vitat, pro se habet merita sententiae S. Augustini, quam, quoad essentiam, et S. Thomae sententiam iure vocaveris.

Uti ex expositione et discussione systematum Molinismi et rigidioris Thomismi apparet, e regione haec opponuntur ad invicem. Unde Paulus Mezger O. S. B.: « Ergo nulla spes « pacis? - Etiamnum nulla. Nec ideo peior est S. Theologiae « conditio, cuius pulchritudo ex adversantium sententiarum « varietate, salva Catholicae doctrinae veritate ornatur, « non minus quam universum ex contrariorum elemento- « rum et qualitatum conflictu ».[1] Venia docti Salisburgensis existimem, hanc comparationem claudicare nimis. Contrariorum elementorum et qualitatum conflictus, quem in universo miramur, a Deo est conditus, eorumque singula sunt

« spectu talis creaturae est adnexa privatio debitae rectitudinis, huiusmodi autem « concursum Deus ita praeparat per iustitiae suae iudicium, ut ex ipso iure, ac do- « minio primae causae, nolit rationalem creaturam esse sine exercitio libero. Hoc « vero liberum exercitium, tametsi secundum nonnullos Doctores in ratione purae « omissionis imputari possit ad culpam, supponit tamen positivum intellectus iudi- « cium obiecti cum indifferentia repraesentativum, atque importat formaliter actus « carentiam interpretative ac indirecte voluntariam eatenus imputabilem, quatenus « posset ac deberet voluntas elicere actum oppositum.

« Ad eiusmodi proinde actum sive ab intellectu dumtaxat; sive etiam a volun- « tate elicitum, quem consequitur malitia, seu privatio rectitudinis debitae, con- « currit Deus per actionem tum immanentem decreti sui divini, tum transeuntem « motionis creaturae rationali impressae et ab istius actione indistinctae. In hoc « autem suo concursu tum immanente ex ratione causalitatis infallibiliter inferente « liberum creati arbitrii exercitium, tum transeunte ratione identitatis realis inse- « separabili a creaturae intellectualis operatione Deus hoc ipso exercet suum iudi- « cium, quod utatur dominio primae causae. Ex isto ergo iure, etsi Deus posset « creaturas omnes relinquere otiosas sine cuiuscumque actionis exercitio, congruit « tamen divinae providentiae, eiusque suaviori causarum secundarium exigentiis « magis attemperato modo secundum cuiusvis creaturae innatam virtutem providere « de concursu ex parte sui tamquam causae primae requisito ad actuale facultatis « operativae exercitium. Unde etiam fit, concursum Dei, etsi qua immanens in ratione « causalitatis inferat infallibiliter motionem Dei transeuntem ab entitate actus pec- « caminosi indistinctam, neque formaliter contrahere malitiam, neque esse funda- « mentum etiam remotum moralis malitiae ». *

[1] Op. cit.

* Op. cit., loc. cit., Contr. 10.

bona et vera. At systemata contraria de argumentis tanti momenti sunt indicium debilitatis mentis humanae, et, in quantum sibi sunt opposita, non possunt esse cuncta nec vera nec bona. Unde gravi hac in re Theologiae conditionem deplorandam censeam potius quam laudandam, eo vel magis quod, - res humana nimis! - partium studium et aemulatio ab his controversiis non semper sunt aliena.

Ergo nulla spes pacis? - Nulla, nisi ex utriusque oppositis castris procedant ingenia pacifica, quae, veluti in campo medio, sibi pacis osculum praebeant, aut saltem amicas stringant manus. Utrimque tales fuerunt, nec hodie desunt. Bellarminus et Gonzalez de Alveda non tantopere ab invicem distabant; nec hodie multum interesse videtur inter laudatum Guillermin et Card. Billot. Campus autem medius nobis videtur esse S. Augustini sententia, quam libenter sententiam catholicae traditionis vocarem.

3) *Discutitur sententia S. Augustini, sive systema ab eo dictum Augustinianum.*

Merita systematis S. Augustini sunt: 1) quod simul aequali zelo iura gratiae efficacis et iura liberi arbitrii tutelat; - 2) quod harmonice inter se componit textus Scripturae qui utraque inculcant; - 3) quod imprimis problema theologice scrutatur, quale in Scripturis exhibetur; - 4) quod in hac expositione, duce S. Paulo, prae oculis habet conditionem lapsam generis humani; - 5) quod efficaciam gratiae illustrat iuxta imagines quibus utitur ipsa Scriptura; - 6) quod plene consonat documentis ecclesiasticae auctoritatis, necnon orationibus Ecclesiae; - 7) quod actionem gratiae modo valde psychologico explicat;[1] - 8) quod non urget nimis discrimen inter gratiam sufficientem et efficacem, et inter utramque nexum concipit motus non discreti, sed continui; - 9) quod ad infallibilem effectum gratiae efficacis expli-

[1] In hac psychologica analysi magnam sane partem habet illuminatio intellectus. Hinc, iuxta sententiam P. del Val, gratia est quidem ab intrinseco efficax, sed infallibiliter obtinetur effectus per influxum moralem intellectus; quin tamen recuset praemotionem physicam aut concursum intrinsecum in ipsa voluntate.*

* *Sacra Theol. Dogm.*, t. II, p. 524 sq.

candum non unice praedestinantia Dei decreta, sed etiam divinam praescientiam invocat; - 10) quod maxime recurrit ad omnipotentem Dei virtutem, cui nulla vis creata, nec libera, resistere potest; - 11) quod modeste hic sistit, quin ulterius curiose inquirat, quomodo haec omnipotentia effectum liberum infallibiliter obtineat, nec explicationem suggerat cum qua actus secundi vera libertas vix componi posse videtur; - 12) demum quod sanctam humilitatem mirifice excolit, dum dependentiam a gratia et spem non in hominis viribus, sed in Dei largitate reponendam, fortiter urget.[1]

Praeter eloquentes textus qui hanc omnipotentiam proclamant et quos superius citavimus, placet adhuc afferre sequentem sententiam syntheticam: « Absit, ut impediatur ab « homine omnipotentis Dei cuncta praescientis intentio. Pa- « rum de re tanta cogitant, vel ei excogitandae non suffi- « ciunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, et « homine infirmo impediente non posse ».[2] Bene idem exprimit Fenelonius: « Dieu a dans les trésors de sa sagesse et « de sa puissance des moyens infinis et inépuisables de ga- « gner le cœur des hommes, de les persuader, de les tou- « cher, de les incliner, de leur faire vouloir ce qu'il veut, « de tourner même selon ses desseins leurs volontés les plus « impies ».[3] Quod uno verbo Hypponensis comprehendit:

[1] Bene P. Grou S. J.: « La grâce seule peut nous affranchir de l'esclavage du « péché, el nous assurer la vraie liberté; d'où il suit que plus la volonté s'assujet- « tira à la grâce, plus elle fera tout ce qui dépend d'elle pour s'en rendre absolu- « ment, pleinement, et constamment dépendante, plus elle sera libre.... Aussi tout « consiste pour elle à se remettre entre les mains de Dieu, à n'user de son activité « propre que pour parvenir à être plus dépendante de lui.... Notre salut n'est il pas « incomparablement plus assuré entre les mains de Dieu qu'entre les nôtres.... Au « fond, que pouvons-nous pour nous sauver, que ce Dieu nous fait pouvoir? ».*

Quod iam pulchre expresserat ethnicus vates:

Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris,
Carior est illis homo quam sibi. **

[2] *Opus imperf. ctr. Iul.*, l. v, n. 93.

[3] Op. cit., loc. cit.

* *Maximes spirituelles*, 2° Max.

** Juvenalis, Sat. X.

« In nobis mirabili modo et ineffabili operatur ».[1] Ibique sistit, bene sentiens, nos hic stare ad ianuam mysterii.

Haec omnia merita occurrunt quoque in genuina sententia S. Thomae, quem non censeam ab Augustino recedere voluisse; licet, praeter incessum magis frigide scholasticum, Doctor Angelicus problema magis intueatur uti philosophico-theologicum, ac proin in eius contemplatione et solutione minorem partem tribuat praesenti conditioni lapsae humani generis.

Adde 13) hisce meritis, sententiam S. Augustini recte intellectam, esse liberam a difficultatibus in quas incidunt systema Molinisticum et rigidius Thomisticum.

Quare hanc sententiam aliis praeferendam esse censemus.

Obiicies 1°. - Nonne haec sententia nimis appropinquat ad Iansenii sententiam, quam Ecclesia damnavit? - *Resp.* Sententia Iansenii est ad mentem Augustini id quod sententia Calvini est ad mentem rigidiorum Thomistarum: non fidelis, sed deturpata imago, quam gallice vocaremus *odieuse caricature*. Dupliciter, et quidem radicaliter, differt sententia Iansenii. 1) Delectatio victrix, de qua saepe Augustinus, est deliberata, - nisi excipias primum impulsum, qui est in nobis sine nobis, quemadmodum superius de praeveniente gratia et de initiali gratia sufficiente dictum est; delectatio Ianseniana est indeliberata.[2] - 2) Delectatio Augustiniana

[1] *De praedest.* SS., c. 19, n. 42. - Praeclare S. Thomas potentiam Dei in humanam voluntatem describit, discrimen ostendens Deum inter et Angelium: « Angelus « inclinare potest in amorem creaturae per modum suadentis. Ex parte vero ipsius « potentiae voluntas nullo modo potest moveri nisi a Deo. Operatio enim voluntatis « est quaedam inclinatio volentis in volitum; hanc autem inclinationem solus ille « immutare potest, qui virtutem volendi creaturae condidit ». (I. Q. CVI, a. 2).

[2] Contra indeliberatam delectationem victricem invehit Fenelonius in prima ex suis *Lettres sur la grâce et la prédestination*. « On ne choisit réellement qu'entre « deux partis, qui sont en l'actuelle et prochaine puissance de celui qui choisit : c'est « se moquer de Dieu et des hommes, que d'oser parler autrement; c'est se jouer « du dogme de la foi par les restrictions mentales les plus odieuses, que nul casuiste, « si relâché qu'on se l'imagine, ne tolérerait en cette matière... ».

« Vous détruisez tout ensemble et le pouvoir de Dieu et la liberté de l'homme. « 1) Vous détruisez le pouvoir de Dieu. Eh! qu'y a-t-il de plus indigne de lui, que « de supposer qu'il faut qu'il ait recours à un sentiment indélibéré pour venir à « bout de faire ce qu'il ne pourrait lui-même, ni en éclairant ni en fortifiant une « âme? ... 2) Vous détruisez aussi là liberté de l'homme.

« Si vous dites que la nature du plaisir indélibéré et celle du vouloir de l'homme, « sont telles que l'une est la cause réelle de l'autre, et que leur connexion vient de

de obstaculo triumphat, quia facit voluntatem libere velle quod ei opponitur, et libere velle quod ei proponitur; delectatio Ianseniana vincit mechanice, loco praefocatae libertatis non relinquens nisi voluntarium. Quare, licet eadem utantur voce, Ianseniani aliquid omnino aliud sub ea intelligunt ac S. Augustinus eiusque discipuli. Quod bene ita exprimit Tixerant: « Dans les entraînements de la délectation de la « grâce dont parle l'évêque d'Hippone, il ne faut donc voir « que des entraînements relatifs auxquels on peut résister. « Evidemment cette théorie, s'il en avait une, se rappro- « cherait davantage de la théorie de la grâce efficace par « elle-même que de la théorie Moliniste; mais cette effica- « cité de la grâce, il la mettrait plutôt dans une puissance « d'attraction morale, que dans une force de prémotion phy- « sique. Le système dit Augustinien n'a pas en somme trahi « sa pensée ».[1]

Obiicies 2o. – Nonne infelix est illa locutio « delectatio victrix », quum non raro, imo saepe victoria in hoc consistat quod falsa delectatio vincatur, et quum gratia ad illam vincendam uti soleat mediis, quae delectationi potius opponantur quam eius nomine vocari possint? – *Resp.* Si delectationis nomine heic unice intelligeretur delectatio sensibilis,

« leurs essences: alors ce sera une nécessité métaphysique qui est bien au-dessus « de la physique ». Et paulo infra: « Ce qu'ils ont tous (Wiclef, Luther, Calvin, etc.) « appelé de bonne foi nier la liberté, c'est de dire que nos volontés ont une cause « nécessaire qui ne dépend pas de notre choix: or est-il que le plaisir indélibéré « qui nous prévient, et qui par sa nature est involontaire, ne dépend point de notre « choix: il est donc clair comme le jour qui si ce plaisir est cause nécessaire, ou « cause par lui-même de notre vouloir, notre vouloir a une cause nécessaire qui ne « dépend point de notre choix; et par conséquent voilà la doctrine des stoïciens, « des manichèens, de Wiclef, de Luther, de Calvin qui est établie. Si les théolo- « giens qui ont disputé contre eux, comme Cajétan, leur avaient accordé qu'il y a « une cause nécessaire de notre vouloir, laquelle est entièrement en nous sans nous, « c'est-à-dire indélibérée et involontaire, ils auraient applaudi, et, toute question de « nom mise à part, ils auraient pensé comme les catholiques. On peut voir dans « Calvin qu'il a rejeté de bonne foi toutes ces questions de nom. Ainsi dans cette « supposition, il faudrait conclure tout au plus qu'ils ne se sont pas assez bien ex- « pliqués, qu'ils ont eu raison pour le fond, peut-être même qu'ils ont parlé plus « naturellement et avec plus de candeur que leurs adversaires, et que l'Eglise est « inexcusable d'avoir foudroyé de tant d'anathèmes des gens si innocents et si sin- « cères ».*

[1] Op. cit., p. 496.

*Op. cit., 1e Lettre. – *1e Question sur la délectation indélibérée.*

sive media quae naturae placent, valeret utique obiectio. At non ita est, quemadmodum Augustini scripta abunde demonstrant. Caeterum nonne spiritualis delectatio altior sensuali? Nonne altissima delectatio divini amoris ardua quaeque inspirat toleranda, imo sponte amplexanda amanti? Quare si per timoris stimulos, si per aerumnarum angustias et lacrimas gratia animam de saeculi amore ad Christi amorem trahit, nonne ideo est ut altior delectatio triumphet? Optime proin magistri mentem reddit S. Prosper quando scribit: « Trahit timor: principium enim Sapientiae timor Domini. « Trahit laetitia: quoniam laetatus sum in his quae dicta « sunt mihi. Trahit desiderium: quoniam concupiscit et defi- « cit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes: « quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua! Et quis per- « cipere et enarrare possit per quos affectus visitatio Dei « animum ducat humanum? ».[1]

Haec est illa tractio victrix, quae omne obstaculum frangit; quae uno gratiae fulgore Saulum mutavit in Paulum. Belle Augustinus: « Quam multi inimici Christi quotidie « subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum! ».[2] Quatenus igitur ita instituta est nostra libera voluntas ut in deliberationis stadio ponderemus diversa quae nos sollicitant, et in deliberationis fine ad id liberam electionem inclinemus quod ultimo iudicio practico, aequo vel falso, bono vel malo, magis nos trahit, Augustinus dicere potuit: « Quod « amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est ».[3] Ad quae verba Fenelonius: « Il (St Augustin) veut dire seu- « lement que notre conduite est toujours décidée par nos « plus fortes volontés ... C'est donc une réflexion morale qui « est incontestable, et non pas une explication dogmatique « de notre liberté et du pouvoir de la grâce sur nous ». Optime, sed ipsa gratia sese accommodat huic naturae nostrae libertatis, ita in eam agendo, ut libere concludat in sensu ad quem gratia trahit.

[1] *Ctr. Collat.*, c. 7.

[2] L. I, *ad Bonif.*, c. 19. Cf. pulcherrimam expositionem Augustini. Ioann., VI, 44.

[3] *Expos. in ep. ad Gal.*, c. V, n. 49. - De hoc loco bene disserit cl. Van der Meersch (op. cit., p. 297 sq.).

Huc faciunt verba S. Caelestini: « Ita Deus tangit corda « fidelium, ut quum aliquid boni agimus, nec nostrum « deesse arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis huma- « nae singulis motibus magis illius valere non dubitemus « auxilium ».[1] Inde orat S. Basilius Magnus: « Dona, Domine, « virtutem ac tutamen; malos, quaesumus, bonos facito, « bonos in bonitate conserva; omnia enim potes, et non est « qui contradicat tibi, cum enim volueris, salvas, et nullus « resistit voluntati tuae ».[2] « Non enim, ait S. Cyrillus Ale- « xandrinus, cum dicit, neminem posse ad se venire, nisi « Pater traxerit eum, vi quadam cogi, trahique credentes, « putandem est, sed monitione, doctrina, revelatione infalli- « biliter facta ».[3] Bene id exprimit Sixtus Senensis O. Pr.: « Tanto munere gratiae (electos) donavit, tantisque ad salu- « tem praesidiis instruxit, ut, salva etiam arbitrii libertate, « a salute excidere nequeant ».[4] Et Raynerus Pisanus: « Aut « enim per exteriores occasiones, et incitationes ad salutem, « ut puta praedicationes, exempla, aegritudines, flagella, « terrores; aut per interiorem instinctum et motum, scilicet « cor hominis interius movendo ad bonum ».[5]

Obiicies 3º. - Si ad hoc reducitur illa delectatio victrix, in quonam differt a gratiae efficacia qualis propugnatur in Congruismo?[6] - *Resp.* Sane efficacia gratiae in sententia Suarezii longe magis appropinquat ad conceptum S. Augustini quam in sententia Molinae; neque hoc est detrimentum

[1] *Rescr. ad Epist. Galliarum.*

[2] *Orat. SS. Altaris.*

[3] *L. IV in Joann. c. V.*

[4] Cf. *Portalié,* op. cit., col. 2492.

[5] *Pantheol.* v. gratia c. 2; cfr. Capreolus, II Sent., dist. xxv, q. 1 a 3.

[6] Hoc, parumper sane excedens, ita evolvit Fenelonius: « Vous ne pouvez plus « enseigner que deux choses: l'une que Dieu donne une impression si proportionnée « à la volonté et si propre à la persuader, qu'il voit qu'il la persuadera, quoi qu'il « n'y ait néanmoins aucune connexion nécessaire ou de nature entre le plaisir et le « vouloir; l'autre, qu'il voit par sa préscience que le vouloir suivra. Mais cette pro- « portion si juste pour persuader et pour toucher n'est que la congruité de la grâce « enseignée par les jésuites.* Pour la préscience de Dieu, à proprement parler, elle « n'est pas une préscience; car, ce qui n'est encore que futur à notre égard, et par « rapport à nous qui sommes bornés au temps, est déjà présent à Dieu, qui est « éternel: ainsi Dieu ne voit que ce qui est déjà devant lui ».**

* Intellige Congruistas.

** Op. cit., 3º Q., *De la nature de la grâce.*

Augustianismi; e contra inde melior sententia Suarezii, quia magis habet de conceptu S. Augustini, qui plenius respondet modo loquendi Scripturarum. Itaque ambae sententiae conveniunt in hoc quod spatium relinquunt liberae determinationis voluntatis.[1] Sed differunt et quidem dupliciter: 1) Congruitatis mensuram Suarezius repetit a scientia media, Augustinus non;[2] 2) in systemate Suarezii ista congruitas est magis iuxtaposita voluntati, veluti coniugata causa simultanea; in mente Augustini est operosa, motrix, usquedum effectus intentus obtineatur. Quare longe plus habet de intrinseca et physica efficacia quam in mente Suarezii.

Obiices 4°. - Ex parte in solutione praecedentis obiectionis concessa exsurgit et alia. Si, iuxta dicta, gratiae efficacia in mente S. Augustini non est determinans, iam obtinetur per liberum assensum voluntatis. Quid ergo eam radicitus distinguit a conceptu non solum Suareziano, sed et Molinistico? - *Resp.* Rursus, sententia Molinae minus recedit a conceptu S. Augustini quam a conceptu rigidiorum Thomistarum. Nec in hoc est vitium sententiae Augustinianae, quae imo hoc etiam in se pulchri et boni habet, quod, veluti

[1] Hoc sensu recte dicit Fenelonius: « Cherchez tant qu'il vous plaira un milieu « entre la nécessité nécessitante des Luthériens, et ce sentiment d'une grâce con- « grue qui est efficace par sa congruité, vous ne trouverez de bonne foi, et tout « sophisme à part, aucun milieu réel. Si la grâce est par sa nature ou essence « cause de mon vouloir, l'essence de la grâce ne peut être violée, et je suis essen- « tiellement nécessité à vouloir. Luther et Calvin n'en ont jamais demandé davan- « tage ... Si au contraire la grâce n'est point, par sa nature ou essence, ou du moins « par une loi de Dieu qui l'établit cause occasionnelle, la cause qui détermine néces- « sairement mon vouloir, mon non vouloir est compatible avec l'impression actuelle « de la grâce: dès lors il n'est plus permis de l'appeler efficace par elle-même, c'est- « à-dire par sa propre nature; et s'il arrive qu'elle me fasse vouloir, ce n'est plus « que parce qu'elle est propre à me persuader: *Ita suadetur, ut persuadeatur* ».* Censemus, quoad hunc argumenti adspectum, prudentius arguere Fenelonium quam Bossuetium, cuius loquendi modus solemnior nobis videtur quam verior.

[2] Negari tamen nequit, Augustinum eiusque sequaces aliqualem scientiam futuribilium in Deo admisisse. Secus, quomodo, iuxta Hipponensem, Magister moveret dubium: « Quaeri solet, quare Deus hominem tentari permiserit, quem decipiendum « esse praesciebat ».** Quo sensu et Albertus Magnus loquitur de « praescientia « meritorum, secundum rationem intelligentiae ».*** Sed inter hanc futurorum penetrationem et Molinisticam scientiam mediam mullum interest; nec unquam ad Molinisticam hanc scientiam Augustinus recurrit ut praesens problema de gratia solvat.

* Op. cit., 3ª Q., *De la nature de la grâce*.

** II Dist. XXIII, c. 1.

*** *Summ. Theol.*, I Tr. XVI, q. 63.

in campo medio posita, in se continet quae aliae sententiae utrimque optimi habent. In casu, humana libertas, quae in Molinae sententia defenditur forte ad excessum, in sententia S. Augustini tam in tuto est collocata, ut nisi iniuria impeti possit. Utique in sententia S. Augustini efficacia gratiae pendet a libero consensu voluntatis, quatenus motu continuo initialis gratia sufficiens in efficacem cooperante voluntate transit; sed ipsa gratiae efficacia ita movet voluntatem ut ista cooperatio non desit; nec ullo modo e mysterioso nescio quali scientiae mediae promptuario Deus illam eligit gratiam, quam ope huius scientiae cognovit fore efficacem.

Obiicies 5°. - Esto, sed quomodo, deficiente ex una parte, praemotione physica, et ex altera parte, usu scientiae mediae, potest Deus infallibiliter, illaesa libertate hominis quem per gratiam movet, obtinere consensum quem intendit? - *Resp.* Ultro fateor, hic haberi magnam difficultatem. Sed iam alibi, ubi data opera de scientia divina egimus, iuxta principia S. Augustini et S. Thomae illam solvere conati sumus. Sufficiat hic iterare quod modo monebamus: S. Augustinum ad solvendam hanc difficultatem recurrere simul ad certitudinem praeordinationis et praescientiae, quatenus ex utraque simul infallibilitas praedestinationis obtinetur. Futura enim contingentia, uti saepius et solemnius affirmat S. Thomas, Deus videt uti praesentia in sua aeternitate. Etenim Deus intuens uti praesens quidquid sub praedefinita gratia voluntas aget, semper potest hanc gratiam ita moderari ut intento effectu nunquam frustretur. Quare certitudo non per solam causalitatem necessariam obtineri potest ab eo qui futura uti praesentia contuetur. Sed de hoc divinae scientiae adspectu alibi fuse egimus. Bene Fenelonius: « La certitude n'est point fondée sur la causalité né« cessaire d'une cause que Dieu applique à la volonté, mais « seulement sur l'effet que Dieu voit présent, quoi qu'il ne « soit que futur pour nous ... L'opération du moyen n'est « point infaillible par sa nature, quoiqu'il soit très propor« tionné et très persuasif: mais la science de vision qui est « en Dieu, pour voir l'effet déjà présent, ne peut se tromper, « car il ne peut pas voir ce qu'il voit ».[1] Et paulo inferius:

[1] Op. cit., loc. cit.

« Il n'est pas possible que ce qui est ne soit pas: or, le bon « vouloir de l'homme est déjà présent aux yeux de Dieu. « Mais comment Dieu s'est-il assuré de ce bon vouloir de « l'homme? Saint Augustin ne l'explique pas, il y aurait de « la temerité à aller plus loin que lui ».[1]

Tractans de concilianda infallibili providentia cum contingentia et libertate nostrorum actuum, Cardinalis Caietanus candide fatetur: « Ad hanc dubitationem nihil scriptum « reperi a S. Thoma, quoniam nullibi eum movisse hanc « recolo, sed semper studuit ad salvandam contingentiam. « In aliis quoque doctoribus nihil hactenus comperi ad quae- « stionem istam, nisi quae communiter dicuntur de sensu « composito et sensu diviso, de necessitate consequentiae « et consequentis, de libertate electionis divinae in aeterni- « tate, deque natura causarum ad utrumlibet in universo « inventarum. Sed haec omnia intellectum non quietant ».[2] Et paucis interiectis, dat sapiens monitum haud dissimile illi quod olim Augustinus dare solebat: « Optimum autem atque « salubre consilium est in hac re, inchoare ab his quae « certo scimus et experimur in nobis, scilicet quod omnia « quae sub libero arbitrio nostro continentur, evitabilia a « nobis sunt, et propterea digni sumus poena vel praemio. « Quomodo autem hoc salvo, divina salvetur providentia et « praedestinatio, etc., credere quod sancta Mater Ecclesia « credit. Scriptum est enim: " Altiora te ne quaesieris, plu- « rima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi ". « Et hoc unum de illis est ».[3] Ostensa scilicet in altiori

[1] Optime cl. De Baets: « In tota hac re, uti patet, unum denique est myste- « rium: unde Deus praenoscat futura libera. Mysterium, inquam, cuius, quia myste- « rium est, propriam rationem adipisci nequimus. Hoc tantum scimus: Deum haec « omnia novisse in eorum a se dependentia. Ulterius autem determinare neque au- « demus neque valemus ».*

[2] Eodem sensu fatetur cl. De Baets, « esse quidem mysterium, sed non contra- « dictorium; quod contingens sit per voluntatem divinam, et nihilominus maneat « contingens, scilicet in causis indifferenter contentum ».**

[3] In I, Q. XXII, a. 4. Modo oratorio sane crudiori P. Segneri prope idem expressit: « Andate dunque, o Teologi, andate via, e non mi tornate a confondere la mente « con tante importune difficoltà. Che mi opporrete? Che io non sappia, se la elezion « dei mortali alla gloria sia susseguente alla vision dei loro meriti, o antecedente? « Verissimo, io non lo so. Che io non intenda come i Decreti celesti, essendo immu-

* Op. cit., p. 124.

** Op. cit., p. 140.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lumine quam ut a tenue acie humanae mentis percipi possint. Ad quae verba Cardinalis Billot: « Haec Caietanus, et « recte. Quae etiam eodem modo valent quoad rationem et « modum quo sub operante Deo, libere operetur liberum « arbitrium. Nam ibi quoque aliquid occultum est quod « nostrum fugit intellectum: res altius posita quam ut nobis « pateat accessus ».[1] Imo Caietanus hoc mysterium non timet conferre cum altissimo fidei nostri dogmate: « Cum obiicis: « Coniuge haec duo simul (nempe efficaciam gratiae et liber- « tatem arbitrii), respondeo me scire quod verum vero non « est contrarium, sed nescire haec iungere: sicut nescio « mysterium Trinitatis ».[2] Non est igitur cur, ob istam difficultatem, quae, licet sub alia forma, pervadit et alia systemata, debeamus recedere a sententia S. Augustini, tot meritis, tanta auctoritate commendata, quam ipse expressit verbis modo citatis, quae altitudinem argumenti bene exprimunt: « In nobis mirabili modo et ineffabili operatur », et quam S. Prosper hisce versibus eleganter réddidit:

At vero Omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quae gesta velit non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis,
Nec, quod sola potest, cura officioque ministri
Exequitur, famulisque vicem committit agendi.[3]

« tabili, non impongono necessità? Verissimo, io non l'intendo. Che io non sappia, « come la scienza divina, essendo infallibile, non tolga la contingenza? Verissimo, « io nol capisco. Ma ciò che prova? È questo colpa della mia debole vista, la quale « nè anche sa penetrare altri arcani meno astrusi, men ardui, quali sono gli arcani « medesimi di natura: " Et quae in prospectum sunt invenimus cum labore ,,.* Nel « resto nessun uomo nel mondo si troverà, il quale mi persuada, ch'io mai possa « essere dannato, se io non voglio essere. Che cercar dunque terra più ferma di « questa, in cui porre il piede... Vi dimostrerò che Dio quanto è a sè è dispostis- « simo a salvare tutti. " Ego vitam aeternam do eis ,,;** che troppo sfacciata è la « temerità di coloro, i quali non contenti di offendere un Dio sì buono, vogliono « ancora rifondere in lui la colpa della loro perdizione, amando meglio di accusar « lui come ingiusto, che sè come empio ».***

[1] Op. cit., p. 33.

[2] In cap. IX ep. *ad Rom.*, V, 23. Huc facit sententia Malebranchii: « Il est bon « de comprendre clairement qu'il est des choses qui sont absolument incompréhen- « sibles ». Dummodo addatur haec altera Lucae de Vauvenargue: « C'est faute de « pénétration que nous concilions si peu de choses ».

[3] *De ingratis*, c. 15.

* SAP., IX, 16.

** IOANN., X, 28.

*** *Pred.* XXXI, nel mercoledì dopo la Domenica di Passione. — Exordium.

4) *Discutitur Syncretismus.*

Duo praesertim in hoc systemate placent: 1m) quod influxum orationis inculcat tamquam medii efficacissimi ad maiores gratias obtinendas;[1] 2m) quod gradationem quamdam admittit in gratiis, quatenus ad levia opera minor sufficit, quam requiritur ad maiora.[2] Sed non videtur hoc systema intimam quaestionem attingere, quomodo scilicet gratia in minoribus sufficiens, et quomodo maior in arduis requisita efficientiam exerit. Haec tamen est ipsissima quaestio. Ex eo autem quod Tournely concedit, gratiam aliquando sortiri suum effectum « sine nova gratia praeveniente ac determi- « nante, seu physice, seu moraliter », iam affirmat aliquid quod cum rigidiori Thomismo componi nequit, et videtur efficaciam maioris gratiae ad magis ardua requisitae concipere ad modum sententiae Augustinianae. Et sane illa intrinseca gratiae efficacia quam S. Alphonsus ad opera difficiliora requirit, pariter iuxta sententiam S. Augustini intelligenda videtur. Quare secundum haec Syncretismus nobis arridet. Caeterum auctoritas Doctoris non sanctitate dumtaxat, sed et doctrina tam inclyti, huic, si minus speciali, sed completivae sententiae magnam sane reverentiam conciliat.

De systemate Sorbonico-Alphonsino haec scribit laudatus Portalié: « Quant à l'explication de Tournely et de Saint « Alphonse, on doit sans nul doute accorder que la prière « est un grand moyen d'obtenir la grâce et de vaincre « les tentations, et tel est le sens des maximes augustiniennes « adoptées par l'Eglise. Mais le théorie surajoutée à cette « maxime ne paraît point aider à la conciliation de la grâce « et de la liberté. On à dit qu'elle réunit toutes les diffi-

[1] Recole hic verba S. Augustini: « Non impossibilia iubet, sed iubendo admonet, « et facere quod possis, et petere quod non possis ».* « Hinc admonemur, et in faci- « libus quid agamus, et in difficilibus, quid petamus ».**

[2] Non est tamen haec gradatio unice attendenda in distinctione gratiarum; imo maior repetenda est ab ipsa intentione Dei gratiam conferentis. Cf. dicta superius p. 375 sqq. et mox dicenda p. 659 sq.

* *De nat. et grat.*, c. XLIII, n. 50. - *P. L.* t. XLIV, col. 271.

** *De grat. et lib. arb.*, c. XVI, n. 32. - Ibid. col. 900.

« cultés du molinisme dans sa première assertion, à celle « de la prédetermination physique (on de l'augustinisme « strict) dans la seconde. Il semblerait même qu'elle les aug- « mente notablement, en se privant des explications de l'un « et l'autre système. C'est ce qui explique le silence de « bon nombre de théologieus ». Recte quidem, si agitur de theologis Molinismo aut rigidiori Thomismo addictis. Minus autem recte de illis qui S. Augustino adhaerent, aut mediam inter utriusque systematis scopulos viam inquirunt. Hinc systema Sorbonico-Alphonsiunum multum offert quod mentis, si minus adhaesionem, saltem benevolam attentionem sollicitat. Et sapienter adiungit: « En des matières si déli- « cates on ne doit point s'étonner que de grands maîtres « et de grands saints soient d'un avis différent: l'autorité « du celèbre docteur de l'Eglise saint Alphonse de Liguori « est certes d'un grand poids, même dans le dogme; elle « ne peut cependant trancher une question dans laquelle « d'autres saints docteurs, comme saint François de Sales, « ont préféré une autre solution ».[1]

C. - Sententia nostra breviter exponitur.

Antequam sententiam nostram, seu quid synthetice nobis tenendum videatur, breviter et modeste afferamus, placet adducere verba quibus laudatus Van Noort expositionem suam claudit: « Habeantur praefata systemata ut hypothe- « ses scientificae ad explicandam rem altissimam, quae ratio- « nem superat et quam revelatio saltem non explicite tractat. « Quisque suam, si quam habet sententiam tuatur modeste, « quisque in suo sensu abundet, salva tamen charitate. Cae- « terum nec necesse alicui theoriae determinatae adhaerere; « nihil impedit quominus aut ignorantiam fatearis, aut saltem « aliis haud sine formidine oppositi nonnihil praeferas ».[2]

Itaque, hac prudenti declaratione praemissa, quaedam ex superius acquisitis recolere iuvat:

a) Gratia duplicem motum in se continet: alterum a Deo summo ente, creaturam informante aut reformante;

[1] Vacant-Mangenot, *Dictionn. de théol. cath.* - *Augustinianisme,* t. I, col. 2498.
[2] Op. cit., n. 76.

alterum a Deo summo motore, creaturam de potentia in actum educente et ad actum applicante. Sub priori respectu gratia dicitur elevans vel sanans; sub altero, movens vel adiuvans. Prior respectus invenitur in omni gratia proprie dicta, sive habituali sive actuali; alter proprie nonnisi in gratia actuali. Sanans autem dicitur magis relate ad actus quam ad habitus.

b) Gratia duplici modo operatur: sine concursu liberi arbitrii, vel cum eiusdem concursu. Prior est stricto sensu operans, altera cooperans. Operanti autem, si actum respiciat, liberum arbitrium cooperatur; et cum cooperante operatur, vi gratiae operantis cui cooperatum est. Ex quo apparet, quam intimo nexu inter se colligentur. Operans ergo gratia magis respicit actum primum; cooperans actum secundum, vel certo alios inde sequentes.[1]

c) Gratia operans distingui debet in externam et internam: externa est v. gr. praedicatio, bonum exemplum, etc.;[2] interna est motus salutaris inde, iuvante Deo, in ipsa anima excitatus; de hac interna, quae propriae gratia est, hic agitur.

d) Rursus, alia gratia lato, alia presso sensu supernaturalis; de utraque potest moveri, si interna sit, quaestio de concordia inter gratiam et liberum arbitrium; solet tamen potius moveri de gratia stricto sensu supernaturali, aut saltem ad gratiam supernaturalem, iustificationem scilicet, directe conducente.

e) Demum gratia sufficiens, in quantum distinguitur ab efficaci, est alia remote, alia proxime sufficiens: remote suf-

[1] Cf. istam conclusionem Reding: « Gratia operans *realiter* distinguitur a gra-« tia *formaliter* cooperante, quatenus ista spectat ad actum secundum operis boni « moralis, illa vero ad actum primum ». *

[2] Ad externam quoque gratiam pertinet providentia specialis Dei, quae avertit occasiones peccatorum in quae, si quis fuisset, ex sua debilitate et pronitate in malum, lapsus esset. Unde oramus: « Et ne nos inducas ... ». Hoc sensu S. Augustinus exclamat: « Gratia tua deputo et misericordia, quod peccata mea tamquam gla-« ciem solvisti; gratia tua deputo et quaecumque non feci mala. Quid enim non « facere potui? Et omnia mea dimissa esse fateor, et quae mea sponte feci mala et « quae te duce non feci ». ** Haec Augustini interrogatio: « Quid enim non facere « potui? » est efficacissimus stimulus quo Sanctorum humilitas, etiam in vita innocente, provocatur.

* Op. cit., t. I, Q. III, a. 1.

** *Confess.*, l. II, c. 7.

ficiens est gratia lato sensu supernaturalis, proxime sufficiens, gratia presso sensu supernaturalis; saltem de generali gratiae oeconomia.

His notionibus et distinctionibus praemissis, ecce sub conclusionum formula, qualiter concordiam gratiae cum libero arbitrio concipimus.

1) Quotiescumque operatio gratiae est instantanea, v. gr. in ipsa iustificatione impii, non in via ad eam, producitur per gratiam intrinsece efficacem. [1]

2) Quotiescumque operatio gratiae non completur in instanti, distinguendum est inter principium motus et eius terminum. *a*) In motus principio subdistinguendum est: α) ratione principii elevantis, vel radicaliter sanantis, gratia sufficiens et gratia efficax non differunt intrinsece, quin imo sub hac ratione sunt ambae efficaces. - β) Ratione principii adiuvantis, medicinalis, possunt esse ab initio gradu differentes, non autem necessario differunt gradu, ac proin ambae habent adiunctam efficaciam, secus nec iuvarent, nec sanarent. - γ) Ratione principii moventis, conveniunt rursus, in quantum sunt ambae efficaces, quatenus scilicet faciunt facultatem exire de potentia in actum.

Itaque in initio motus non solum potest, sed et debet admitti aliqua praemotio physica, quae potest imo vocari praedeterminatio physica, non quidem ad agendum hoc vel illud, nec imo ad agendum vel non agendum; sed simpliciter ad *posse agere,* quatenus per hanc motionem initialem agens constituitur in actu primo.

b) In decursu autem motus gratia ut sufficiens et ut efficax differunt dupliciter: α) ex parte moventis, quia efficax supponit in movente intentionem specialem movendi usquedum actus sequatur; β) ex parte moti, quia gratia sufficiens interrumpitur in suo cursu per obstaculum libere ei a voluntate oppositum; et quum intentio Dei non sit absoluta ut effectus obtineatur, obstaculum vincit, seu mala voluntas gratiae resistit; efficax autem gratia, divina tractione quae obstacula superat, illaesa libertate effectum infal-

[1] Cavendum proin ne textus, v. gr. S. Thomae, qui respiciunt hanc gratiae operationem, adducantur ad vindicandam efficaciam gratiae actualis per praedeterminationem physicam.

libiliter obtinet, modo illo mirabili quem propugnat S. Augustinus. Etenim, uti ait: « Magis habet Deus in potestate « sua voluntates hominum, quam ipsi suas ».[1]

c) A fortiori gratia efficax differt a gratia sufficiente in motus termino. Sufficiens enim fructu suo caret, deficiente cooperatione instrumenti; efficax fructum suum parit. Non ideo tamen requiritur praedeterminatio physica ut voluntas bonum actum eliciat, quemadmodum quaedam talis praemotio requirebatur in principio motus. Etenim in eliciti actus entitate distinguenda est realitas generica, quae a Deo praemovente est, et *taleitas* actus, quae est a libera voluntate se determinante, iuxta doctrinam superius expositam. Unde iuxta S. Bonaventurae assertum: « Ex aequali gratia « aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minor, « secundum cooperationem liberi arbitrii ».[2] Quod et S. Thomas aliis verbis proclamat: « Licet baptizati aliqui interdum « aequalem gratiam percipiant, non aequaliter illa utuntur, « sed unus studiosius in ea proficit ».[3]

3) Per consequens inter gratiam sufficientem et efficacem datur nexus intimus continui. Gratia sufficiens non constituit dumtaxat agentem in actu primo, sed virtualiter continet terminum motus, et, quin requiratur novus actus, ut in motu discreto, potest, ut in continuo, ad terminum motus pervenire, nisi motus a libera voluntate impediatur.

4) Nexus autem qui inter initium motus et eius terminum existit, a parte Dei moventis nunquam ex toto deest. Nulla enim a Deo datur gratia initialis sine vera intentione ut ad actum in motus termino perveniat. Id exigit sincera voluntas bona qua Deus per gratiam movet. Et quum voluntas salvifica sit sincera relate ad omnes homines, utpote omnes Christi sanguine redemptos, nullus est homo, qui rationis usum attingit, quem Deus non moveat gratia quadam initiali, etiamsi remote tantum sufficienti, qua, si bene utatur, salutem consequi possit; nec proin ullus est, qui non sibi tribuere debeat quod ea non bene sit usus.

[1] *De corr. et grat.*, c. 14.
[2] IV Dist. XVI, p. 2, art. 4, q. 1.
[3] III, Q. LXIX, art. 8 ad 2m.

5) In hac autem Dei intentione dantur gradus. Alios Deus, post primam reiectam gratiam, non amplius tali modo invitat, sicut illum iuvenem divitem, quem invitatio ad perfectionem contristaverat; alios, post plures resistentias, demum veluti violento ictu sternit, uti Paulum, qui frustra diu contra stimulum calcitraverat. In omni autem gratia efficaci habetur indicium peculiaris tractionis divinae, quae, ad mentem S. Pauli et S. Augustini, imo iuxta verba ipsius Christi, ipsum motum intrinsece, modo subtili quidem, at vero, afficit.

6) Etenim in statu lapso, secundum quem passim loquuntur Scripturae, et quem solet prae oculis habere Augustinus, in statu lapso, inquam, in quo liberum arbitrium debilitatum et vulneratum ad terrena trahitur, gratia, ut efficax sit, debet esse auxilium *quo,* sive in temporis ictu, sive cum deliberationis mora, anima de inclinatione terrena per caelestem delectationem, eo quem supra exposuimus sensu, triumphet.[1]

7) In statu autem naturae integrae vel angelicae, talis discretionis necessitate deficiente, speciale donum gratiae hoc sensu efficacis non requirebatur;[2] sufficiebat enim gratia ut auxilium *sine quo non,* fundata in ipsa excellentia elevationis supernaturalis et radicalis dependentiae a primo ente et primo motore. Potuisset tamen Deus, et quidem infallibiliter, voluntatem prope labentem a lapsu praeservare, imo primum lapsuri motum impedire, illaesa prorsus libertate, vi illius mirabilis dominii tam eloquenter a S. Augustino celebrati.

[1] Pulcherrime id exprimit Augustus Nicolas in egregio libro cui titulus: l'*Art de croire:* « Comme une flèche légère, que le souffle du vent fait dévier de sa route « avant qu'elle ait atteint son but, notre volonté a besoin de lois; la raison n'y « suffit pas. Celle-ci est comme entre deux pôles, entre deux vies: la vie inférieure « des sens, des impressions terrestres, des séductions mondaines et frivoles de « l'opinion; et la vie supérieure de l'Esprit, des attraits célestes, des saintes lois « de la conscience et du devoir. Or, cette vie d'en-haut est nulle ou faible par elle-« même, dans l'état présent de notre nature. Elle ne fait plus contre-poids à la vie « sensible qu'elle devrait élever à elle. La raison dès lors ne peut qu'incliner, que « tomber en dehors, vers les sens, si la foi ne vient au dedans combattre leurs fan-« tômes par ses clartés, et contre-peser la concupiscence par la grâce ». *

[2] Cfr. textum allatum p. 641, not. 1; necnon dicta p. 390 sq.

* Tom. I, 1e P. *Besoin de croire,* p. 121.

Quomodo istae nostrae conclusiones cohaereant inter se, et cum modo loquendi Scripturarum conveniant; quomodo insuper concordent cum doctrina quam superius exposuimus de divina praescientia,[1] praedestinatione et finali perseverantia, sat manifestum putamus.[2]

[1] Rursus monere liceat, hanc nostram doctrinam fuisse a quibusdam criticis minus recte intellectam, quasi aliquid minuat de causali indole scientiae divinae. E contra, cum S. Thoma hanc causalem indolem fortiter propugnamus; sed, una cum eodem S. Doctore, in praescientia mali, uti mali, eam recusamus, ac proin ad praescientiam futurorum uti divinae aeternitati praesentium cum Aquinate recurrimus. Quare, sicuti in re mathematica maximus communis divisor ille numerus dicitur maximus per quem omnes alii dividuntur, etsi plures per maiorem dividi possint; ita, licet Deus multa contingentia futura praenoscat alia via, omnia tamen non nisi via praesentiae in aeternitate simul noscit, quia malum, uti malum, non nisi hac via noscit ac proin et praenoscit.

[2] Haec iam typis erant expressa, quando persolvens « Collationes Gandavenses », * incidi in egregiam disputationem Cl. C. Van Crombrugghe, cui titulus : « De « motione divina ad actionem agentis liberi ». In qua breviter at lucidissime eadem prorsus doctrina exponitur, quam, agentes de Thomismo rigidiore, superius propul gnavimus. – Pariter tractatus hic noster iam erat absolutus, quando in lucem prodiit egregium opus Illmi Batiffol, cui titulus : *Le catholicisme de Saint Augustin* (Paris, Victor Lecoffre Gabalda, 1920). De quo opere pluries sermonem faciemus in proximo nostro tractatu *De Virtutibus infusis*.

* August. 1920, t. VII, p. 175 sqq.

EPILOGUS.

Ecce hanc nostram quantulamcumque de gratia Dei et Christi elucubratiunculam ad finem suum adduximus. Si temerarium fuit tam alta scrutari voluisse, parcat nobis divinae gratiae auctor et distributor. De qua distributione non est mens nostra heic ex professo disserere,[1] quum iam alibi, ubi de voluntate salvifica, et pluries in huius tractatus decursu, et in his ipsis conclusionibus hoc argumentum attigerimus. Insuper in proximo tractatu *de Virtutibus* sermo non semel de hoc argumento redibit. Sint solummodo sequentes brevissimae propositiones.

1) Vi universalis voluntatis salvificae et operis Redemptoris, nullus homo rationis capax est sufficienti gratia destitutus, qua, si bene utatur, salutem assequi possit (cf. n. 4).[2]

2) Deus potius miraculose interveniret, quam sineret aliquem, nullo gravi peccato onustum, ex hac vita sine sufficienti Dei cognitione et charitate discedere.[3]

3) Iustis nunquam desunt gratiae, quibus, etiam in durissimis adiunctis et in summis periculis, orando et quae sua sunt praestando, in bono perseverare possint.

4) Nullum est peccatum tam grave, nec status peccati tam inveteratus, a quo, si Deus dederit, per gratiam non possit peccator ad veniam et charitatem redire. Quare de nullo etiam pessimo, dum adhuc vivit, desperandum est; unde optima praxis est semper Deum orare ut peccatorum corda convertat.

[1] Cf. de hoc argumento nitidam expositionem cl. Van der Meersch (op. cit., p. 381 sqq.).

[2] Non habentes (gratiam), ait Ægidius Romanus, « carent ea per suam culpam. « Dum sunt adulti, si semper fecissent quod in se est, et non restitissent divinae « motioni et divinae vocationi, habuissent divinam gratiam, quam nisi volentes, nun- « quam perdidissent ».* Et auctor libri *De Vocatioue omnium gentium:* « Datur « ergo unicuique sine merito unde tendat ad meritum, et datur ante ullum laborem, « ut quisque mercedem accipiat secundum suum laborem ».**

[3] Ad rem S. Thomas: « Unde dicitur quod, si aliquis in barbaris natus natio- « nibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit quod est necessarium ad salutum, « vel inspirando, vel doctorem mittendo ».***

* II Sent., Dist. XXVIII, q. 1, a. 2.

** L. II, c. VIII, col. 692.

*** II Sent., Dist. XXVIII, q. 1, a. 4 ad 4m.

5) Difficile dictu est, utrum sint peccatores tantopere culpis onusti, ut iam in hac vita a quovis auxilio gratiae divinae excludantur. Est obdurationis mysterium Deo soli cognitum.

6) His autem quos Deus sibi elegit, omnia, iuxta dictum Apostoli,[1] ita cooperantur in bonum, ut, si in culpas incidant, e culpis eruantur, imo profectum ex ipsis culpis accipiant.[2] Quum autem nemo sciat utrum de istis sit, qui stant, videant ne cadant, ne forte lapsi non habeant unde resurgant.

Servandum proin sedulo est iustis quod pulcherrime monet Augustinus: « Non superbiant, sed humiles sint:... « exultent Deo, sed cum tremore; in nullo glorientur, quando « nostrum nihil sit; ut qui gloriatur, in Domino glorietur,[3] « ne pereat de via iusta in qua iam ambulare coeperat, dum « sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt ».[4]

Egregie hanc veritatem proclamat S. Gregorius Magnus: « Homo Deo non compositus iustitiam percipit, compositus

[1] Rom., viii, 28.

[2] Bene laudatus auctor: « Deo autem placuit et hanc multis dare (specialem « misericordiam), et illam (benignitatem generalem) a nemine submovere; ut ex « utraque appareat, non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in « aliis praevaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam ». *

[3] Ierem., ix, 23, 24.

[4] *De Corr. et grat.*, ix, n. 24. – *P. L.*, xliv, col. 930 sq. – Haec sentiunt animae provectiores, quas Deus maioribus donis spiritualibus cumulat. Audiatur piissimus vir Henricus Desclée: « Ce n'est pas seulement sans moi que Dieu me comble de « ses dons, c'est malgré moi, malgré mes fautes, mes retardements, mes résistances, « mes absences, mes refus. Lui persiste, il est toujours là ». Unde exclamat: « Sei- « gneur, je voudrais vous voir, vous parler, lire dans vos yeux divins, connaître « non pas si vous m'aimez, je le sens. je le sais, - mais si vous étés satisfait de « moi. Vous entendre, entendre le son de votre voix pénétrante! Vous écouter long- « temps, apprendre tout de vous! Eh! oui, je voudrais être sur le Thabor! Et je « ne vois pas que c'est à vos pieds que je devrais me jeter, sans oser vous regarder, « anéanti dans le souvenir de mes fautes, vous suppliant de me pardonner, implo- « rant votre miséricorde, et pour cela ne puis-je me proterner aux pieds du cru- « cifix, n'este ce pas ma place sur la terre? Ne dois-je pas pleurer au lieu d'être « ravi, verser des larmes de repentir au lieu des larmes de joie? Oui, jusqu'à ce « que j'aie fait pénitence! ». ** – De excellentia et necessitate humilitatis perpulchre pariter scripsit Iosephus Toniolo. ***

* L. ii, c. xxv, col. 711.

** Dom Hadelin de Moreau, *Henri Desclée*, p. 26 sq.

*** *Memorie religiose*, cap. i, p. 50 sqq. – Milano, Casa editrice *Vita e pensiero*, 1920, 2ª ed.

« amittit: quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono « se, quod acceperat, privat. Qui enim accepta bona sibi « arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Unde ergo despe- « ctus erigitur, dignum est ut erectus inde destruatur.... « Cum Deo contendere, est non ei tribuere, sed sibi glo- « riam suae virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, « quia et qui summa iam dona percepit, si de acceptis extol- « litur, cuncta, quae acceperat, amittit ».[1]

Imploret sedulo, opitulante Deipara Matre gratiae, quod praecinente psalmista canit Ecclesia: « Confirma hoc Deus « quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est « in Ierusalem »![2] Et dum oculos defixos tenet in caelum ad montes aeternos, unde a Christo consummatore salutis veniat auxilium sibi,[3] humili gratoque adorationis sensu cum Apostolo exclamet: « O altitudo divitiarum sapien- « tiae ac scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia « eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sen- « sum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis « prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et « per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. « Amen ».[4]

[1] *Moral,* l. IX, c. 2.

[2] Huc faciunt partim verba D. HEBRARD O. S. B.: « Vivre dans l'attention n'est « pas encore assez pour lui; il doit en outre s'affirmer comme un être d'incessant « désir. A chaque instant le sentiment profond de son insuffisance le place et le main- « tient dans l'attitude de la demande humble et du remerciement joyeux. Il est prière « vivante, amour suppliant, il n'existe qu'à ce prix. Plus encore, il est repentir. Car « il a beau faire, il se lasse, il faiblit, il s'échappe ».*

[3] Ps. CXX.

[4] ROM., XI, 23 sqq. Ad quae Pauli verba rursus Augustinus: « Mirandum quidem « est, multumque mirandum, quod filiis suis quibusdam Deus quos regeneravit in « Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filios « alienis, scelera tanta dimittat, atque impertita gratia faciat filios suos. Quis hoc « non miretur? Quis hoc non vehementissime stupeat? Sed etiam illud non minus « mirum est, et tamen verum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiae « Dei, quomodo id negent valeant invenire, quod filios quosdam amicorum suorum, « hoc est regeneratorum bonorumque fidelium, sine Baptismo hinc parvulos exeun- « tes, quibus utique, si vellet, huius lavacri gratiam procrearet, in cuius potestate « sunt omnia, alienat a regno suo, quo parentes mittit illorum, et quosdam filios « inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, et per hoc lavacrum

* *La Vie créatrice. Esquisse d'une philosophie religieuse de la vie intérieure et de l'action.* – 1re Partie. *L'enquête humaine.* Ch. VI, *L'amour,* p. 182. – Paris. Gabriel Beauchesne, 1918.

Quomodo autem Dei gratia non actualiter tantum animam moveat, sed supernaturalibus, veluti sponsali ornatu et forti armatura, ditet habitibus, fusius in proximo tractatu *De Virtutibus*, si Deus dederit, illustrare conabimur.

Absolvebam in pago Wichelen apud Belgas, in festo S. Teresiae, anno 1920.

« introducit in regnum, a quo eorum parentes alieni sunt; cum et illis malum, « et istis bonum meritum nullum sit parvulis, ex eorum propria voluntate. Certe « hic iudicia Dei, quoniam iusta et alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. « In his est et illud de perseverantia,* de qua nunc disputamus. De utrisque ergo « exclamemus: *O altitudo,* etc. ».** Aliis verbis laudatus autor problema ponit; « Quaeritur, utrum velit Deus omnes homines salvos fieri; et, quia hoc negari non « potest, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur ».***

* Pulcherrime de hoc argumento scribit S. Bonaventura in opusculo *Stimuli amoris,* p. III, c. 13: *Quod tentatio de praedestinatione reprimi debet.* - Cf. de praedestinatione egregiam concionem Bourdalone (*Erat autem quidam homo*...).

** Op. cit., c. VIII, n. 18, col. 926 sqq.

*** *De voc. omn. gent.,* l. I, c. 1, n. 1. - *P. L.,* t. LI, col. 149.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS

ABAELARDUS. — Semipelagianismo infectus, 182; — adducitur, 537.

ABEL. — Cur Abelis oblatio Deo accepta? 482.

ABRAHAM. — Nominatur, 193; — lib. *De Abr.* citatur, 195; — ex Abr. S. Chrysostomus arguit, 197; — nominatur, 237; — arguitur ex eius merito, 468; — orat pro Sodomis, 489.

ACADEMICI. — Corripiuntur, 39, sq.

ACCIDENTALIS. — Quo sensu unio per gratiam producta dicenda sit accidentalis, 286, sq.

ACHTERFELD. — Hermesii assecla, 53.

ACTUALIS. — De supernaturali indole gratiae actualis, 157; — de eius necessitate, 219, sqq.; — quo sensu sit motio, 288, sq.; — gratia actualis iugiter influens non est idem ac gratia sanctificans, 298, sq.; — de distinctione inter gratiam actualem et habitualem, 345, sqq.

ADAM. — Liberum arbitrium non destructum per Adae peccatum, 60, 118, sq.; — de conditione Adami innocentis, 225; — qualis Adami iustitia originalis, 292; — confertur gratia Adamo cum gratia aliis hominibus collata, 360; — Adae nativitas opponitur nativitati Christi, 366; — gratia cumulatur, 404; — adducitur, 454, 531; — nominatur, 641.

ADIAPHORISTAE. — Nominantur, 60.

ADOPTIO. — Cf. *Filiatio.* — De discrimine inter adoptionem humanam et divinam, 274.

ADIUTORIUM. — Cf. *Auxilium.*

ADIUVANS. — De gratia excitante et adiuvante, 340, sqq. — Commendatur a S. Augustino, 379.

ADRIANUS I. — Nominatur, 73.

ADRIANUS VI. — Auctor distinctionis inter gratiam sufficientem et efficacem, 375.

ADRUMETINI. — Monachi Adr. mediati auctores Semipelagianismi, 50.

AEGIDIANA. — Schola Aeg. nominatur, 617.

AEGIDIUS (Romanus). — Cum laude citatur de motione divina discurrens, 567, 570, sq.; — mitiorem doctrinam exponit, 605, sq.; — Cum laude citatur, 662.

AEGYPTII. — Nominantur, 34.

AEMULATIO. — Partim bona, partim mala, 588.

AETIUS. — Nominatur, 460.

AFFECTIVUS. — De distinctione inter Dei amorem affectivum et effectivum, 140, sqq.

AGNOSTICI. — Infensi gratiae, 43.

AGNOSTICISMUS. — De agnosticismo Iansenistarum et modernistarum, 56.

ALANUS. — Nominatur, 60.

ALBANENSES. — Corripiuntur, 396.

ALBERTUS (Archidux). — Nominatur, 581.

ALBERTUS (Belgarum rex). — Nominatur, 258.

ALBERTUS (Magnus). — Nominatur, 255; — adducitur, 493; — citatur, 652.

ALDOBRANDINUS (Card.). — Nominatur, 583.

ALEMBERT (D'A.). — Adducitur, 105.

ALEXANDER DE HALES. — Commendatur, 7; nominatur, 255; — eius doctrina de gratia gratis data, 312; — adducitur, 493.

ALEXANDER VII. — Adducitur, 11; — damnat denuo propositiones Iansenii, 70.

ALEXANDER VIII. — Prop. 31 a Ianseniani parumper mitigatas damnat, 71; — citatur propos. ab eo damnata, 82; — adducitur, 122; — damnat propos. Iansenisticam, 521.

ALEXANDRINUS (Card.). — Nominatur, 580, sq.

ALOMBRADOS — Quietistarum genus, 461.

ALPHONSUS (S. A. Lig.). — Adducitur, 3, 9; — celebrat laudes Mariae, 359; — commendat orationem, 499; — Patronus Syncretici systematis, 621; — eius systema discutitur, et auctoritas commendatur, 656, sqq.

ALVAREZ (Balthasar, S. I.). — Nominatur, 384, 408.

ALVAREZ (Didacus). — Commendatur, 8; — reiicitur sententia Alv. de gratia uti qualitate mortua, 132; — dissentit a Lemos, 142; — adducitur, 384; — Impugnatur a Ioanne Gonzales, 574; — quas partes habuerit in Congreg. *de Auxiliis*, 577, sqq.; — citatur, 599, sqq.; — adducitur, 604.

AMBROSIANUS. — Ex hymno Ambr. arguitur, 501.

AMBROSIUS (S). — Bene arguit ex epist. ad Rom., 147; — pulchre describit vocationem ex gratia, 183; — egregie disserit de merito ex gratia, 190, sq.; — concordat cum S. Augustino, 191, 195; — citatur, 212, sq.; — adducitur, 236; citatur, 243; — adducitur, 279; — celebrat dignitatem B. M. V., 359; — pulcherrime describit medicinalem influxum gratiae Christi, 370; — liberum arbitrium proclamat, 520, sq.

AMELLI (Illmus Abbas Ambr.). — Cum laude adducitur, 509; — adducitur, 622.

AMOR. — De distinctione inter Dei amorem affectivum et effectivum, 140, sq.

AMOUR (Gul. de St Am.). — Nominatur, 69.

AMSDORFIUS. — Monstruosam Lutheri docrinam vindicat, 61, sq.

ANABAPTISTAE. — Nominantur, 60.

ANGELI. — De habitudine inter gratiam Angelorum et hominum, 22. sq.; — de naturali dilectione Ang., 143, sqq.; — quaenam gratia communis Angelis et hominibus, 350, sq.; — eorum elevatio adducitur, 447. sq.

ANGIOLINI (S. I.). — Citatur eius epistola, 630.

ANIMA. — Gratia ponit aliquid in ipsa anima, 271, sqq.; — ad modum qualitatis, 274, sqq.

ANTOINE. — Commendatur, 8; — adducitur, 300, 483.

ANSELMUS (S.). — Laudatur, 7; — proclamat necessitatem gratiae, 116; — vindicat liberum arbitrium in statu lapso, 118, sq.; — cum laude citatur, 131, 147; — nominatur, 187; — commendat humilem gratitudinem erga Deum, 260, sq.; — nominatur, 402; — confert opus iustificationis cum miraculo, 451; — nominatur, 523; — de S. Anselmi doctrina circa concordiam inter gratiam et liberum arbitrium, 536 sqq.; — citatur, 550; — adducitur, 554, 617, 634, 644.

ANTONIUS (S. Ant. Erem.). — Angustiis probatur, 37.

APOCALYPSIS (liber). — Citatur, 434.

AQUAVIVA (Claudius, Praep. gen. S. I.). — Commendat doctrinam de efficacia gratiae, 387; — nominatur, 581; — adducitur, 586; — famosum eius decretum citatur, 595.

ARAUSICANUM (Conc.). — Conc. Ar. II nominatur, 11; — citatur, 96, 121; — eius doctrina fuse exponitur, 171, sqq.; — citatur, 222; — proclamat donum perseverantiae, 232, 245; — inculcat gratiam operantem et cooperantem, 318; — adducitur, 340; — commendat efficacaciam gratiae, 378.

ARBITRIUM (liberum). — Non destructum per Adae peccatum, 60, 118, sq.; — doctrina de gratiae necessitate nullatenus obest libero arb., 267, sq.; — de libero arbitrio sub influxu gratiae, 322,

sq.; — de motibus liberi arbitrii ad iustificationem requisitis. 428, sqq.; — de concordia inter gratiam et liberum arbitrium, 513, sqq.

ARBOREUS. — Nominatur, 60.

ARELATENSIS (Syn.). — Nominatur, 59.

ARNALDUS (Ant.). — Nominatur, 58; — Iansenii comes et assecla, 71; — excedens Ant. sententia reiicitur, 133; — corripitur, 396; — nominatur, 608.

ARNOBIUS (iunior). — Nominatur, 59.

ARIMINIANI. — Nominantur, 63.

ARIMINIUS. — Semipelagiani erroris instaurator, 52; — nominatur, 64.

ARISTOTELICA. — Philosophia Ar. nominatur, 617.

ARRIGANI (Card.). — Praesidet primis sessionibus Congreg. *de Auxiliis*, 580.

ARRUBAL (S. I.). — Quid egerit in Congr. *de Auxiliis*, 581, sq.

ASCOLENSIS (Card.). — Nominatur, 584.

ASSUERUS. — Nominatur, 12.

ATHALIA. — Citantur versus ex Raciniano opere *Athalie*, 429, sq,

ATHANASIUS (S.). — Ex operibus gratiae demonstrat divinitatem Sp. S., 279.

ATHEI. — Corripiuntur, 41.

AUGMENTUM. — De merito augmenti gratiae, 495.

AUGUSTANA (Confessio). — Nominatur, 59, 281.

AUGUSTINIANA. — Schola Aug. non omnino idem docet ac schola Thomistica, 4; — nominatur, 75. — de excessu quodam huius scholaè, 113; — adducitur, 145; — censet gratiam actualem esse virtutem fluentem, 288; — Aug. systema laudatur, 536; — de gratia efficaci Augustiniana, 603; — systema Aug. exponitur, 616, sqq; — discutitur, 646, sqq.

AUGUSTINIANI. — Nominantur, 599, 618; — systema Aug. libertate gaudet, 622.

AUGUSTINIANISMUS. — Nominatur. 169, 586; — cf. Augustiniani.

AUGUSTINUS (Liber). — Nominatur, 70; — proscribitur ab Urbano VIII, 71; — nominatur, 77.

AUGUSTINUS (S. Aurel. A.). — Celebratur v, VIII, 4; — — Cum laude citatur, x, 5. — A. merita celebrat S. Prosper, 6. — Laudantur eius opera, 6, sq. — Laudatur a Petavio, 11. — Sensu latiori interdum gratiam accipit, 15. — Certat cum Pelagio nonnisi lato sensu gratiam admittente, 16, sq.; — citatur, 25; — quomodo describit systema Pelagii, 46; — urget Pelagium, 47, 48; — fatetur, se olim non fuisse ab errore Semipelag. ex toto immunem, 52; — Praedestinatianismus falso abutitur doctrina S. Augustini, 59; — A. falso a Iansenio explicatur, 68, sq.; de speciali auctoritate S. Aug. in argumento de gratia, 72, sqq.; — varii haeretici Augustino abutuntur, 74, sq.; — concordat cum S. Ioanne Chrysostomo, 77, sq.; — modeste de propriis scriptis iudicat, 79, sq.; — quo sensu doctrina Augustini doctrina Ecclesiae, 82; — citatur, 88; — pulchre loquitur de oculo mentis. 90; — citatur, 91; — citatur urgens necessitatem gratiae ctr. Pelagianos, 96, sq.; — Augustini et Platonis scripta inter se conferuntur, 106, sq.; voce Dei conversus, eamdem eloquenter describit, 110; — proclamat necessitatem gratiae ad agendum bonum, 115: — citatur, 121; — exponitur et ab excessu vindicatur doctrina S. Augustini circa valorem moralem operum absque gratia factorum, 122, sqq.; — pulchre describit geminam civitatem gemini amoris, terrenam terreni, caelestem caelestis, 136; — adducitur, 137; — bene arguit ex Platone, 147; — duplicem statum humanae naturae distinguit, 149, sq.; — nominatur, 153; — confutat falsam Pelagii distinctionem inter regnum caelorum et vitam aeternam, 155, sq.; — corripit Pelagium et Caelestinum, 166: — Molina recedit a mente S. Augustini, 169; — nominatur, 171, 173; — gratia ab ipso initio descernit, 181; — nominatnr, 186, sqq.; — de concordia inter doctrinam S. Augustini et

aliorum Patrum, 191, sqq.; — citatur pulcherrima S. Aug. sententia, 198; — conversio a peccato ad Deum est opus gratiae, 201, sqq.; — arguit ex Oratione Dominica, 207; — fortiter invehit in Pelagianorum impeccabilitatem, 210; — de impossibilitate omnia vitandi peccata bene disserit, 213; — citatur, 225; — nominatur, 226; — proclamat donum perseverantiae, 232, 240, sqq.; - subtiliter disserit de hoc dono in utroque statu integro et lapso, 251, sqq; — nominatur, 255, 263. — filiationem adoptivam et inhabitationem Sp. S. per gratiam commendat, 278; — celebrat in Christiano dignitatem templi Dei, 297; — nominatur, 300; — citatur pulchra Augustini oratio, 314; — Aug. doctrina de gratia operante et cooperante, 317, sqq.; — de gratia praeveniente et subsequente, 327, 331; — commendat gratiam praeparantem et adiuvantem, 341; — nominatur, 343, 345· — citatur, 344; — quid per delectationem a gratia causatam intelligat, 347; — gratiam Christi eloquenter celebrat, 351; — Christo viti adhaerendum, 352: — celebrat Sacramentum Corporis Christi, 354. — De Eucharistia Augustini doctrina vindicatur, 355; — praeclare scribit de Ecclesia sponsa Christi, 356, sq.; — pulcherrime commendat unionem membrorum cum Christo, 357, sq.; — proclamat praedestinationem Christi et nostram, 361; — medicinalem gratiam pulchre commendat, et Christum medicum nostrum eloquenter celebrat, 366, sqq.; — nominatur, 374; — ex Ecclesiae orationibus ostendit efficaciam gratiae, 377; — salva hominis libertate, 379, sqq.; — victricis gratiae argumentum, 381, sq.; commendat gratiam sufficientem, 382; — nominatur, 384; — commendatur S. Aug. doctrina a Benedicto XIII; — a Bellarmino, 387; — a Bossuetio, 388, sq.; — citatur, 390; — distinguit gratiam simpliciter et gratiam pro gratia 392; — citatur, 430; — commendat opera, 435; — adducitur, 452; — proclamat merita Sanctorum, 464, 470; — citatur eius pulchre dictum de amore, 481; — egrechre celebrat charitatem, 482, sq.; — A. conversio maternis precibus tribuitur, 490; — perseverantiam docet posse suppliciter emereri, 499; — adducitur, 503, 511; — commendat efficaciam gratiae, 515; — hominis liberum arbitrium, 517, sq., 521; — adducitur, 523; — de mente S. Aug. circa concordiam inter gratiam et liberum arbitrium, 524, sqq.; — adducitur, 537; — cum A. concordat S. Anselmus, 542; — adducitur, 555, 573, 575, 577, 583, 595. — Gonzales de Alveda ad A. provocat, 605; — item Gonzales a Leone, 607; — nominatur, 609; — exponitur systema a S. Aug. nuncupatum, 616; — nominatur, 617, 618; — adducitur, 625, sq.; — Aug. doctrina dissentit a Molinismo et Congruismo, 628; — non potest demonstrari ex Aug. praedeterminatio Thomistica, 632. — Adducitur, 634; — tractio quam tuetur, non est physice praedeterminans, 640; — citatur, 641; — adducitur, 642. — Aug. systema discutitur, 646, sqq. — Quo sensu aliqualem scientiam mediam admiserit, 652; — citatur, 656, 658; — commendat iustis humilitatem, 663; — celebrat altitudinem mysterii praedestinationis, 664, sq.

Auxilium. — De auxilio *quo* et *sine quo non*, 252, sqq., 398, sqq., 620.

Aventanus. — Nominatur, 579.

Avicenus. — Nominatur, 72.

Avitus (Vienn. Episc.). — Adducitur, 51.

Baianus. — Controversia B. nominantur, 160.

Baius. — Nominatur, 11, 59; — eius errores circa gratiam, 65, sq.; — exaggerat necessitatem gratiae, 117; — damnatae B. propositiones citantur, 119; — nominatur, 122; — negat distinctionem inter amorem naturalem et supernaturalem,

140; — nominatur, 145; — citatur B. propositio damnata, 147, sq.; — non recte sentit de iustificatione, 282, sq., 305; — damnatur B. propositio de merito, 475; — nominatur, 516, 577, 623.

Ballerini (S. I.). — Adducitur, 483.

Bancel. — Thomista mitior, 608.

Bannez (Mich. O. Pr.). — Rigidior Thomista, 3; — adducitur, 384; — cum laude citatur, 497, sq.; — dissentit a Capreolo, 571; — nominatur, 576; — quas partes habuerit in controversiis *de Auxiliis,* 576, sqq.; — nominatur, 596, 617, 628; — adducitur, 633.

Banneziani. — Absque ulla iniuria Thomistae rigidiores a B. ita nuncupantur, 3; — nominantur, 523.

Bannwart. — Enchir. Denzinger-B. adducitur, 56.

Baptisma. — Excellentia Baptismatis commendatur, 355; — radicitus delet originalem culpam, 370; — sacramentum iustificationis, 457, sq.; — S. Anselmus disserit de effectibus Baptismi, 542.

Bardenhewer. — Durius sentit de S. Augustino, 77.

Bardesanus. — Nominatur, 516.

Barnabas. — Epist. Barn. pulcherrime describit gratiam, 278.

Baronius (Card.). — Cum laude adducitur, 59; — severe iudicat *Concordiam* Molinae, 578; — Thomisticis principiis favet, 580.

Basilius (S. B. Magnus). — Laudatur, VIII, 7; — liturgia Alexandrina B. adducitur, 28; — proclamat legem naturae cordi humano insculptam, 117; — a Semipelagianismo vindicatur, 198, sq.; — pulchre describit gratiam, 278; — ex operationibus gratiae demonstrat divinitatem Sp. S., 279; — commendat efficaciam gratiae, 515; — cum laude citatur, 651.

Bastida (S. I.). — Nominatur, 583, sq.

Batiffol (Illmus). — Pulchre scribit de Ecclesia *Catholica;* — recentissimum ejus opus commendatur 662.

Bauduin (D. Lambertus B., O. S. B.). — Commendat excellentiam et realitatem corporis mystici Christi, 355; — mysterium hierarchiae Ecclesiae celebrat, 357.

Bavinck. — Citatur et corripitur, 61.

Bayle. — Calumniose S. Augustino opponit S. Ioannem Chrysostomum 77.

Becanus. — Adducitur, 483; — a Bellarmino affertur, 626.

Beccarius (O. Pr.). — Nominatur, 581.

Beckx (Praep. gen. S. I.). — Antiquatum declarat decretum Claudii Aquavivae, 387; — adducitur, 595.

Beda (Vener.). — Adducitur, 11.

Begardi. — Nominantur, 460.

Beguinae. — Nominantur, 460.

Bellarminus (Card.). — Commendatur, 8; — Augustini laudator, 59; — adducitur, 142, 255; — cum laude citatur, 280, sq.; — optime vindicat iustificationem internam, 281; — adducitur, 300; — cum Aquinate sentit de gratia operante et cooperante, 315, sq.; — vindicat excellentiam gratiae efficacis, 387, 403; — adducitur, 483, 493; — nominatur, 574; — quas partes habuerit in controversia *de Auxiliis,* 577, sqq.; — tuetur gratiam efficacem ex divino proposito, 584; — nominatur, 588; — confutat scientiam mediam, 592; — iudicat sententiam Molinisticam, Thomisticam et Augustinianam, 621, sqq.; — quomodo explicet censuratam propositionem Molinae, 624, sq.; — adducitur, 627, sq., 633; — quid censeat de praedeterminismo Thomistico, 635; — laudatur, 646.

Bellelli (Fulgentius). — Adducitur, 617.

Benedictus XIII. — Vindicat scholam Thomisticam ab adversariorum calumniis, 385; — nominatur, 586.

Benedictus XIV. — Proclamat triplicis scholae libertatem, 622, sq., 629.

Benedictus XV. — Laudatur, 4; — eloquenter commendat orationis spritum praeconibus Evangelii, 258, sq.; — virtutum exemplis commendent quae prae-

dicant, 330; — nominatur, 508; — citatur Ordinis S. Dominici merita celebrans, 633.

Benedictus (S. B. Monach. Patr.). — Cebrat dulcedinem progressionis christianae, 37; — adducitur, 51; — citatur, 96, 110; — triplici sententia pulcherrime condensat doctrinam de gratia, 198; — commendat publicam recitationem orationis Dominicae, 211; — necnon donum perseverantiae, 245; — Semipelagianismo infensus et Augustino addictus, 256, sq.; — humilitatem commendat, 264; — pulchre describit gratiam, 277; — de visione mortis S. B., 496; — adducitur oratio post votorum emissionem iuxta S. Ben. Regulam cantanda, 502; — adducitur, 502.

Berengarius. — Abutitur August., 71, sq.

Bergier. — Cum laude citatur, 35, sq.

Bernardus (de Gannato). — Citatur, 567, sqq.

Bernardus (S.). — Laudatur, 7; — proclamat necessitatem gratiae, 116; — pulchre disserit de aeternae vitae merito, 154; — nominatur, 186, sq.; — distinguit inter gratiam excitantem, sanantem, roborantem, servantem, 319; — inter gratiam quae dat cogitare, velle et perficere, 327, sq.; — commendat gratiam excitantem et adiuvantem, 342; — adducitur, 463; — celebrat celsitudinem divinae mercedis, 476; — pulchre eius dictum affertur, 518; — nominatur, 523; — de mente S. Bern. quoad concordiam inter gratiam et liberum arbitrium, 543, sqq.; — adducitur, 634.

Bernerius (Card.). — Nominatur, 581.

Bertholdus. — Nominatur, 60.

Berti (Laur.). — Excedit in exponenda quadam sententia S. Augustini, 123; — adducitur, 145, 617.

Bethsaida. — Chr. invehit in Beths., 519.

Billot (Card. B. S. I.). — Bene disserit de fundamentali quaestione circa gratiam, 4, sq.; — adducitur, 9; — bene confert inter se Pelagianos et Stoicos, 39; — bene scribit de libero arbitrio Pelagiano, 46; — cum laude adducitur, 87; — bene exponit necessitatem gratiae, 99, sq.; — egregie condensat doctrinam de lapsi hominis capacitate operandi bonum, 151, sq.; — cum laude adducitur, 180; — cum laude citatur, 207; — bene disserit de impotentia vitandi omnia peccata, 217, sq.; — optime compendiat donum perseverantiae, 246; — cum laude adducitur, 250, 255; — adducitur, 289; — bene condensat doctrinam de gratiae essentia et subiecto, 305; — bene explicat mentem S. Th. de gratia operante et cooperante, 316; — gratiam increatam et creatam egregie commendat, 349, sq.; — censet, nullam gratiam dari nisi per I. Chr., 373; — negat omnino gratiam supernaturalem quoad modum, 373; — probatur eis sententia de augmento charitatis, 498; — bene loquitur de perseverantia oratione impetranda, 499; — cum laude citatur, 596; — nominatur, 597, 604; — adducitur, 628; — quid censeat de praedeterminismo Thomistico, 636; — laudatur, 646; — agnoscit altitudinem problematis de gratia, 655.

Billuart. — Adducitur, 8; — triplex stadium distinguit in controversia Pelagiana, 48; — dissentit a Thomassino et Tournely, ibid.; — adducitur, 66, 168; — bene arguit de gratia interna, 284; — bene disserit de habitudine gratiae ad virtutem, 299, sq.; — adducitur, 488; — contendit, Molinismum et Congruismum inter se non essentialiter differre, 594.

Bitremieux. — Cum laude adducitur, 137.

Blondel. — Nominatur, 44.

Blosius (Vener.). — Commendat gratum humilemque animum erga Deum, 262; — gratiae Dei non est impatienter praevenienda, 331.

Bonaventura (S.). — Commendatur, 7; — adducitur, 117; — bene interpretatur

mentem S. Augustini, 123, 128; — pulcherrime disserit de supernaturali excellentia gratiae, 162, sq.; — egregie tractat de praeparatione ad gratiam, 186, sq.; — nominatur, 224; — pulchre disserit de gratia, dono creato, 285; — quid censeat de habitudine gratiae ad virtutem, 300; — doctrina S. Bon. de gratia gratum faciente et gratis data, 309, sq.: — bene disserit de gratiae infusione et distinctione, 399; — pulchre describit iustificationem impii, 430, sq.; — exhibetur eius doctrina de merito, 475; — adducitur, 493, 523; — de mente S. Bonaventurae circa concordiam inter gratiam et liberum arbitrium, 554, sqq.; — adducitur, 634; — nominatur, 635; — citatur, 660; — pulchre scribit de praedestinatione, 665.

Bonifacius I. — Pelagianam haeresim damnat, 48; — nominatur, 81.

Bonifacius II. — Adducitur, 51; — nominatur, 73; — confirmat Conc. Arausicanum II, 175.

Bonum. — Ad quodnam bonum valeat homo gratia destitutus, 119, sqq.; — et gratia ornatus sine nova gratia, 219, sqq.

Bossuetius. — Adducitur, 8, sqq.; — defendit S. Augustinum, 50; — eum laudat, 52; — quatuor stadia distinguit in mentis Augustini evolutione, ibid.; — laudes celebrat S. Augustini, 75; — pulchre disserit de debilitate humanae rationis, 101; — adducitur, 117; — eloquenter depingit statum hominis in peccatum proclivis, 136; — adducitur, 147, 181; — Origenem non aliter sensisse ac Augustinum ostendit, 183; — ex orationibus Ecclesiae confutat Semipelagianos, 188; — adducitur, 190, 205; — fortiter evolvit miseriam praesentis status hominis, 214, sq.; — commendat humilem peccatorum confessionem, 218; — adducitur, 229; — profunde scribit de dono perseverantiae, 248; — necnon de praedestinatione, 255, sq.; — adducitur, 281; — pulchre describit gratiam, 284; — egregie illustrat quo modo Deum praeveniamus et a Deo praeveniamur, 330, sq.; — celebrat munus altissimum B. M. V., 360; — eloquenter ostendit efficaciam gratiae ex orationibus Ecclesiae, 377; — invehit in Richardum Simonem, 386; — commendat modum loquendi S. Augustini de efficacia gratiae, 388, sq.; — vehementer impugnat Quietismum ipsumque Fenelonium, 461; — exponitur eius sententia de systemate Thomistico, 616, sqq.; — confertur cum Fenelonio, 652.

Bougaud (Illmus). — Adducitur, 374.

Bouquillon (Thom.). — Adducitur, 9.

Bourdaloue. — Temeritatem peccatorum poenitentiam differentium eloquenter describit, 204, sq.; — cum laude adducitur, 229; — eloquenter tractat de dono perseverantiae, 248, sq.; — de gratiis externis et internis, 337.

Bovius (O. Carm.). — Resistit damnationi Molinae, 580, 584.

Braun. — Hermesii assecla, 53.

Bradwardinus. — Antesignanus Wiclefi, 59; — praedeterminismo addictus, 575.

Brentius. — Nominatur, 60.

Breviloquium. — S. Bonaventurae *Brevil.* commendatur, VIII, 7; — citatur pluries.

Brisson. — Cum laude citatur, 479.

Brom (G.). — Adducitur, 69.

Brueck. — Adducitur, 64.

Bucerus. — Exaggerat certitudinem gratiae, 411.

Budhisticus. — Spiritualismus B. pessimismo pervaditur, 39,

Butler (Illmus Abbas C. B.). — Adducitur, 245.

Caelestiniani. — Nominantur, 11, 46.

Caelestinus I. — Nominatur, 11; — adducitur, 51; — declarat S. Augustini doctrinam cum quadam libertate accipiendam, 80; — nominatur, 169, 182; proclamat donum perseverantiae, 232, 246; — Cum laude citatur, 651.

CAELESTIUS (Pelagian.). — Nominatur, 48; — corripitur ab Augustino, 160.

CAESARIUS (S. Ep. Arel.). — Adducitur, 51, 172.

CAIETANUS (Card.). — Laudatur, 8; — adducitur, 88, 142; — citatur, 186; — adducitur, 493, 498; — cum laude citatur, 576; — agnoscit mysterium in concordia inter gratiam et liberum arbitrium, 654.

CAINITAE. — Nominantur, 460.

CAINUS. — Cur C. oblatio a Deo reiecta, 482.

CALVINUS. — De Calvini erroribus circa gratiam, 59, sq.; — abutitur Augustino, 75; — exaggerat necessitatem gratiae, 117; — docet iustificationem amitti non posse, 205; — Calv. praesumptio de perseverantia, 246; — negat internam sanctificationem, 281, 298, 305; — contendit voluntatem sub gratia se habere mere passive, 378; — fatetur se habere traditionem sibi contrariam, 379; — male interpretatur S. Augustin., 390; — meritum impugnat, 459, sq.; — fatetur se habere plerosque Patres sibi contrarios, 518; — docet reprobationem antecedentem ad praevisa demerita, 523; — nominatur, 523, 622, 627, 649, 652.

CALVINISMUS. — Nominatur, 583, sq.

CALVINISTAE. — Negant liberum arbitrium, 516; — nominantur, 627, 635.

CAMPIAN (Edm.). — Nominatur, 60.

CANISIUS (B. Petr. C. S. I.). — Nominatur, 60.

CANTICUM (Canticorum). — Applicatur B. M. V., 259; — insinuat gratiae tractionem, 324.

CASINI. — Laudatur, 8.

CASSIANUS. — Quousque Semipelagianus, 50, sq.; — pulchra C. sententia citatur, 111; — Collationes C. adducuntur, 164, sqq.; — nominatur, 171; — corripitur a Conc. Arausicano II, 173; — nominatur, 580.

CASSIODORUS. — Adducitur, 51; — celebrat laudes S. Augustini, 74; — pulchrum eius carmen citatur, 509.

CASTRO (Alph. de C.). — Nominatur, 60.

CATECHISMUS (Romanus). — Pulcherrime describit gratiam, 283; — citatur, 632.

CATHERINUS. — Nominatur, 60.

CATHOLICISMUS. — Magnum Catholicismi meritum est mysteria servasse integra, 105.

CAVALLANI. — Adducitur, 56.

CANUS (Melchior). — Nominatur, 60; — nimio zelo ducitur, 576.

CAPREOLUS. — Thomista insignis, Bannezio minus rigidus, 3; — laudatur, 7; nominatur, 10; — citatur disserens de motione divina, 571; — dissentit a Bannezio, ibid.; — adducitur, 651.

CARBONE. — Adducitur, 58.

CARETIUS. — Nominatur, 60.

CARONEL (O. S. A.). — Damnabiles propositiones Molinae redigit, 580.

CARPOCRATIANI. — Nominantur, 460.

CARTHAGINIENSIS (Conc. C.). — Concilium C. nominatur, 11, 73 sq.; — citatur, 95; 208, sq.; — proclamat donum perseverantiae, 232.

CHALEMBERT (D. de Ch.). — Adducitur, 9.

CHARITAS. — Probabilius distincta ab ipsa gratia sanctificante, 299, sqq.; — charitas meritorum principium, 480.

CHAUMONT (H.). — Adducitur, 33.

CHEFFONTAINES. — Nominatur, 60.

CHERIMON (Abbas). — Nominatur, 50.

CHRISTIANUS. — De Christiani dignitate, 31, sq., 278, sq.; — non in se ipso, sed in Deo confidendum Christiano, 262 sq.; — Christianus templum Dei, 296.

CHRISTUS. — Redemptor celebratur, 12, sq.; — Chr. colloquium cum Nicodemo, 20; — Chr. humani generis instaurator et caput, 23, sq.; — Chr. mediator totius ordinis supernaturalis, 29; — utrum omnis gratiae sint gratiae Christi, 110; de revelatione gratias agit Patri, 102; — ex Christi verbis arguitur, 121; — quid censendum de pacto Patrem inter et Christum a Molina inducto, 188, sq.;

— commendatur unio cum oratione Christi, 227, sq.; — Chr. nos docet rogare perseverantiam, 234; — Christus donum Dei, 259; — Christo regi a Domino omnia in holocaustum offerenda, 266, sq.; — Christus Magister divinus, 270; — Christus per Sp. S. in anima formatur, 278; — Christiani iustitia non est mera imputata iustitia Christi, 281; — Christus simul gratia increata et creata, 348, sq.; — de gratia Dei et gratia Christi, 350, sqq.; — Christus divinus noster medicus, 386; — modo suo loquendi Christus demonstrat dari gratiam efficacem, 376, 389; — Chr. merita celebrantur, 460, 478, sq,; — celebratur Eucharistica unio Chr. cum membris suis, 479; — Chr. interrogat Petrum de eius dilectione, 482; — de virtute orationis Chr., 489; — cur Iudam in apostolum elegerit, 489; — Chr. vigilantiam et orationem commendat, 502; — arguitur ex Chr. oratione in monte, 506; — Chr. summum praedestinationis exemplar, 511; — invehit in Corozain et Bethsaida, 518.

Cicero. — Corripitur, 4; — citatur virtutem hominis non Deo sed homini tribuens, 39, sq.

Ciccotti Scozzese. — Corripitur, 41.

Claudius (Taurin.). — Nominatur, 74.

Clemens I (S.). — Citatur, 94.

Clemens IV. — Nominatur, VIII.

Clemens V. — Adducitur, 278.

Clemens VIII. — Laudat S. Augustinum, 73, 80; — nominatur, 142; — quid egerit in controversia *de Auxiliis*, 577, sqq.; — nominatur, 624.

Clemens XI. —Adducitur, 11; — damnat doctrinam Quesnelli, 71, 133.

Clemens XII. — Proclamat libertatem scholarum a Thomistica dissidentium, 385; — citatur, 586.

Clericus a Belliberone. — Adducitur, 8.

Clictovaeus. — Nominatur, 60.

Cobos (S. I.). — Quid egerit in Congr. *de Auxiliis*, 581, sq.

Cochlaeus. — Citatur, 59; — nominatur, 60.

Coimbricensis (Universitas). — Nominatur, 577.

Collator. — Nominatur, 50, 72, 81, 176.

Collet. — Adducitur, 260.

Colonna. — Cf. Ægidius Romanus.

Conceptio (Immac.). — Adducitur, 633.

Concomitans. — De gratia concomitante, 325, sq.

Concordia. — De conc. inter S. Augustinum et alios Patres circa gratiam, 191, sqq.; — dissertatio finalis de concordia inter gratiam et liberum arbitrium, 513, sqq.; — de mente S. Augustini, 524, sq.; — S. Anselmi, 536, sq.; — S. Bernardi, 543, sqq.; — S. Bonaventurae, 551, sqq.; — S. Thomae, 560, sqq.

Concordia (liber). — Liber C. Molinae adducitur, 534.

Condignum. — De merito ex *condigno*, 467, sqq.

Confirmatio. — Quid intersit inter donum perseverantiae et confirmat. in gratia, 250, sq.

Confirmation. — Citatur auctoris opus cui titulus *La Confirmation*, 303, 334.

Congregatio. — Congr. *de Auxiliis* S. Augustini doctrinam prae oculis tenet, 73, 80; — nominatur, 75, 523; — notula historica de Congr. *de Auxiliis*, 576, sqq.

Congruistae. — Nominantur, 622.

Congruismus. — Molinismum mitigat, 586; — exponitur, 592, sqq.; — discutitur, 627, sqq.; — differt ab Augustinianismo, 651, sq.

Congruum. — De merito ex *congruo*, 467, sqq., 488.

Cooperans. — De gratia operante et cooperante, 313, sqq.

Constantiense (Conc.). — Damnat excessus Wiclefi et Hussii, 118.

Contemplatio. — De nexu inter meditationem et contemplationem, 228; — animae pie contemplanti splendor naturae est veluti gratia externa, 338, sqq.

CORNEILLE (Petrus). — Citatur perpulchrum Corn. carmen in honorem B. M. V., 360.

COROZAIN. — Chr. invehit in Cor., 519.

CORPUS. — De corpore mystico Christi, 24, sqq.; — eius excellentia commendatur, 352, sqq.

COR (SS. C. I.). — Excellentia devotionis erga SS. Cor. Iesu celebratur, 374.

CORSINIANA. — Bibliotheca Cors. nominatur, 624.

COUSIN (Victor). — Pulchre scribit de Deo, 44.

CREATA. — De distinctione inter gratiam creatam et increatam, 348, sqq.

CREMERS (V. Cr. S. I.). — Cum laude citatur, 296.

CROMER. — Nominatur, 60.

CRYPTOCALVINISTAE. — Nominantur, 63.

CURIEL (O. S. B.). — Resistit damnationi Molinae, 578.

CYPRIANUS (S.). — A S. Augustino celebratur, 80; — cum laude citatur, 180; cum S. Augustino concordat, 191, 195; — cum laude citatur, 209, sq.; — adducitur, 236; — commendat donum perseverantiae, 239, sq.; — cum laude adducitur, 377; — commendat efficaciam gratiae, 515; — a S. Augustino laudatur, 525.

CYRANUS (Abbas S. Cyr.). — Cf. Du Vergier de Hauranne.

CYRILLUS (S. C. Alex.). — Pulchre loquitur de illuminante Verbo, 91; — de operationibus gratiae, 278, sqq.; — ad modum qualitatis, 283; — cum laude citatur, 651.

CYRILLUS (S. C. Hieros.). — Eius doctrina de gratia explicatur, 192; — realitatem praesentiae eucharisticae fortiter inculcat, 290.

DAMASCENUS (S.). — Adducitur, 644.

DANIEL (Proph.). — Citatur pulcherrima Dan. oratio, 489.

D'ANNUNZIO (Gabriel). — Ob neo-paganismum corripitur, 42.

DAVID (S. Rex D.). — Ex Dav. oratione arguitur, 113, 237; — necnon ex eius poenitentia, 500; — adducitur in exemplum, 504.

DE BAETS (Rm̃us Maur.). — Cum laude citatur, X, 1; — adducitur, 9, sq.; — pulchre celebrat opus Incarnationis, 20; — adducitur, 30; — commendatur eius sententia de praedestinatione, 255; — bene confert inter se substantialem participationem divinitatis in Christo et nostram per gratiam, 294; — adducitur, 319; — bene describit gratiam habitualem et actualem, 345; — vindicat speciale beneficium gratiae efficacis, 886, sq., 389, sq.; — cum laude citatur, 408; — reiicit praedeterminismum Thomisticum, 637, sqq.; — cum laude citatur, 654.

DECHAMPS (S. I.). — S. Augustinum laudat, 59; — adducitur, 67.

DECHAMPS (Card.). — Commendat efficaciam humilitatis B. M. V., 257; — adducitur, 359.

DE CHÊNE (I. B.). — Adducitur, 66.

DEDICATIO. — Liturgia Dedicationis significat spiritualem dignitatem Christiani uti templi Dei, 296.

DEIPARA. — Cf. B. M. V.

DEISTAE. — Gratiae infensi, 42.

DELECTATIO (victrix). — Qualis ab Augustino intenditur, 532, — recte de indeliberata delectatione scribit Fenelonius, 532, sq.; — exponitur Augustiniana delectatio victrix, 619; — qualis sit in sententia S. Aug. intelligenda, 649, sq.

DEL PRADO. — Adducitur, 9, 587.

DE MEYER (Albertus). — Adducitur, 10, 56; — cum laude citatur, 56; — nimis mite iudicat Iansenismum, 67, sq.; — adducitur, 69; — durius iudicium de S. Augustino affert, 77; — affertur eius iudicium de opere Molinae, 579; — de bulla a Paulo V praeparata, 585.

DE MEYER (Livinus). — Adducitur, 574, 576.

DENIFLE (O. Pr.). — Citatur, 460, sq.

Denziger (Enchirid.). — Adducitur, 54.
De Sainctes (Claudius de S.). — Nominatur, 60.
De San (S. I.). — Commendatur, 387; — cum laude adducitur, 573.
Desclée (Henricus). — Cum laude citatur, 663.
Desirant (Bern.). — Adducitur, 71.
Destructio. — De gratiae destructione per peccatum, 398.
Deus. — De gratia Dei et gratia Christi, 350, sqq.
De Wulf. — Adducitur, 56.
Didachè. — Commendat unitatem corporis Christi, 354.
Dilectio. — De capacitate hominis diligendi Deum super omnia, 139, sqq.
Dionysius Alexandrinus. — Adducitur, 27.
Diospolitana (Synodus). — Adducitur, 16, 209.
Dissensus. — Nullus dissensus inter fidem et scientiam, 56.
Distributio. — Propositiones de distributione gratiarum, 662, sq.
Divisio. — De praecipuis gratiae divisionibus, 306, sqq.
Döllinger. — Adducitur, 40.
Dominicani. — Quas partes habuerint in controversiis *de Auxiliis,* 580, sqq.
Dominicus (S. D.). — Nominatur, 3; — S. Dom. familia laudatur, 4: — nominatur, 385, 576, 588, 617.
Dona. — Quomodo se habeant dona Sp. S. ad gratiam, 303; — de supernaturali activitate animae sub influxu donorum Sp. S., 322, sq.; — dona Sp. S. habent respectum specialem ad gratiam medicinalem, 370.
Driedo. — Adducitur, 8; — Nominatur, 60.
Duacensis (Universitas). — Adducitur, 255, 577.
Du Mas (H.). — Adducitur, 69.
Dummermuth (O. Pr.). — Commendatur. 3, 10; — citatur, 408, 578; — adducitur, 587.
Durandus. — Erravit circa motionem divinam, 4; — excedens D. sententia affertur, 89; — errat de motione divina, 575, 628.
Du Vergier de Hauranne (Abb. S. Cyr.). — Nominatur, 68, sq.
Du Vivier (Franc.). — Adducitur, 69.

Ecclesia. — Eccl. Christi Sponsa, 24, sq., 357; — a Lege figuratur, 26; — manifesta pulchritudo Ecclesiae suadet ordinem supernaturalem, 36; — S. Augustini doctrinam maximi facit, 80; — arguitur ex Ecclesiae orationibus, 94, sq., 115; — Eccl. est summe benefica erga humanum consortium, 135; — orationibus Eccl. confutatur error Pelagianorum, 152, necnon Semipelagianorum, 181, 188; — gratus erga Deum animus commendatur. 261; — Ecclesia sapiens medicus, 270; — magnum est Ecclesiae meritum quod doctrinam teneat obviam et veram, 290, sq.; — Ecclesia orationibus commendat gratiam medicinalem, 369; — necnon primitias diei sacrandas, 496; — celebrantur merita Ecclesiae de humana libertate, 521, sq.
Ecclesiasticus. — Proclamat hominis liberum arbitrium, 517.
Echardus. — Laudat Gonzalem a Leone, 607.
Eckius. — Nominatur, 60.
Effectivus. — De distinctione inter amorem Dei affectivum et effectivum, 140, sqq.
Effectus. — De effectibus gratiae, 416, sqq.
Efficax. — De gratia sufficienti et efficaci, 375, sqq., 513, sqq.
Einig. — Adducitur, 9.
Elevans. — De gratia elevante et medicinali, 325, sqq.
Elevatio. — Pelagius negabat internam elevationem per gratiam, 160: — de necessitate gratiae formaliter ut elevantis, 153, sqq., 220.
Elias. — Curationum charismate fulget, 334.

Elisabeth (Mater Praecurs.). — Nominatur, 212.
Elisaeus. — Curationum charismate fulget, 334.
Ephesii. — Citatur epistola Pauli ad Eph., 20.
Ephesinum (Conc.). — Nominatur, 48.
Ephrem (S. E. Eccl. Doctor). — Pulchre scribit de gratia, 184.
Epictetus. — Laudatur, 39.
Epicurei. — Corripiuntur, 32, 42.
Epicurus. — De Ep. materialismo, 41; — nominatur, 105.
Epilogus, 663.
Episcopius. — Nominatur, 64.
Error. — De praecipuis erroribus circa gratiam, 38, sqq.
Ernst (I.). — Adducitur, 128.
Esau. — Nominatur, 390.
Espence (Claudius d'E.). — Nominatur, 60.
Essentia, — De gratiae essentia, 271, sqq.; — de animae essentia uti gratiae subiecto, 303, sqq.
Esther. — Nominatur, 12; — ex eius historia arguitur, 375; — figura B. M. V., 504.
Estius. — Commendatur, 8; — adducitur, 300.
Ethnici. — Quomodo erraverint circa gratiam, 38; — de valore morali operum ethnicorum, 118, sqq., 152; — vindicatur ab excessu doctrina S. Augustini, 122, sqq.
Eucharistia. — Cur ita vocetur, 14; — cur a Christo instituta, 33; — Sacramentum corporis realis et mystici Christi, 353, sq.; — eius excellentia commendatur, 396; — celebratur unio cum Christo per Euch. producta, 479.
Eucherius. — Adducitur, 51.
Eunomius. — Nominatur, 460.
Eusebius (Cremon.). — S. Augustini laudem canit, 74.
Eva. — Minori gratia praedita quam Adam, 404; — nominatur, 641.
Evolutionistae. — Gratiae inimici, 42.
Excellentia. — Exponitur et commendatur gratiae excellentia, IX sq., 19, sqq., 156, sqq.
Excitans. — De gratia excitante et adiuvante, 340, sqq.
Externa. — De gratia interna et externa, 337, sqq.
Ezechiel. — Arguitur ex Ezechiele, 118, 509.

Faure. — Adducitur, 9, 164.
Faustus (Rhegiensis). — Quousque Semipelagianus, 51; — nominatur, 164, 171, 176, 580.
Fede e Vita (Ephemer.). — Citatur, 57.
Felix IV. — Adducitur, 51; — nominatur, 73.
Fenelonius. — Adducitur, 8; — eleganter disserit de potentia rationis, 101; 103, sq., — mentis humilitatem eloquenter commendat, 109; — exponit et confutat systema Malebranchii de oeconomia praedestinationis et gratiarum, 362, sqq.; proclamat efficaciam gratiae, 376, sq.; — bene disserit de voluntate salvifica, 383, sq.; — de operationibus gratiae, 388; — citatur eius interpretatio auxilii *quo* et *sine quo non*, 391; — damnatus uti in Quietismum nimis proclivis, humillime se subiicit, 461; — pulchre scribit de spe in Deo reponenda, 503; — adducitur, 523; — bene scribit de delectatione indeliberata, 532, sq.; — recte iudicat de mente S. Augustini, 533; — pulchre scribit de praedestinatione, 553; — impugnat sensum compositum et divisum rigidiorum Thomistarum, 639; — cum laude citatur, 647, sqq.; — confertur cum Bossuetio, 652.
Ferrariensis. — Commendatur, 8; — cum laude citatur, 140, 162; — citatur de motione divina, 564.
Ferreira (Barthol. O. Pr.). — Nominatur, 577.
Fides. — De fide Lutherana, 60, sq.; — Semipelagiani errant circa initium fi-

dei, 163, sqq.; — de fidei motu ad iustificationem requisito, 432, sqq.

FIDUCIA. — In Deo, non in homine reponenda, 262, sq., 267.

FILIATIO. — Commendatur excellentia divinae filiationis, 26, sqq.; 157, 277.

FISHER (Bast. Card.). — Nominatur, 60.

FLACCUS (Illyricus). — Calvinista rigidior, 60; — negat iustificationem intrinsecam, 281.

FLAGELLANTES. — Nominantur, 460.

FLUENS. — Gratia actualis, virtus fluens, 288, sq.

FOCH. — Orationem commendat, 258.

FONSECA (Petrus). — — Adducitur, 589.

FONTAINE (Iac. S. I.). — Adducitur, 71.

FRANCISCUS (de Aravio). — Mitior Thomista, 574.

FRANCISCUS (S. Fr. Assis.). — Nominatur, 617.

FRANCISCUS (S. Franc. Sales.). — Adducitur 3, 8; — eleganti comparatione illustrat ordinem praedestinationis, 28; — excellentiam gratiae pulchre celebrat, 33; — sapientiam christianam philosophiae stoicae opponit, 40; — egregie loquitur de amore Dei affectivo et effectivo, 140: — pulchre scribit de oratione, 228; — in exemplum adducitur fiduciae in Deum reponendae, 259, sq.; — eleganter inter se confert Mariam et Martham, 260; — commendat fiduciam in Deo et diffidentiam a seipso, 267: — adducitur belle eius dictum, 469; — suadet Paulo V controversiam *de Auxiliis* pacifice componendam, 585; — in systema Molinianum proclivis, 590, sq.; — laudativam epistolam Lessio mittit, 591; — laudatur a Pio IX ob pacificam compositionem controversiae *de Auxiliis*, 591; — citatur pars eius epistolae ad Paulum V, 591; — eius mens explicatur, 592.

FRANGIPANI (Nuntius). — Nominatur, 577.

FRANZELIN (Card. Fr. S. I.). — Commendatur, 3; — censet, praedestinationem antecedentem ad praevisa merita involvere et reprobationem antecedentem ad praevisa demerita, 523; — nominatur, 596.

FRASSEN (Claudius). — Adducitur, 8, 74, 89, 188.

FRINS (S. I.). — Adducitur, 10, 587.

FROHSCHAMMER. — Corripitur, 34.

FULGENTIUS (S.). — Laudatur, 7; — adducitur, 51, 74; — proclamat necessitatem gratiae, 115, sq.; — adducitur, 51; — citatur, 146; — adducitur, 164, 176; — — illustrat gratiam praevenientem, concomitantem et subsequentem, 327; — celebrat celsitudinem divinae mercedis, 476, sq.

FUENTE (Vic. de la F.). Adducitur, 461.

GABRIEL (Archang.). — B. M. V. salutat, 12, sq.

GALLENUS. — G. sententia affertur, 91, sq.

GALLICANUS. — Gall. cleri propositiones adducuntur, 189.

GARDINER. — Nominatur, 60.

GARNIER (S. I.). — S. Augustini laudator, 59; — bene describit gradationem in operibus S. Augustini, 79.

GARRIGOU-LAGRANGE (O. Pr.). — Adducitur, 10, 56; — cum laude citatur, 596, 628.

GASQUET (Card.). — Celebrat studium S. Scripturae, XII; — eleganter commendat orationem, 229.

GAY (Illm̃us). — Adducitur, 9; — cum laude citatur, 14, sq., 24, sq.; — adducitur, 279; — bene describit specialissimam praesentiam Dei in anima per gratiam, 295; — pulchre scribit de Christo Dei dono, 348, sq.

GAZZANIGA. — Adducitur, 9.

GELASIUS. — Pelagianismum et Semipelagianismum damnat, 171; — adducitur, 176.

GENEBRARD. — Nominatur, 60.

GENESIS. — De Genesi arguitur, 120.

GENNADIUS. — Non recte loquitur in re Semipelagiana, 51; — auctor libri de *Ecclesiasticis dogmatibus* (?), 168.

GENTILES. — Cf. Ethnici.
GERBERON (Gabr.). — Adducitur, 66, 69,
GERDIL (Card.). — Cum laude citatur, 1; — adducitur, 9; — eloquenter deponit calumniam Bayle, 77, sq.; — laudat doctrinam S. Augustini uti doctrinam Ecclesiae, 81.
GERMANI. — Nominantur, 34.
GERMANIA. — Protestantes in G. passim de gratia pelagianistice sentiunt, 55.
GERMONIUS (Anastasius). — Nominatur, 591.
GERTRUDES (S.). — Laudatur, 7.
GIOBERTI. — Eloquenter celebrat necessitatem mysteriorum, 106.
GIOTTO. — Adducitur, 112.
GLORIATIO. — Non nisi in Deo gloriandum, 260, sq.
GLOSSNER, — Adducitur, 6.
GNOSTICI. — Nominantur, 460.
GODEFRIDUS. — Adducitur, 567.
GOETHE. — Bene iudicat perfidiam scholae Iansenisticae, 67.
GOMARISTAE. — Nominantur, 63, sq.
GONETUS. — Benignior erga Semipelagianos, 168; — adducitur, 483.
GONZALES DE ALVEDA (Ioann. sive Albelda vel Albeda). — Mitior Thomista, adducitur, 385, 523; — impugnat Alvarez et Lemos, 574; — citatur naturam gratiae efficacis illustrans, 604 sq.; — nominatur, 607; — laudatur, 608; — laudatur, 646.
GONZALES (Ioannes G. a Leone). — Mitior Thomista cum laude citatur, 607.
GOTTESCHALCUS. — Nominatur, 11; — instaurator praedestinatianismi, 59; — adducitur, 537.
GOTTI. — Adducitur, 483.
GOUDIN. — Adducitur, 168; — exponit sensum compositum et divisum, 600; — quo sensu gratia sufficiens, 601; — citatur, 638.
GRADUS. — De gradu gratiarum, 404, sqq.
GRAECI. — Nominantur, 34.
GRANADOS. — Adducitur, 8.
GRATIA. — Excellentia gratiae commendatur IX; tractatus de gratia maxime arduus, 1 sq.; — definitio gratiae, 12 sqq.; — de gratiae excellentia, 19 sqq.; — de praecipuis erroribus circa gratiam, 38, sqq.; — de gratiae necessitate, 84, sqq. (per integram sect. I, partis I); — qualis fuisset in statu naturae purae, 138; — gratia requisita ad vitam aeternam est intrinsece supernaturalis 156, sq.; — de gratiae essentia, 271, sqq.; — gratia sanctificans non est idem cum gratia actuali iugiter influente, 298, sq.; — de habitudine gratiae ad virtutes, 299, sqq.; — ad potentias, 303, sqq.; — de variis gratiae divisionibus, 306, sqq.; — utrum principium intrinsecum an extrinsecum, 339, sq.; — de causis gratiae, 393, sqq.; — utrum creetur, 397, sq.; — de gratiae gradibus, 404, sqq.; — de gratiae effectibus, 416, sqq.; — de concordia inter gratiam et liberum arbitrium, 513, sqq,
GRATIS. — De gratia gratam faciente et gratis data, 307, sqq.; — de distributione gratiarum gratis datarum, 333, sqq.; — charismata gratis data communia in Ecclesiae exordiis, 334; — dignitate cedunt gratiae gratum facienti, 335 sqq.
GRATUM. — De gratia gratum faciente et gratis data, 307, sqq.; — praecellit donis gratis datis, 335, sq.
GRATUS (animus). — Commendatur erga Deum, 260, sq.
GREA (Dom.). — Cum laude adducitur, 10.
GREGORIANA (Universitas). — Nominatur, 523, 596.
GREGORIUS (Ariminensis). — Excedit quoad valorem moralem operum ab infidelibus factorum, 123; — durior Gr. sententia affertur, 148; — citatur Gr. thesis de motione divina, 571; — nominatur, 635.
GREGORIUS DE VALENTIA. — Adducitur, 8; — quas partes egerit in controversia *de Auxiliis,* 577, 582, sq.

GREGORIUS I (Magnus). — Laudatur, 11; — nominatur, 73; — celebrat laudes S. Augustini, 74; — commendat humilitatem, 262: — ex operationibus gratiae demonstrat divinitatem Sp. S., 279; — applicat Christi sententiam ad gratiam praevenientem et sequentem, 329; — pulchre disserit de curatione a Christo facta, 367; — eloquenter invehit in Pharisaeos, ibid.; — commendat charitatem Petri et Andreae, 482; — describit visionem de morte S. Benedicti, 496; — commendat iustis humilitatem, 663, sq.

GREGORIUS XIII. — Adducitur, 11; — nullatenus S. Augustinum damnare intendit, 59; — nominatur, 73.

GREGORIUS (S. Gr. Naz.). — Citatur, VIII, 92; — proclamat legem naturae humano cordi insculptam, 117; — adducitur, 129; — pulchre describit vocationem ex gratia, 183.

GROPPER. — Nominantur, 60.

GROTIUS. — Ariminii defensor, 52, 64.

GROU (S. I.). — Cum laude citatur, 647.

GUÉRIN (Illmus Paulus G.). — Adducitur, 264.

GUILLERMIN (O. Pr.). — Adducitur, 9; — mitior Thomista, 385; — egregie exponit sententiam Thomismi mitioris, 601, sqq.; — citatur, 617; — laudatur, 646.

GULIELMUS (Dux Bavariae). — Nominatur, 582.

GUNERUS PETRI. — Nominatur, 60.

GÜNTHER. — Non recte sentit de gratia, 17; — describitur eius erronea doctrina, 54; — nominatur, 161.

GURY. — Adducitur, 483.

GUYON (Ioanna de la Mothe G.). — Quietismo Molinos infecta, 461.

HABERT. — Adducitur, 483, 621.

HABITUALIS. — Gratia hab. intrinsece supernaturalis, 157; — de distinctione inter gratiam actualem et habitualem, 345, sqq.

HABITUS. — Gratia est in primo genere qualitatis, seu habitus, 375, sqq.

HODGE. — Corripitur eius comparatio inter sanctificationem et iustificationem, 293; — leviter invehit in doctrinam Ecclesiae Romanae de inhabitatione Sp. S. in anima iusti, 298.

HAMELIUS. — Quaedam H. propositiones ab Universitate Lovaniensi et Duacensi damnantur, 577.

HARMONIA. — De harm. inter ordinem naturalem et supernaturalem, 34.

HEBRAEI. — Arguitur saepius ex epist. S. Pauli ad Hebr., v. gr., 126, 508.

HEBRARD (D. H. O. S. B.). — Cum laude citatur, 665.

HEDLEY (Illmus D. H. O. S. B.). — Cum laude adducitur, 229.

HEFELE. — Adducitur, 59.

HEILER (Fredericus). — Cum laude adducitur, 270.

HEINRICH. — Adducitur, 9.

HELVETIUS. — Nominatur, 67.

HENNEQUIN. — Adducitur, 621.

HENRICUS (Gandav.). — Excedens eius sententia affertur, 89.

HENRICUS (Gorcumiensis). — Citatur, 566: — mitiorem Thomismum exponit, 606, sqq.

HENRICUS IV (Galliae Rex). — Nominatur, 583.

HENRIQUEZ (Henricus). — S. Augustini laudator, 59; — severe iudicat *Concordiam* Molinae, 578.

HENSLOW, — Insulse arguit ex Didachè contra transsubstantiationem, 354; — stulte invehit in Ecclesiam Romanam, 432.

HERGENRÖTHER (Card.). — Adducitur, 45, 53, 461, 576.

HERMANT (G.). — Adducitur, 69.

HERMES. — Non recte sentit de gratia, 17; describitur eius erroneus conceptus, 53; — nominatur, 161; — Semipelagianismo infectus, 182.

HERRERA (Petrus O. Pr.). — Nominatur, 580.

HERZOG. — Adducitur, 359.

HESSELS. — Nominatur, 61.

HESYCHASTAE. — Nominantur, 460.
HETTINGER. — Adducitur, 40.
HIERONYMUS (S.). — Laudatur a S. Prospero, 7; — fortiter corripit synodum Diospolitanam, 16; — severe iudicat Origenem, 45; — Pelagium impugnat, 48, sqq.; — S. Augustinum laudibus cumulat, 73, sq.; — commendat legem naturae, 118; — recte censet de operibus infidelium, 129: — cum S. Augustino concors, 191; — cum laude citatur, 211; — iugem gratiae necessitatem proclamat, 222; — commendat donum perseverantiae, 245; — componit doctrinam de gratia cum libero arbitrio, 267, sq.; — proclamat operationes Sp. S. in anima, 279, sq.; — liberum arbitrium commendat, 520.
HILARIUS (S.). — Laudatur, 7; — adducitur, 163, 168; — nominatur, 172; — a Semipelagianismo vindicatur, 194; — cum laude citatur, 210; — adducitur, 279.
HILDEGARDIS (S.)) — Laudatur, 7.
HIPPOLYTUS (S.). — Adducitur, 27.
HIRSCHER. — Quomodo erret circa gratiam, 53, sq. — nominatur, 161.
HISPANIA. — Praecipua sedes controversiarum *de Auxiliis*, 576, sqq.
HOGSTRAETEN. — Nominatur, 60.
HOLOCAUSTUM. — Abhorrenda rapina in holocausto, 264, sq.; — commendatur holocaustum ipsius propriae naturae, 266, sq.
HOLOPHERNES. — Nominatur, 506.
HORMISDAS (S.). — S. Augustini doctrinam commendat, 72, 171, sq.; — nominatur, 169, 176.
HOSIUS (Card.). — Nominatur, 60.
HUGON (O. Pr.). — Commendatur, 10; — cum laude citatur, 256, sq.; — pulchre scribit de Maria Matre divinae gratiae, 512.
HUMILITAS. — Doctrina de gratiae necessitate suadet humilitatem, 256, sq.; — abundantiora gratiae dona eamdem commendant, 262; — necnon doctrina de gratia operante et cooperante, 323; — suadetur ex incertitudine gratiae, 413, sq.
HURTER (S. J.). — Adducitur, 9; — minus adaequate arguit ex iustitia Noë, 120, et mercede Nabuchodonosor, 128; — adducitur, 123, 128, 145, 157, 216; — num satis tribuat dono perseverantiae, 229, sq.; adducitur, 233, 277, 483; — propugnat Molinismum, 595.
HUSSIUS. — Praedestinatianismo infectus, 59; — damnatur a Conc. Constantiensi, 118; — praedicat inutilitatem bonorum operum, 460.
HUYLENBROUQ (P.). — Adducitur, 69.

IACOBUS (Apost.). — Opera commendat, 435.
IANSEN (O. SS. R.). — Citatur, 621.
IANSENISMUS. — Bene depingitur a Laforêt, 67; — minus dure ab Alb. De Meyer., ibid.
IANSENISTAE (Ianseniani). — De agnosticismo Iansenistarum, 56; — de controversiis Ian., 69; — corripiuntur, 167; — non minuendus doctrinae vigor ob Ians. suspiciones, 389; — errant circa hominis liberum arbitrium, 518, sqq.; — affertur prop. ab Alexandro VIII damnata, 521; — nominantur, 623.
IANSENIUS. — Abutitur Augustino, 50; — nominatur, 59; — de erroribus I. circa gratiam. 67, sqq.; — afferuntur eius quinque propositiones damnatae, 70; — nominatur, 76, sq.; — abutitur doctrina S. Augustini, 82; — exaggerat necessitatem graatiae, 117; — nominatur, 122; — abutitur S. Augustino, 127; — falso interpretatur Augustinum, 154; — affertur I. damnata propositio, 167; — corripitur, 382; — male interpretatur S. Augustinum, 3?0; — affertur Ians. damnata propositio, 519; — nominatur, 524, 622, sq.; — sententia I. valde differt a sententia S. Augustini, 648, sq.
IANVIER (O. Pr.). — Adducitur, 10.
IEREMIAS (Proph.). — Ex eo arguitur, 488.
IERUSALEM (Hierusalem). — Nominatur, 398.

IESUITAE. — Nominantur, 583, 585, 588, 635.

IGNATIUS (S. I. a Loyola). — Revelationes Manresae habitas extollit, 37; — commendat orationem, 260; — citatur, 464, — conqueritur de audaciori spiritu iuniorum sodalium, 576.

IGNATIUS (S. I. Martyr). — Celebrat opus gratiae, 27.

IMITATIO (lib. *Im. Chr.*). — Cf. Thomas a Kempis.

IMMACULATA (Conc. B. M. V.). — Excellentia Imm. Conc. commendatur, 447, 511.

IMPECCABILITAS. — In Pelagianorum impecc. S. Augustinus fortiter invehit, 210.

IMPIUS. — De iustificatione impii, 416, sqq.

IMPOTENTIA. — De impotentia naturae ad omne verum ordinis supernaturalis, 101.

INCARNATIO. — Inc. opus celebratur, 20; — eius excellentia commendatur, 278, 280; — utrum gratia externa an interna, 339; — extollitur excellentia Inc., 447, 525.

INCERTITUDO. — De incertitudine gratiae, 407, sqq.

INCREATA. — De distinctione inter gratiam creatam et increatam, 348, sqq.

INDEX. — Ind. rerum XIII; alphabeticus, analyticus, 667, sqq.

INDI. — Nominantur, 34.

INDICULUS. — Quis auctor libri *Indic. capitulorum*, 168; — nominatur, 175.

INFUSIO. — Gratiae infusio bene describitur a S. Bonaventura, 387; — remissio peccatorum fit per infusionem gratiae, 422, sqq.

INHABITATIO. — De inh. Spiritus S. relate ad iustificationem, 31; — quomodo Spiritus S. inhabitatio se habeat ad divinam filiationem, 31; — celebratur, 278, sq.; — quo modo ad iustificationem, 289, sq.: — est realissima, 290, sq.

INITIUM. — Semipelagiani errant circa initium fidei, 163, sqq.

INNOCENTIUS I. — Nominatur, 15; — Pelagium damnat, 48; — commendat doctrinam S. Augustini, 72, 80; — corripit errorem Pelagianorum, 150: — nominatur, 209; — citatur, 214.

INNOCENTIUS III. — Adducitur, 278.

INNOCENTIUS X. — Adducitur, 11; — damnat propositiones Iansenii. 70, 167, 382; — adducitur, 585.

INNOCENTIUS XI. — Damnat Molinos, 461.

INNOCENTIUS XII. — Damnat librum Fenelonii, 461.

INSTANS. — Utrum iustificatio impii fiat in instanti. 440, sqq.

INTERNA. — De gratia interna et externa, 337, sqq.

IOANNES (S. Apost. et Evang.). — Citatur, 13; — excellentiam gratiae celebrat, X, 19, sqq., 157; — citatur eius Prologus, 21, 23; — solvitur obiectio ex S. Ioanne petita, 121, sq.; — commendatur eius doctrina de charitate, 409, 411; — de iustificatione, 420.

IOANNES (S. I. Chrysost.). — Cum laude citatur, 30, sq.; — adducitur, 50; — a Semipelagianismo immunis, 51; — calumniose opponitur S. Augustino, 77, sq.: — pulchre loquitur de magistra conscientia, 91; — citatur, 124; — a Semipelagianismo vindicatur, 193, 197; — cum laude citatur, 211, 226, 261; — commendat opus Incarnationis, 280; — eloquenter improperat Iudaeis duritiam cordis, 520.

IOANNES MAXENTIUS. — Adducitur, 51; — nominatur (?), 164.

IOANNES (Patriarch. Constantinop.). — Corripitur, 11.

IOANNES (Presb. Antioch.). — Adducitur, 51.

IOANNES II. — S. Augustini doctrinam commendat, 72.

IOANNES IV. — Nominatur, 11.

IOANNES (a S. Thoma). — Commendatur, 8; — adducitur, 225.

IOANNES (Vincentius). — Mitior Thomista, 574.

Iob. — Citatur, 394, 429; — in Providentiae exemplum adducitur, 505.
Ioseph (Patriarcha). — Nominatur, 12, 228; — somnia interpretatur, 334; — ipse somniis admonetur 429.
Iovinianus. — Nominatur, 516.
Irenaeus (S.). — De lege naturae humano cordi insculpta, 117; — cum laude citatur, 151, 226.
Isaac. — Nominatur, 237; — ex eo arguitur, 380, sq., 382.
Isaias. — Supernaturali loquendi facultate donatus, 334; — adducitur, 357.
Isambertus (Lovan.). — Celebrat auctoritatem S. Augustini, 81.
Isidorus (S. Ep. Hispal.). — Celebrat laudes S. Augustini, 74.
Isidorus (Pelusiota). — Citatur, 278.
Israël. — Populus Israël in exemplum adducitur, 504, sq.
Issy. — In conventu Issy damnatur quietismus Ioannae Guyon, 461.
Iudaei. — Iudaeorum doctrina de gratia, 41; — Stephanus invehit in Iudaeos, 519.
Iudas (Iscar.). — Cur a Christo in Apostolus electus, 489.
Iudith. — Nominatur, 12; — figura Beatae Mariae V., 504; — arguitur ex eius oratione coram Holopherne, 506.
Iulianus (Pelagian.). — Nominatur, 48.
Iungmann. — Commendatur, 9; — adducitur, 233, 323; — quomodo explicat varias distinctiones gratiarum, 342; — adducitur, 483.
Iustificatio. — De excellentia iustif., 30; — iustificatio potest amitti, 205; — non est mere extrinseca, 274; — nec imputatam mere confert iustitiam, 281; — quomodo se habeat ad inhabitationem Sp. S., 289, sq.; — quomodo ad sanctificationem, 292, sq.; — de iustificatione impii, 416, sqq.
Iustinus (S. Mart.). — Citatur, 96; — adducitur, 105; — proclamat efficaciam gratiae, 515.
Iuvenalis. — Citatur, 647.

Kantiani. — Corripiuntur, 43, sq.
Kantius. — Adducitur, 43; — fortiter corripitur a Card. Mercier, 44; — nominatur, 56.
Katholik (Ephem.). — Adducitur, 67.
Katschthaler (Card.). — Commendatur, 9; — iure corripit Klee, 17; — adducitur, 39, 41, 46, sq., 54, 64; — minus placens eius arguendi modus adducitur, 117, 160; — adducitur 33, 460, 478, 483, 495, 521, 591; — modeste adhaeret systemati Syncretistico, 621, sq.
Kilber. — Commendatur, 8; — adducitur, 323.
Klee. — Inadaequate loquitur de gratia, 17.
Kleutgen. — Commendatur, 9; — adducitur, 53, sq., 66, 128.
Knoodt. — Adducitur, 54.
Köllin (Conrad). — Adducitur, 573.
Konings. — Commendatur, 9.
Kroch-Tonings. — Commendatur, 9.
Kuhn. — Non recte loquitur de gratia, 54, sq.
Kürth (Godefridus). — Pulchre describit Stoicismum, 39.

Labertonnière. — Nominatur, 44.
Lacombe. — Ob quietismum damnatur, 461.
Lacordaire. — Adducitur, 10, 35; — eloquenter celebrat beneficium revelationis, 105; — cum laude adducitur, 106, sq., 404.
Lactantius. — Nominatur, 105.
Laferrière (I.). — Adducitur, 69.
Laforêt (Rect. Lovan.). — Cum laude citatur, 2; — Adducitur, 9; — bene describit harmoniam inter ordinem naturae et gratiae, 35, sq.; — bene depingit Iansenismum, 67; — cum laude citatur, 86; — pulchre inter se confert scripta Platonis et Augustini, 106, sq.; — pulchre scribit de dono perseverantiae, 247, sq.; — necessitatem gratiae pulchre illustrat, 269, sq.; — minus probatur eius modus loquendi de inhabi-

tatione Sp. S., 291; — bene depingit gratiam praevenientem, concomitantem et subsequentem, 325, sq.; — iudicium fert de Molinismo, 629, sq.

LAHOUSSE (G. S. I.). — Adducitur, 9, 387, 595.

LAMBRECHT (Illmus Henric. L. episc. Gandav.). — Cum laude citatur, 2; — adducitur, 9, 38, 119, 138; — minus cauta eius sententia affertur, 292; — adducitur, 299, 409.

LA METTRIE. — Nominatur, 67.

LAMENNAIS (de L.). — Grave corripitur modus quo L. loquitur de ordine supernaturali, 18; — citatur, 22; — celebrat synthesim Christi, 351; — Satanam eloquenter describit, ibid.

LATOMUS. — Nominatur, 60.

LATINI. — Nominantur, 34.

LAURENT. — Bene iudicat de nexu inter Pelagianos et Stoicos, 45; — adducitur et citatur, 108, sq.

LAZARUS (Frater Mar.). — Nominatur, 13.

LEBRETON (Iulius). — Cum laude citatur, 10.

LEDESMA. — Adducitur, 574.

LEMOINE (Alph.). — Adducitur, 621.

LEMOS (Thomas de L.). — — Laudatur, 8; reiicitur quidam falsus conceptus L. de gratia uti qualitate mortua, 133; — dissentit ab Alvarez, 142; — adducitur, 384; — impugnatur a Gonzales, 574; — quas partes habuerit in controversia *de Auxiliis,* 577, sqq.; — adducitur, 604.

LENSAVIUS. — Nominatur, 60.

LEO I (S. L. Magnus). — Pelagianam haeresim impugnat, 48; — nominatur, 73; — excellentiam divinae filiationis commendat, 157; — nominatur, 168, 176; — celebrat dignitatem Christiani, 278, sq.; — gratiam Dei nos diligentis egregie celebrat, 349.

LEO X. — Damnat Lutherum, 59, 280.

LEO XI. — Nominatur, 583.

LEO XIII. — Damnat neo-kantismum in Gallia serpentem, 43; — celebrat merita Ecclesiae de humana libertate, 521, sq.

LÉPICIER (Alex. M.). — Adducitur, 9, 359.

LEPIDI (O. Pr.). — Adducitur p. 596.

LESSIUS. — Laudatur 8; — minus probatur L. sententia de filiatione divina, 31; — laudes celebrat S. Augustini, 75; — propugnat de gratia pactum inter Patrem et Christum, 189; — quaedam L. propositiones ab Universitate Lovaniensi et Duacensi damnantur, 577.

LEX. — L. vetus figurat Ecclesiam, 26; — de capacitate hominis servandi Legem absque gratia, 147, sqq.; — arguitur ex lege orandi, 318.

LEYDECKER (M.). — Adducitur, 69.

LIAGRE (I.). — Adducitur, 9, 34, 292.

LIBERATORE (S. I.). — Adducitur, 3.

LIBERTAS. — S. Augustini doctrina cum sana libertate est accipienda, 80; — in investigationibus theologicis commendanda aequa lib., 2, sq.

LIGEARD (D.). — Inadaequate loquitur de gratia, 18.

LINDANUS. — Nominatur, 60.

LINSENMANN. — Adducitur, 66.

LITURGIA. — De gratiarum actione in L., 14; — necessitas gratiae e L. demonstratur, 94, sq., 114, sq.; — imo gratiae initialis, 181; — impotentia vitandi peccatum absque gratia, 214; — unio cum oratione Christi, 227; — excellentia doni perseverantiae, 237, sq.; — pulcherrime celebrat oeconomiam Incarnationis, 280; — ex Liturgia dedicationis templi monstratur dignitas Christiani, 297; — necnon distinctio inter gratiam operantem et cooperantem, etc., 320, 328; — commendatur gratia Dei et Christi, 353; — necnon praecelsa dignitas B. V. M., 359; — sequentia *Veni Sancte Spiritus* commendat gratiam medicinalem, 369; — L. commendat timorem Dei, 413; — mentes ad superna attolit, 508; — celebrat laudes Deiparae, 512.

LOMBARDUS (Petrus). — Cf. Petrus L.

LOURDES. — Adducitur exemplum miraculi in L. effecti, 450.

Lovaniensis (Univers.). — Adducitur, 225; quasdam Lessii et Hamelii propositiones damnat, 577; — Lovanienses a Bellarmino adducuntur, 626.

Lucas (S. Evang.). — Nominatur, 14; — celebrat pacem nascentis Ecclesiae, 36.

Lucidus (Sac. Gall.). — Praedestinationem urget, 59; — nominatur, 176.

Ludovicus XVI. — Citatur pulchra eius consecratio SS. Cordi Iesu, 374.

Lugdunensis (Syn.). — Nominatur, 59.

Lugo (de L. Card.). — Adducitur eius sententia de necessitate revelationis ordinis supernaturalis, 34; — adducitur, 483.

Loisy (Alfredus). — Corripitur ultimum eius opus, 44; — nominatur, 55.

Lutherani. — Nominantur, 375, 497; — errant negantes liberum arbitrium, 516, sqq.; — nominantur, 627.

Macarius (Senior). — Citatur, 225.

Macedo. — Benignior erga Semipelagianos, 168.

Mondrucci (Card.). — Nominatur, 577; — quid egerit in Congreg. *de Auxiliis*, 580, sqq.

Maeterlinck (Mauritius). — Ob pseudomysticismum neo-paganum corripitur, 42.

Magdalena (Maria). — Hymnus eius festi adducitur, 371.

Magister. — Cf. Petrus Lombardus.

Magnificat. — Canticum M. commendat Mariae humilitatem, 257.

Maine de Biran. — Cum laude citatur, 40.

Malebranchius. — Graviter errat invertendo ordinem praedestinationis, 362, sqq.; — eius error in Pelagianismum et Semipelagianismum conducit, 364; pulchra M. sententia adducitur, 655.

Mangenot. — Cf. Vacant Mangenot.

Manichaei. — Nominantur, 516, 521.

Manichaeismus. — Corripitur, 42.

Mannens. — Commendatur, 9.

Manzoni. — Commendatur, 9.

Marcion. — Nominatur, 516.

Marcus Aurelius. — Cum laude citatur, 38, sq.

Marcus (S. M. Evang.). — Nominatur, 14.

Margarita Maria (S. M. Alacoque). — Nominatur, 374; — pulchra eius oratio citatur, 502.

Maria (Archiducissa Austriae). — Nominatur, 582.

Maria (Bm̃a V. M.). — Ab Angelo salutatur, 12, sq.; — in Liturgia eius praedestinatio celebratur, 29; — laudatur, 31; — arguitur ex M. cantico, 102; — a Conc. Trid. excipitur, 209; — commendatur B. V. humilitas, 257; — eiusdemque humilitatis efficacia, ibid.; — ad B. V. cum fiducia confugiendum, 260; — quo sensu altissimo B. V. M. uti Mater divinae gratiae colatur, 359; — M. gratia plena, 404; — per Esther et Iudith figuratur, 504; — appendix de meritis B. M. V., 510, sqq.

Maria (Imperatrix). — Nominatur, 581.

Maria (Marthae soror). — Nominatur, 260.

Mariana (Ioannes S. I.). — Severe iudicat *Concordiam* Molinae, 578.

Marius Mercator. — Animosus adversarius Pelagii, 45, 48.

Marmion (Illm̃us Abbas M.). — Commendatur, 10; — cum laude citatur, 21; — pulchre describit necessitatem gratiae, 93, sq., 134; — cum laude adducitur, 157, 228; — pulchre applicat B. Virgini sententiam Cantici, 259; — optime scribit de operationibus Sp. S., 277; — adducitur, 351, 354, 357, 359; — pulchre commendat S. Spiritus dona, 370.

Martha (Mariae soror). — Nominatur, 260.

Martialis. — Invehit in vitia carnis contra naturam, 296.

Martinus V. — Nominatur, 73.

Martyr. — Martyrum animus celebratur, 508.

Massilienses. — Auctores Semipelagianismi, 50; — nominantur, 196.

Massonismus. — Corripitur, 42.

Massoulié (O. Pr.). — Legitimat expressionem: praedeterminationis physicae,

560; — conatur explicare nexum inter gratiam sufficientem et efficacem, 600, sq.; — mitiorem Thomismum modeste propugnat, 608; — citatur, 633.

MATERIALISTAE. — Omni doctrinae de gratia infensi, 41.

MATERNITAS. — Divina maternitas fructus humilitatis B. M. V., 257; — commendatur eius excellentia supra meritum, 511, sq.

MATIGNON. — Commendatur, 9.

MATTEUSSI (S. I.). — Adducitur, 43.

MATTHAEUS (S. Evang.). — Nominatur, 14.

MAURITIUS (Princ. Batav.). — Nominatur, 64.

MAXIMUS TYRIUS. — Citatur, 38.

MAZZELLA (Card. S. I.). — Adducitur, 3. 9, 290, 323; — agnoscit speciale beneficium gratiae efficacis, 386; — nominatur, 594, 596.

MEDIA (Scientia). — Pars essentialis systematis Moliniani, 589; — necnon Congruismi, 593, sq.; — a Bellarmino confutatur, 592; — quid de media scientia censuerit Pius VII, 630.

MEDIATOR. — Christus totius ordinis supernaturalis mediator, 29.

MEDICINALIS. — Gratia medicinali homo lapsus indiget, 88, sq., 200, 219, sq., 254; — de gratia elevante et medicinali, 365, sqq.

MEDINA. — Adducitur, 8; — nominatur, 60; — adducitur, 493.

MEDITATIO. — De nexu inter meditationem et contemplationem, 228.

MELANCHTON. — Nominatur, 52, 63; — adducitur, 75; — Semipelagianismo infectus, 182; — exaggerat certitudinem de gratia habita, 411; — errat circa meritum, 495.

MENASSE BEN ISRAËL. — Adducitur, 41.

MERATIUS. — Adducitur, 8.

MERCENARIUS. — Mercedis intuitu, non amore ducitur, 485.

MERCES. — S. Bernardus et S. Fulgentius celebrant celsitudinem divinae mercedis, 476, sq.

MERCIER (Card.). — Cum laude adducitur, 9, 17; — de supernaturali munere bene scribit, 18, sq.; — laudatur, 20, sq.; — amorem Dei erga homines pulchre celebrat, 21, sq.; — necnon ordinem supernaturalem qui tendit in Christum, 29, sq.; — adducitur, 30; — fortiter corripit naturalismum, 44; — bene describit modernistas, 57, sq.; — laudem celebrat S. Augustini, 78: — bene illustrat harmoniam inter naturam et gratiam, 134, sq.; — non alius datur homini finis quam supernaturalis, 138, sq.; — invehit contra moralem naturalismum, 151; — citatur orationem commendans, 258; — invehit in praesumptionem spiritualem, 262, sq.; — non probat, unionem cum Deo per gratiam productam vocari mere accidentalem, 286, sq.; — realitatem corporis mystici Christi vindicat, 355, sq.; — confert humanum genus paralytico ab Apostolis curato, 368.

MÉRIC (El.). — Bene illustrat beneficum influxum Ecclesiae in humanum consortium, 134; — commendat Ecclesiae sapientiam, 270; — adducitur, 295, 322.

MERITUM. — Utrum homo possit absque gratia mereri vitam aeternam, 153; — omnis meriti fons gratia, 190, sq.; — fuse disseritur de merito, 459, sqq.; — de merito gratiae primae, 485, sqq.; — reparationis post lapsum, 490; — augmenti gratiae, 495, sqq.; — de merito perseverantiae, 498, sqq.; — de meritis B. M. V., 510, sqq.

MERLIN. — Nominatur, 60.

MEXICANI. — Nominantur, 34.

MEZGER (Paulus). — Citatur, 587, 599, 645.

MILEVITANUM (Conc.). — Conc. M. II citatur, 10; — Adducitur, 72, sq.; — citatur, 207, sq.

MINGES (P.). — Scotum a Semipelagianismo vindicat, 52.

MIRACULUM. — Utrum iustificationis opus sit maius miraculis, 449, sqq.

MISERERE. — Pulcherrime S. Anselmus

scribit de hoc Ps., 131; — arguitur ex eodem, 200.

MISSALE (Rom.). — Ex M. R. arguitur, 114, 188, 201, 237, 422, 502.

MISSIONARII. — Colant orationis spiritum, 258, sq.; — sint virtutibus praecursores veritatis, 330.

MODERNISMUS. — De nominis origine, 55.

MODERNISTAE. — Quid sentiant de gratia, 55, sq.

MODUS. — De gratia supernaturali quoad substantiam et quoad modum, 372, sqq.

MOEHLER. — Adducitur, 60; — cum laude citatur, 65.

MOHAMMEDANI. — Quid de gratiae teneant, 41.

MOLANUS. — Nominatur, 60.

MOLINA (S. I.). — Adducitur, 3, 8; — ad se trahere conatur S. Augustinum, 75; — adducitur, 142; — excedens M. sententia affertur, 148; — fingit pactum inter Patrem et Christum, 188, sq.; — adducitur, 255; — non sentit cum S, Augustino, 524; — nominatur, 571; — quas partes egerit in controversia *de Auxiliis,* 577, sqq.; — citatur, suum systema describens, 588; — nominatur, 595, sqq., 604, 617; — M. sententia libertate gaudet, 623; — nominatur, 627.

MOLINISMUS. — Nominatur, 169; — commendatur Molinismus mitigatus scholis S. I., 387; — nominatur, 535; — per Congruismum mitigatur, 586; — describitur, 588, sqq.; — discutitur systema Molinistico-Congruisticum, 627, sqq.; — differt ab Augustinianismo, 652, sq.

MOLINISTAE. — Utrum aliqualiter conferri possint cum Semipelagianis, 169; — nominantur, 575, 621, sq.; — de censuris Praedicatorum contra Mol., 623.

MOLINOS (Michaël). — Quietistarum Occidentalium parens, 461.

MONICA (S.), — Augustini conversionem oratione obtinuit, 490.

MONSABRÉ. — Commendatur, 10.

MONTAGNE. — Commendatur, 8; — adducitur, 48, 50, 66, sq., 483.

MORALIS. — Perfectio moralis nonnisi a gratia exspectanda, 151.

MORAWSKI (S. I.). — Cum laude citatur, 61, 137.

MOREAU (Dom Adelin de M.). — Adducitur, 663.

MORGOTT. — Adducitur, 576.

MORUS (Beatus Thom. M.). — Nominatur, 60.

MOTIO. — Quo seusu gratia actualis sit motio, 288.

MOYSES. — Nominatur, 117; — miraculorum dono insignitus, 374; — arguitur ex eius oratione ad populum, 506.

MURRI. — Nominatur, 55.

MYSTERIUM. — De mysteriorum necessitate, 106.

NABUCHODONOSOR. — Ex mercede Nab. arguitur, 118.

NACLANTUS. — Nominatur, 60.

NATHAN (Proph.). — Adducitur, 500.

NATURA. — Qualis gratia fuisset in statu naturae purae, 138.

NATURALISMUS. — Fortiter corripitur a Card. Mercier, 44.

NAUSEA. — Nominatur, 60.

NAVILLE (Ernestus). — Cum laude citatur, 35.

NECESSITAS. — De gratiae necessitate, 84, sqq., per totam hanc sectionem; — est non solum moralis, sed physica 225.

NEO-ICONOCLASTAE. — Abutuntur Augustino, 74.

NEO-KANTISMUS. — De neo-kantismo in Gallia serpente, 43.

NESTORIANISMUS. — De nexu inter Nest. et Pelagianorum, 45.

NEWMAN (Card.). — Pulchre scribit de perseverantia, 229.

NEXUS. — De nexu inter gratiae praeparationem et consecutionem, 401, sq.

NICODEMUS. — Arguitur ex colloquio Chr. cum N., 20.

NICOLAI. — Adducitur, 573; — mitior Thomista laudatur, 608.

NICOLAITAE. — Nominantur, 460.
NICOLAS (Aug.). — Necessitatem gratiae pulchre illustrat, 661.
NICOLAUS (de Furno). — Citatur epistola S. Ignatii ad N. d. F., 576.
NICOLE. — Nominatur, 71.
NIETZSCHE. — Nominatur, 137.
NOE. — Nominatur, 117, 120.
NOGUERA. — Nominatur, 60.
NOMINALES. — Adducuntur, 498.
NORISIUS (Card.). — Adducitur, 59; — excedit in exponenda quadam sententia S. Augustini, 123; — adducitur, 145, 617; nominatur, 623.
NOVATORES. — Saec. XVI Nov. exaggerant miseram conditionem hominis lapsi, 92.
NUNNO (Didacus). — Nominatur, 578.

OBEDIENTIALIS. — De potentia obed. ad gratiam, 159.
OLDENBARNEVELD. — Nominatur, 64.
OLIVA (Praep. gen. S. I.). — Nominatur, 623.
OPERA. — Utrum opera bona homo facere possit absque gratia, 118, sqq.; — fides operibus destituta non iustificat, 435.
OPERANS. — De gratia operante et cooperante, 313, sqq.
ORATIO. — Ex Ecclesiae orationibus demonstratur necessitas gratiae, 94, sq., 114, sqq.; — ex ipso orandi praecepto arguitur, 180; — ex Ecclesiae orationibus arguitur contra Semipelagianismum, 181; — arguitur, 213, sq., 222; — commendatur unio cum oratione Christi, 227; — ex lege orandi arguitur, 237, sq.; — spiritus orationis commendatur, 258, sq.; — inculcatur distinctio inter gratiam operantem et cooperantem, 318; — gratiae efficacia 376 sq.; — efflagitanda remissio peccatorum, 421; — necnon perseverantia instanter expetenda, 501, sqq.
ORATIO (Dominica). — Ex Or. Dom. arguitur, 201, 207, sqq., 210; — a S. Benedicto commendatur, 211; — ex ea arguitur, 213, 227, 239, sqq., 370, sq., 373, 377, 420, 501, sq., 507.
ORDO. — De ordine intentionis et exsecutionis, 28, sq.; — de harmonia inter ord. naturalem et supernaturalem, 35; — ordo supernaturalis non est mere facultativus, 138, sq.; — de ordine iustificationis, 444, sqq.
ORIGENES. — Celebrat ordinem gratiae, 27; — Pelagii antesignanus, 45; — gratiae tribuit initium fidei, 183; — proclamat hominis liberum arbitrium, 517.
OROSIUS (Paulus). — Adversarius Pelagii, 48; — Patrum concordiam de gratia proclamat, 191.
OSEAS (Proph.). — Ex Os. arguitur, 570.
OSIANDER. — Calvinista rigidior, 60; — negat iustificationem intrinsecam, 281.
OSORIUS. — Nominatur, 60.
OSWALD. — Commendatur, 9; — adducitur, 233.
OVIDIUS. — Citatur, 149.

PACTUM. — Quid censendum de pacto a Molina inducto Patrem inter et Christum, 198, sq.
PADILLA. — Nominatur, 580.
PALAESTINENSE (Conc.). — Adducitur, 49.
PALMIERI (Domin. S. I.). — Adducitur, 3; — commendatur, 9; — adducitur, 117, 156, 177, 323, 379; — cum laude nominatur, 596.
PANOPLIA. — Lemos Pan. nominatur, 8, 168.
PANTHEISTICUS. — Evolutionismus pantheisticus inimicus gratiae, 42.
PANTUSA (O. Pr.). — Citatur, 568.
PAQUIER (I.). — Adducitur, 69.
PARABOLAE. — Arguitur ex parabolis, 449, 469.
PARISIENSIS (Univers.). — Adducitur, 255.
PARTICIPATIO. — Participatio divinitatis per gratiam est simul realis et moralis, 290; — nostra divinitatis participatio per gratiam confertur cum substantiali participatione divinitatis in Christo, 294.

PASCAL (Blas.). — Iansenismo suo multum nocuit, 67; — nominatur, 71.

PASCENDI (Encycl.). — Bene describit modernistas, 56.

PATER (Deus). — De pacto Patrem inter et Christum, 188, sq.; — praedestinationis mysterium Pater sibi reservat, 362.

PATOUILLET (P.). — Adducitur, 69.

PAULINUS (Diac. Mediol.). — Adversarius Pelagii, 48.

PAULINUS (S. P. Nolan.). — Nominatur, 74; — affertur exemplum heroicae eius charitatis, 366.

PAULUS (S. P. Apost.). — Cum laude adducitur, X, 5; — citatur, 13, 20, sq.; — describit totam genesim gratiae, 26; — et sanctificationis, 30; — commendat vocationis suae gratiam, 36, et pacem christianam, 87; — proclamat multipliciter necessitatem gratiae, 92, sqq; — opponit humanam sapientiam revelationi, 103; — gratum erga Deum animum commendat, 260; — commendatur, 266; — exaltat in Christiano dignitatem templi Dei, 296; — inculcat distinctionem inter gratiam operantem et cooperantem, 318; — de Paulina distributione gratiarum gratis datarum, 333, sqq.; — docet aemulanda charismata meliora, 336; — efficaciam gratiae eloquenter commendat, 378; — ipse huius gratiae exemplum, 381, sq.; — gratiam creari docet, 398; — commendat timorem Dei ex incertitudine gratiae, 410, sq.; — proclamat necessitatem fidei ad conversionem, 433; — exaltat celsitudinem divinae mercedis, 477; — cum tremore saluti dicit adlaborandum, 500; — celebrat magnorum animum, 508; — austeram tradit de peccato originali doctrinam, 525; — S. Pauli doctrinam fideliter exhibet S. Augustinus, 535; — adducitur, 618, 628, 630; — commendat altitudinem gratiae, 664.

PAULUS V. — Nominatur, 73; — pacifice componit controversiam *de Auxiliis*, 583, sq., 591; — nominatur, 625.

PAX. — Pax christiana celebratur, 36, sq.

PAYVA DE ANDRADA. — Nominatur, 60.

PECCABILITAS. — Peccabilitas hominis iusti non infirmat veritatem habitationis Sp. S., 298.

PECCATUM. — Utrum et quousque peccatum vitari possit, 205, sqq.

PECCI (Card.). — Adducitur, 9.

PECCI (Illmus Anselmus P.). — Cum laude adducitur, 270.

PEGUES (O. Pr.). — Cum laude adducitur, 10; — bene exponit doctrinam de capacitate hominis ad bonum, 132; — pulchre describit gratiam, 285; — adducitur, 300; — optime describit iustificationem impii, 430; — necnon merita requisita ex gratia, 477, sq.

PELAGIANI. — Nominantur, 10, sq., 15; — a Stoicis derivati, 39, 41, 45; — errores Pelag. describuntur, 45, sqq.; — controversiae Pelag. nominantur, 73; — ab Augustino confutantur, 96, sq.; — nominantur, 111; — corripiuntur, 149, sq.; — controversia Pelag. nominatur, 160; — nominantur, 165, sqq.; — calumniantur Augustinum uti novatorem, 191; — nominantur, 207, 224, 225, sq., 533, 582.

PELAGIANISMUS. — Excessus Lutheri alios ad Pelag. et Semipel. reducunt, 62; — nominatur, 364; — instauratur a modernioribus protestantibus, 433; — nominatur, 488, 579, 629.

PELAGIUS. — Erravit circa motionem divinam in ordinem non solum gratiae sed et naturae, 4; — debellatur a S. Augustino et S. Hieronymo, 7; — gratiam in sensu proprio negat, 16; — quoad gratiam concordat radicitus cum Stoicis, 39; — Pel. errores describuntur, 45, sqq.; — nominatur, 111; — ab Augustino confutatur, 149, sq.; — negat internam elevationem per gratiam, 100; — nominatur, 195, 200; — Pel. error nominatur, 454, sq., 537, 577; — adducitur, 617.

PELTANUS. — Nominatur, 60.

PENTECOSTES. — Arguitur e Liturgia Pent., 95.

PEREZ DE AYALA. — Nominatur, 60.

PERFECTIO. — Moralis perfectio nonnisi a gratia exspectanda, 151.

PERRON (Card. du P.). — Quid egerit in controversia *de Auxiliis,* 583, sq.

PERRONE (S. I.). — Commendatur, 9; — adducitur, 230; — nominatur, 596.

PERSAE. — Nominantur, 34.

PERSEVERANTIA. — Speciale donum Dei, 171, 222; — de gratiae necessitate ad perseverandum, 229, sqq.; — de errore Semipelagianorum et a fortiori Pelagianorum, 232; — quid intersit inter donum pers. et confirmationis in gratia, 250, sq.; — inter donum pers. in statu originali et in statu lapso, 251, sq.; — de incertitudine perseverantiae, 413; — utrum pers. finalem homo mereri possit, 498 sqq.

PESCH (Chr.). — Commendatur, 9; — adducitur, 142; — laudatur, 218; — Congruismo addictus, 597.

PETAVIUS. — Laudatur, 8; — adducitur, 11; — minus probatur P. sententia de filiatione divina, 31, 287; — S. Augustinum laudat, 59; — cum laude adducitur, 164; — affertur ejus sententia de Semipelagianis circa initium fidei, 168; — adducitur, 349; — Adducitur, 621.

PETRUS (Apost. Princ.). — Commendat excellentiam gratiae X; — citatur eius II epist., 20, sq.; — I epist., 26; — celebrat mirabile opus gratiae, 27; — pulchre commendat fiduciam in Deum, 249; — pulchre describit gratiam, 276; — affirmat necessitatem fidei ad iustificationem, 433, sq.; — in exemplum charitatis adducitur, 482.

PETRUS CHRYSOLOGUS (S.). — Laudatur, 25.

PETRUS (Diac.). — Adducitur, 51.

PETRUS LOMBARDUS. — Commendatur, 7; — nominatur, 185; — citatur, 186; — adducitur, 300, 324; — nominatur, 403, 576; — adducitur, 617, 652.

PEUCERUS. — Nominatur, 63.

PHARISAEUS. — Phar. parabolae cum Stoicis confertur, 40; — nominantur, 381.

PHILIPPENSES. — Arguitur ex epist. ad Phil., 236.

PHILIPPUS (Diac.). — Adducitur, 96; — fidem exigit ab eunucho, 434.

PHILIPPUS III (Hisp. Rex). — Nominatur, 581, sq.

PHILIPPUS (S. Ph. Nerius). — Humilitatem inculcat, 264, sq.; — castitatem flagrantia recognoscit, 398.

PHILOSOPHIA. — Ethnicae philosophiae impotentia demonstrat necessitatem revelationis, 104, sq.

PICCOLOMINI (S. I.). — Nominatur, 586.

PIE (Card.). — Adducitur, 9.

PIGHIUS. — Nominatur, 60, 75.

PIGNATARO. — Commendatur, 9; — adducitur, 498.

PINELLI (Card.). — Nominatur, 584, 592.

PISTORIENSES. — Nominantur, 71; — damnantur Bulla *Auctorem fidei,* 120; — instaurant damnatam doctrinam Iansenii, 146.

PISTORIENSIS (Synod.). — Nominatur, 11; — damnatur a Pio VI, 71.

PIUS II. — Nominatur, 73.

PIUS V. — Nullatenus S. Augustinum damnare intendit, 59.

PIUS VI. — Adducitur, 11; — damnat propositiones Synodi Pistoriensis, 71.

PIUS VII. — Quid censuerit de scientia media Moliniana, 630.

PIUS IX. — Corripit excessum Frohschammer, 34; — damnat Güntherum, 54.

PIUS X. — Bene describit modernistas, 57, sq.; — indulgentiis ditat invocationem ad SS. Cor Iesu, 374.

PLATONICA. — Philosophia Plat. nominatur, 617.

PLATONICI. — Nominantur, 34; — quomodo erraverint circa gratiam, 38, sq.; — nominantur, 105.

PLATO. — Nominatur, 34; — cum laude citatur, 38; — Platonis et Augustini scripta inter se conferuntur, 106, sq.

POENITENTIAE. — Sacramentum poenit. cur ita vocetur, 204; — motus poenitentiae requiritur ad iustificationem, 435, sqq.

POLUS (Card.). — Nominatur, 60.

PORTALÈS. — Adducitur, 46; — cum laude eius sententia citatur, 575, sq.; — adducitur eius iudicium de Syncretismo, 656, sq.

PORTE (Illmus Raym. de la P.). — Cum laude citatur orationem commendans, 228; — opus Christi exaltans, 270.

POSITIVISTAE. — Gratiae infensi, 42, sq.

POSSESSOR. — Nominatur, 72, 169, 171.

PRAEAMBULUM, 1, sqq.

PRAEDESTINATIANI. — Per excessum errant circa gratiam, 59; — abutuntur Augustino, 74; — nominantur, 516.

PRAEDESTINATIO. — De ordine praedestinationis, 29; — urgetur a Lucido, 59; — Calvinus dure sentit de praedest., 64, sq.; — praepositiones Remonstrantium de praedest., 64; — quid de praed. sentiant Semipelagiani, 167; — de harmonia inter doctrinam de singulari dono perseverantiae et de praedestinatione ante praevisa merita, 255; — praedestinationis oeconomicam subvertit Malebranchius, 362, sqq.; — de praedestinationis incertitudine, 413; — de praedestinat. signis, 503; — Maria singulare praedestinationis exemplar post Christum, 511.

PRAEDESTINATUS. — Liber titulo *Pr.* adducitur, 59.

PRAEDESTINIANISMUS. — Nominatur, 537.

PRAEDETERMINATIO (physica). — Cur hic terminus inductus, 510; — nominatur, 523; — reiicitur a Card. Bellarmino, Card. Billot, etc., 605, sqq.

PRAEDETERMINISMUS. — Cfr. Praedeterminatio.

PRAEDICATORES. — Schola Praed. adducitur, 82; — nominantur, 584, sq., 635; — de septem censuris Praed. in Molinam, 623; — cfr. Thomistae.

PRAEPARATIO. — De praeparatione hominis ad gratiam, 162, sqq.; — explicatur effatum: «Facienti quod in se est», 177; — de eodem argumento sub alio respectu agitur, 399, sqq., 486.

PRAESENTIA. — Praesentia Dei in anima est specialissimi generis, 295.

PRAETERNATURALE. — De donis pr., 15.

PRAEVENIENS. — De gratia praeveniente et subsequente, 324, sq.

PRAT (S. I.). — Cum laude adducitur, 25.

PRATO (Card. a Pr.). — Adducitur, 11.

PREUSS. — Confessio eius adducitur, 478.

PRIERIAS. — Nominatur, 60.

PRISCILLIANI. — Nominantur, 516.

PRODIGUS. — Arguitur ex parabola filii prodigi, 104.

PRODUCTIO. — Quomodo gratia producatur, 398.

PROPORTIO. — De proportionis lege inter viam et terminum, 153, sqq.

PROSPER (S.). — Celebrat merita S. Augustini in re Pelagiana, 6; — item S. Hieronymi, 7; — nominatur, 11; — bene describit nexum inter Nestorianismum et Pelagianismum, 45; — commendat doctrinam sancti Augustini, 72; — adducitur, 74, 81; — citatur carmen contra Pelagianos, 98; — proclamat necessitatem gratiae, 116; — citatur de valore operum infidelium, 123; — adducitur, 163; — cum laude citatur, 165; — nominatur, 169, 171, 176, 182; — cum laude citatur, 211; — commendat Sanctorum merita, 470; — pulchre describit efficaciam gratiae, 655.

PROTESTANTES. — Falso urgent distinctionem inter iustificationem et sanctificationem, 292, sq.; — frigidi erga B. M. V., 359; — quomodo distinguant merita, 465.

PROVERBIA. — Arguitur ex libro *Prov.* 209, 380, 496, 525, sq.

PRUDENTIUS. — Sp. S. operationes per gratiam pulchre canit, 280.

PRUDENTIUS (de Monte Maiore). — Nominatur, 577.

PSALMI. — Ex psalmis eruitur excellentia

doni perseverantiae, 236; — passim ex eis arguitur.

PYTHAGORAS. — Nominatur, 105.

QUALITAS. — Gratia in ipsa anima ponit aliquid ad modum qualitatis, 274, sqq., 283.

QUESNELLUS. — Nominatur, 11; — describuntur eius errores circa gratiam, 71; — exaggerat necessitatem gratiae, 117; — damnatae Q. propositiones citantur, 119, sq.; — nominatur, 122; — excedens Q. sententia reiicitur, 132, sq.; — nominatur, 145; — incomplete describit gratiam, 160; — invehit in gratiam sufficientem Thomistarum, 375; — nominatur, 516; — affertur Q. damnata propositio, 519.

QUIETISTAE. — De errore Quiet. Orientalium et Occidentalium, 461.

QUILLIET (H.). — Adducitur, 592.

RABBINI. — Quid de gratia doceant, 41.

RACINE (Ioannes). — Cum laude citatur, 429.

RANKE. — Affertur R. iudicium circa finem controversiae *de Auxiliis*, 563.

RATIONALISTAE. — Gratiae infensi, 42, sq.

RATIO. — Quid humana ratio possit, quid non possit in ordine ad verum, 86, sqq.

RAVENSTEIN. — Nominatur, 60.

RAYNERUS (Pisanus). — Cum laude citatur, 651.

REDEMPTIO. — De ordine Redemptionis, 23, sqq.; — Commendatur mysterium Redemptionis, 525.

REDEMPTOR. — De gratia Red., 157; — quid intersit inter Sanctificatorem et Red., 361, sq.

REDING. — Commendatur, 5; — adducitur, 574; — commoda mitioris Thomismi exponit, 609; citatur, 642, sq., 658.

REFORMATORES (Pseudo-R.). — Eorum errores circa gratiam, 59, sqq.

REGINALDUS (A.). — Commendatur, 8; — nominatur, 562, 564.

REGNUM. — De falsa distinctione Pelagii inter regnum caelorum et vitam aeternam, 155, sq.

REGULA. — *Regulae Apost. Sedis* adducuntur, 170.

REMISSIO. — Utrum iustificatio impii sit remissio peccatorum, 418, sqq.; — producitur per infusionem gratiae, 422, sqq.

REMONSTRANTES. — Nominantur, 64; — Semipelagianismo infecti, 182.

REMUSAT (de R.). — Nominatur, 617.

RENAN (Ern.). — Impia eius sententia corripitur, 106.

RENAUDOT (O. S. B.). — Adducitur, 28.

REPARATIO. — De ordine reparationis, 23, sqq.; — nemo sibi mereri potest reparationem post lapsum, 491, sqq.

RESURGERE. — Peccator non potest resurgere sine gratia, 199, sqq.

REVELATIO. — De necessitate revelationis ordinis supernaturalis, 34, sq.; 101.

RIPA (a R. O. Pr.). — Nominatur, 581.

RIPALDA. — Commendatur, 8, 119, 122; — citatur de gratia actuali, 262; — adducitur, 300.

ROHRBACHER. — Triplicem vitam hominis egregie describit, 32, sq.

ROMANI. — Ex epist. ad Rom. obicitur 121; — ex eadem arguitur, 149, 178, sq.; 213, 216, 349.

RORSKAVARY. — Adducitur, 53, 69.

ROSMINI. — Periculosa eius comparatio corripitur, 294, sq.

ROTHE. — Corripitur calumniosa eius sensentia, 55.

ROTTMANNER (Ad). — Durius iudicat doctrinam S. Augustini, 76.

ROUSSEAU (Ioann. Iac.). — Nominatur, 43, 67.

RUFINUS. — Pelagii antesignanus, 45.

RUYSBROECK (Beatus Ioannes R.). — Laudatur, 7; — tres vias bene describit 32; — pulchre describit dona Dei in in anima per gratiam, 295; — bene disserit de actione gratiae 319; — exponitur eius doctrina de gratia praeveniente 333 sq.; — quomodo describat

gratiam externam et internam, 337, sq.; — pulcherrime describit iustificationem, 420, sq.; 423, sq.; 446; sq.

SACRAMENTA. — Vitalia canalia gratiae commendantur, 355, 370.

SACRAMENTALIA. — Nominantur, 60.

SACRIFICIUM. — Dona Dei Deo in sacrificium offerenda, 265, sq.

SALMANTICENSES. — Commendantur, 8; — benigniores erga Semipelagianos, 168; — citantur, 618.

SALMANTICENSIS (Univers.). — Adducitur, 255, 488.

SALOMON. — Ex S. oratione arguitur, 144, 237; — David orat pro Salomone, ibid.; — Sal. sapientia caelitus ornatur, 334.

SALVIANUS. — Citatur, 642.

SANCHEZ. — S. Augustini laudator, 59.

SANCTIFICATIO. — De excellentia sanctificationis, 30; — quomodo se habeat ad iustificationem, 292, sq.

SANCTIFICATOR. — Quid intersit inter Sanctif. et Redemptorem, 361, sq.

SANDERUS. — Nominatur, 60.

SAPIENTIA. — Opponitur humana sapientiâ sapientiae Dei, 103; — arguitur ex libro Sap., 149,

SATOLLI. (Card. Franc.). — Cum laude citatur, 2; — adducitur, 9, 111; — citatur, 137, 142, 148; — adducitur, 177, 206; — afferuntur eius conclusiones de dono perseverantiae, 235; — cum laude adducitur, 255; — citatur, 284; — adducitur, 285; — non probat gratiam vocari qualitatem mortuam, 287, 342, sq.; — insufficiens iudicatur eius solutio concordiae inter gratiam et liberum arbitrium, 587.

SAULUS. — Vocem Dei auscultando in Paulum convertitur, 110; — Stephanus moriens pro Saulo orat, 490.

SCHAETZLER. — Nominatur, 54.

SCHEEBEN. — Adducitur, 9, 67, 71; — laudatur eius expositio doctrinae Semipelagianae, 166; — adducitur, 168, 174.

SCHIFFINI (S. I.). — Commendatur, 9.

SCHMALCALDICI (Articuli). — Nominantur 59.

SCHNERMANN (S. I.). — Adducitur, 10, 576; — affertur excedens eius iudicium de schola Molinistica, 579; — adducitur, 587, 595.

SCHRADER. — Adducitur, 9; — ostendit universalem esse apud populos aliqualem rationem ordinis supernaturalis, 34.

SCHUSTER (Illmus Abbas Ildeph. Sch.). — Cum laude citatur, 114.

SCHWETZ. — Adducitur, 9.

SCOTISTAE. — Quid censeant de gratiae augmento, 497.

SCOTUS (Ioannes Duns). — Commendatur 8; — a Semipelagianismo vindicatur 51, sq.; — cum laude citatur 152; — adducitur, 255, 300, 493, 498; — citatur, 562; — nominatur, 635.

SCRIBAE. — Nominantur, 381.

SEBILLE (Alex.). — Adducitur, 67.

SEGNERI (S. I.). — Cum laude adducitur, 10; — Quietistis strenue resistit, 461; — cum laude citatur, 654, sq.

SEMERIA. — Nimis blandum fert iudicium de Kant, 44.

SEMIPELAGIANI. — Nominantur, 10, sq; — conferuntur cum Iudaeis, 41; — eorum errores describuntur, 50, sqq.; — quinam eorum auctores, 50; — nominantur 63; — Semip. doctrina penitius investigatur, 163, sqq.; — Pelagianis affines, 171; — S. negant speciale donum perseverantiae, 232; — nominantur, 263, 302; — errant circa meritum primae gratiae, 485; — nominantur, 583.

SEMIPELAGIANISMUS. — Excessus Lutheri ad Semip. reducuntur, 62; — nominatur, 364; — doctrina Molinae non confundenda cum Semip., 579; — nominatur, 629.

SEMI-REFORMATORES. — Eorum errores de gratia, 65, sq.

SENECA. — S. sententia corripitur, 39.

SENONENSE (Conc.). — Adducitur, 11.

SENTROUL. — Bene scribit de Kant, 44; — adducitur, 59.

SEQUENTIA. — Arguitur ex Seq. *Veni S. Spiritus*, 369, 514.

SERIPANDUS (Card.). — Nominatur, 60.

SERRY (H. O. Pr.). — Adducitur, 576, 578; — citatur, 581.

SIDONII. — In exemplum nominantur, 519, 614.

SIMON (Iulius). — Corripitur, 106, sqq.

SIMON (Magus). — Nominatur, 460, 516.

SIMON (Richardus). — Abutitur Augustino, 50; — nominatur, 76; — corripitur a Bossuetio, 386.

SIMPLICIANUS. — Citatur epistola S. Aug. ad S., 534, sq.

SIMPLICITER. — De gratia simpl. et gratia pro gratia, 392.

SIXTUS (Presb. Rom.). — Adversarius Pelagii, 48.

SIXTUS III. — Nominatur, 73; — Pelagianam haeresim impugnat, 48; — nominatur, 169.

SIXTUS V. — Nominatur, 73.

SIXTUS (Senensis). — Cum laude citatur, 651.

SOCIALISMUS. — Materialismo imbuitur, 41.

SOCIETAS (Iesu). — Nominatur, 255; — quas partes habuerit in controversia *de Auxiliis*, 576, sqq.; — non omnes S. I. sodales amplexantur Molinae scientiam mediam, 592.

SOCINIANI. — Pelagianismi instauratores, 52.

SOCINUS (Faustus). — Nominatur, 52.

SOCINUS (Laelius), — Nominatur, 52.

SODOMAE. — Abraham orat pro Sodomis, 489.

SOMNIUM. — De somniorum virtute et momento, 429, sq.

SORBONICO-ALPHONSIANUM. — Systema S.-A. describitur, 621; — discutitur, 656, sqq.

SOTO (Dominicus). — Commendatur, 8; — adducitur, 142.

SOTO (uterque). — Nominatur, 60; — Petrus, num Baii praecursor, 66.

SPIRITUS. — Spiritus Chr. Spir. noster, 24; — de inhabitatione Sp. S., 31; — de operationibus Sp. S. per gratiam 277 sq.; — ex Sp. S. operibus eius divinitas demonstratur, 279; — Conc. Trid. proclamat internam diffusionem Sp. S. per gratiam 282, sq.; — anima iusta templum Sp. S., 296, sq.; — quomodo se habeant dona Sp. S. ad gratiam, 303.

SPONSA. — Ecclesia Christi sponsa, 24, sq.; 36.

STAPHILUS. — Nominatur, 60.

STAPLETON. — Commendatur, 8; — adducitur, 64.

STEPHANUS (S. Protom.). — Invehit in Iudaeos, 381, 519; — orat pro Saulo, 490.

STOICI. — Superbe ipsi homini tribuunt virtutem, 39, 42; — nominantur, 207.

STOICISMUS. — De St. pulchre scribit Godefridus Kurth, 39.

SUAREZ. — Adducitur, 3, 8; — citatur, 11; — adducitur, 38, 41; — quid censeat de fundamentali errore Pelagiano, 48; — adducitur, 49; — in Cassianum durior, 51; — S. Augustinum celebrat, 59; — cum laude citatur, 84; — adducitur, 88; citatur, 100; — citatur necessitatem gratiae proclamans, 112; — cum laude citatur, 132; — adducitur, 142, 163, 216, sq.; 235, 255; — cum laude citatur, 284; — affertur eius sententia de indole gratiae actualis, 288; — adducitur, 300; bene interpretatur S. Thomam de gratia uti principio intrinseco, 340; — adducitur, 483, 493; — bene disserit de gratiae augmento, 496; — S. sententia quoad tempus quo hoc augmentum obtinetur, 497; — non convenit cum S. Augustino, 534; — quas partes egerit in controversia de *Auxiliis*, 577; — nominatur, 588; — explicat suum congruismum, 592, sqq.; — S. sententia libertate gaudet, 623; — nominatur, 652.

SUBIECTUM. — De gratiae subiecto, 303, sqq.

SUBSEQUENS. — De gratia praeveniente et subsequente, 324, sqq.

SUBSTANTIA. — Gratia non est substantia,

nec forma substantialis, 275; — de gratia supernaturali quoad substantiam et quoad modum, 372. sqq.

SUFFICIENS. — De gratia sufficiente et efficaci, 375, sqq.; 513, sqq.

SULPICIUS SEVERUS. — Num Semipelagianismo infectus, 51.

SUPERNATURALIS. — De ordine et munere supern., 18, sq.; — de impotentia naturae ad verum ordinis supern. 101; — ordo supern. non est facultativus, sed necessarius, 138, sq.; — gratia ad vitam aeternam requisita est intrinsece supernaturalis, 156, sq.

SYLLABUS (Pii IX). — Citatur de demonstrabilitate Dei per opera naturae, 43.

SYLVIUS. — Commendatur, 8; — adducitur, 142, 343, 483.

SYNCRETISTICUM (Systema). — Nominatur, 587; — exponitur, 621, sqq.; — discutitur, 656, sq.

SYSTEMATA. — De systemate a S. Thoma nuncupato, 3, sq.

SWEENEY (Paulinus O. Pr.). — Reiicitur eius excedens sententia circa diversam activitatem supernaturalem sub influxu virtutum et donorum Sp. S., 322, sq.

TANNERUS. — Adducitur, 8, 483.

TANQUEREY. — Adducitur, 9.

TAPPERUS (Ricardus). — Adducitur, 8; — nominatur, 60.

TAULERUS. — Nominatur, 461.

TEMPLUM. — Anima iusta templum Dei, 296 sq.

TEMPORALIA. — Utrum bona temporalia cadant sub merito, 503, sqq.

TEMPUS. — Temporis pretium commendatur, 497; — de tempore quo charitatis augmentum conceditur, 497, sq.

TERESIA (S.). — Cum laude citatur, 24; — ariditates experta, 37; — laudatur, 181; — nominatur, 384; — adducitur, 408.

TERRIEN. — Cum laude citatur, 23; — adducitur, 359.

TERTULLIANUS. — Eleganter celebrat beneficium revelationis, 194, sq.; — de lege naturae humano cordi insculpta, 117; — cum laude adducitur, 377; — proclamat efficaciam gratiae, 515.

THEODORUS MOPSUESTIENSIS. — Pelagii antesignanus, 45; — de eius erroribus, ibid.

THOMAS A KEMPIS. — Proclamat necessitatem gratiae, 98; — auscultandam vocem Dei, 110 sq.; — citatur, 260; — commendat gratum animum erga Deum, 261, sq.

THOMAS (S. Thom. Aquin.). — De systemate a S. Th. nuncupato, 3, sq.; — de genuina mente S. Th. circa motionem divinam, 4, sq.; — pulcherrime commentatur sententiam Christi de necessitate gratiae, 133, sq.; — confertur S. Thomae doctrina cum doctrina Molinae, 169; — discutitur eius sententia de indole gratiae initialis, 185; — ex sententia S. Thomae a contextu avulsa arguitur, 197, sq.; — pulcherrime describit statum peccatoris, 203, sq.; — optime ostendit discrimen inter posse abstinere a peccato et posse perseverare, 230; — a contradictione vindicatur circa distinctionem inter gratiam operantem et cooperantem, 320, sq.; — eius modus loquendi de gratia uti exteriori principio humanorum actuum explicatur, 339; — afferuntur duae pulcherrimae orationes S. Th., 355, 369; — inquiritur in eius mentem de impulsu charitatis actualis ut principii meriti, 483, sq.; — in eius doctrinam quoad augmentum gratiae, 497, sq.; — inquiritur in mentem S. Th. de concordia inter gratiam et liberum arbitrium, 560, sqq.; — citatur, 641; — eius sententia cum S. Augustini mente confertur, 653.

THOMAS (Waldensis). — Adducitur, 75.

THOMASSINUS. — Commendatur, 8; — adducitur, 48; — citatur, de summo fastigio mentis, 161; — adducitur, 572.

THOMISMUS. — Differt a Molinismo et ab Augustinianismo, 169; — mitior sive

recentior nominatur, 523; — recentior minus concordat cum S. Augustino, 535; — dividitur in rigidiorem et mitiorem, 586; — nominatur, 596, sq.; — exponitur Thomismus rigidior, 598, sqq.; — mitior, 601, sqq.; — nominatur, 617; — uterque Thomismus discutitur, 631, sqq.

Thomistae. — De variis Thomistarum sententiis, 3; — schola Thom. non omnino idem docet ac schola Augustiniana, 4; — nominantur, 75; — de errore quorumdam Th. rigidiorum, 167, sq.; — Thomistae passim tenent gratiam actualem esse virtutem fluentem, 288; — adducuntur, 300; — durius quidam de Suarez scribunt, 534; — nominantur, 573, 575; — nominantur Thomistae mitiori sententiae addicti, 607; — nominantur, 618, 622, 636, sqq.

Tiletanus. — Cf. Ravenstein.

Times. — Diarium T. citatur, 14.

Tissot. — Bene describit distinctionem inter gratiam actualem et gratiam sanctificantem, 345, sq.

Tixeront. — Cum laude citatur, 649.

Toletus (Card. S. I.). — Adducitur, 3; — nominatur, 575, 577, 627.

Tournely. — Adducitur, 8; — eius sententia de principali controversia Pelagiana, 48; — adducitur, 67; — patronus systematis Sorbonico-Alphonsiani citatur, 621; — discutitur T. systema, 656, sq.

Tractoria. — Zosimi Tr. nominatur, 11, 221.

Trechsel. — Adducitur, 52.

Tricassini (Card.). — Adducitur, 67.

Tridentinum (Conc.). — Nominatur, 11; — citatur, 37; — S. August. doctrinam ratihabet, 73; — citatur, 96; — vindicat liberum arbitrium in statu lapso, 118, sq.; — citatur, 149, 154; — damnat Semipelagianismum, 182, 190; — proclamat, conversionem esse opus gratiae, 202; — iustificationem amitti posse, 205; — citatur, 209; — damnat doctrinam Lutheri, 226, sq.; — proclamat donum perseverantiae, 246; — adducitur, 278; — proclamat iustificationem intrinsecam, 282; — distinguit inter gratiam et charitatem, 302; — adducitur, 304, 318; — distinguit inter gratiam antecedentem, comitantem et subsequentem, 328; — citatur, 334; — describit gratiam Christi, 351, sq.; — citatur de efficacia gratiae, 378, sq.; — C. Tr. doctrina de causis gratiae, 395; — nominatur, 400; — citatur eius doctrina de gratiarum distributione, 405, 407; — affertur eius doctrina de incertitudine gratiae, 411, sq.; — de iustificatione impii, 417, 454, sqq.; — de merito, 464, 470, sq.; — adducitur, 482, 484; — eius doctrina de mysterio praedestinationis, 492; — de gratiae augmento, 495, 497; — de perseverantia, 498; — nominatur, 515, sq.; — proclamat liberum arbitrium, 516, sq.; — nominatur, 575, 584; — eius doctrina de gratia a Paulo V adducitur, 584; — nominatur, 589; — adducitur, 626, 633, sq.; — non intendit favere Thomismo rigidiori, 636, 639, sq.

Trinitas (SS.). — Iustificatio habet relationem cum tribus personis SS. Trin., 279; — mysterium SS. Trin. adducitur, 291, sq.

Trombetta. — Citatur, 568.

Trucco. (Rev. Philippus). — Pulchre scribit de unione membrorum cum Christo, 355.

Trypho (Dial. c. Tr.). — Citatur, 96.

Tyrii. — In exemplum nominantur, 519, 619.

Ude (I.). — Adducitur, 10.

Ultrajectini. — Nominantur, 71.

Unctio. — Christi unctio derivat in Christi membra, 357.

Urbanus V. — Nominatur, 73.

Urbanus VIII. — Adducitur, 11; — damnat Baianismum et librum Iansenii, 71; — nominatur, 585.

VACANT-MANGENOT. — Adducitur, 575, 592.
VALENTINIANI. — Nominantur, 400.
VALENTINUM (Conc.). — Nominatur, 11.
VALENTINUS. — Nominatur, 516.
VALENTINUS (Abbas). — De scriptis S. Augustini ad eum directis, 524, sqq.
VALLADOLID. — In urbe V. habentur famosae disputationes *de Auxiliis*, 578.
VAL (P. del V.). — Adducitur, 646.
VAN CROMBRUGGHE. — Bene scribit de B. V. Maria in negotio salutis Christo consociata, 359; — cum laude adducitur, 661.
VANDENPEEREBOOM (A.). — Adducitur, 69.
VAN DER MEERSCH (Ios.). — Commendatur, 9, 58; — cum laude adducitur, 113, 141; — bene componit humanam libertatem cum morali necessitate peccandi, 216; — exponitur eius media sententia de dono perseverantiae, 232, sq.; — quid censeat de gratia operante et cooperante, 316; — de distinctione inter gratiam excitantem et adiuvantem, 345; — quid censeat de gratia supernaturali quoad modum, 373; — citatur, 594; — sententiam sequitur Card. Billot, 597; — cum laude adducitur, 650, 662.
VAN NOORT. — Commendatur, 9; — cum laude citatur S. August. vindicans, 77; — adducitur, 177, 250; — bene describit gratiam actualem uti virtutem fluentem, 289; — modeste scribit de distinctionibus gratiarum, 343; — opponit gratiam originalem gratiae Redemptoris, 350; — cum laude citatur, 657.
VASQUEZ. — Adducitur, 8; — quid censeat de necessitate revelationis ordinis supernaturalis, 34; — durior in S. Ioannem Chrysostomum, 51; — S. Augustinum vindicat, 59; — citatur, 100, sq.; adducitur, 300, 483; — quid egerit in Congr. *de Auxiliis*, 581.
VATICANUM (Conc.). — Adducitur, 11; — celebrat oeconomiam supernaturalem 28; — proclamat, Dei existentiam per opera naturae demonstrari posse, 43; — adducitur schema C. V., 157, 160.
VAUVENARGUES (Lucas de V.). — Sententia eius citatur, 655.
VEGA. — Adducitur, 8; — nominatur, 60; — adducitur, 300, 475, 493.
VENERIUS. — Nominatur, 164.
VENOSTI (Raph. Can. O. S. A.). — Adducitur, 617.
VERMEERSCH (Arth. S. I.). — Cum laude adducitur, 296.
VEUILLOT (Ludov.). — Pulchre describit dignitatem Christiani, 31. sq.
VIANNEY (Beatus). — Eloquenter invehit in homines lasciviis deditos, 32; — in exemplum adducitur, 107; — eleganti comparatione commendat humilitatem, 257; — celebrat praerogativam B. M. V., 361; — exemplum ex eius vita adducitur, 398.
VICTORINUS (Hugo). — Laudatur, 7.
VICTORINUS (Richardus). — Laudatur, 7; — citatur, 378.
VICTOR UTICENSIS. — Adducitur, 74.
VIENNENSE (Conc.). — Nominatur, 278; — proclamat donum habituale gratiae, 283; — distinguit gratiam informantem et virtutes, 300.
VILLARS (Petrus de V.). — Nominatur, 578.
VINCENTIUS (Lerinensis?). — Quousque Semipelagianus, 51.
VINCENTIUS (S. V. a Paulo). — Laudatur, 68; — commendat fiduciam in Deo reponendam, 264; — abhorret a rapina in holocausto, 265; — humilitatis cultor insignis, 265, sq.; — affertur duplex exemplum eius heroicae charitatis, 366.
VIRTUS. — De distinctione inter gratiam et virtutem, 299, sqq.
VITALIS (Carthag.). — Semipelagianus, 51, 175.
VITALIS. — Ad V. scribit Augustinus, 534.
VITA. — De falsa distinctione Pelagii inter regnum caelorum et vitam aeternam, 155.
VITELLESCHI (S. I.). — Nominatur, 586.
VITIUM. — Carnis vitia summe indigna Christiano, 296.

VIVA. — Adducitur, 483.
VOCATIO. — Cum laude citatur liber *de Vocatione omnium gentium*, 5, 123, 130, 176.
VOLTAIRE. — Deista, non atheus, 42, 44.
VOX. — Vox Dei attente auscultanda, 110.

WAFFELAERT (Illmus W. Episc. Brug.). — Adducitur, 9; — adhaeret sententiae Lessii et Petavii de filiatione divina, 31; — bene illustrat operationem gratiae in anima, 273, sq.; — vindicat possbilitatem gratiae supernaturalis quoad modum; 372, sq.
WARD. — Adducitur, 9.
WEISZ. — Adducitur, 43.
WEGSCHEIDER. — Nominatur, 55.
WICLEF. (Ioannes). — Praedestinationismo infectus, 59; — abutitur Augustino, 75; — exaggerat necessitatem gratiae, 117; — damnatur a Conc. Constantiensi, 118; — nominatur, 516, 619, 649.
WIRCEBURGENSES (Theol.). — Adducuntur, 67, 168.

ZACCÁRIA. — Adducitur, 10.
ZACHARIAS (Propheta). — Citatur, 187; — nominatur, 212; — ex eius cantico arguitur, 329.
ZIGLIARA (Card. O. Pr.). — Nominatur, 596.
ZOBL. — Adducitur, 54.
ZOSIMUS. — Pelagium damnat, 48; — confirmat doctrinam S. Augustini, 72, 80; — citatur, 221.
ZUMEL. — Amicus Bannez, nominatur, 578.

N. B. - Errata typographica quae nominibus propriis irrepserunt, in hoc Indice castigantur.

P. 561, lin. 5ª a calce, loco: « in primum motum », lege: « in primum volentem ». In nota autem, loco: *De Pot.*, Q. III, a. 7, lege: *Ctr. Gent.*, l. III, c. 67.

Alia errata benevolus ipse lector haud aegre emendabit.

DESCLÉE & C.
EDITORI PONTIFICI
SANCTI M.
ROMA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900 G
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
3 2400 00181 5624

BX Janssens, Henri L
1749
T5 Summa theologica
J2 ad modum
1900 commentarii in
v.9 Aquinatis
GTU summam

BX Janssens, Henri L
1749
T5 Summa theologica
J2 ad modum
1900 commentarii in
v.9 Aquinatis
GTU summam

Graduate Theological Union

2400 Ridge Road

Berkeley, CA 94709

DEMCO